36 merent legiones *Dp*, meret reli(è *L* 1)giones *cdd.* 37 potissint M, possint *v.*, potessint *v. c. D.* 38 queicumque *M*, quaecumque *v.* 39 preimo *M*, primo *L* 1, *L* 2, promo *G.* — cerebrum *add. M.* — huic *idem*, hoc *G*, *L* 1, *L* 2, hic *ed. princ.* — refert minuei re *M*, minuendi refert res *L* 1, *L* 2; minuendi *in ras. G; idem* referres. 40 miracula *Bamb.*, *L* 1, *L* 2. — cient elephanteis *M* 390, ciet telefantas *G*, *L* 1 *m.* 2, *id.* 1 ciet etelefantas; *L* 2 ciet elefantas; *Bamb.* ciet elefantis. 41 artaenaeque *M sive* arustaenaeque, arutae neque *Neap.* — et *add. Dp.* 42 insanu' facessere *M*, insane facere *v.;* insane quaerere *Dp.* — *libri* vulgus.

XXXVII [VIIII, 13]

porro cleinopodas lychnosque, ut diximu' σεμνῶς,
anti 'pedes lecti' atque 'lucernas' – ⏑ ⏑ – ⏑

LIBER II.

I [12] a

– ⏑ homo inpuratus et inpuno estque rapister.

II [7] b

non dico. vivat licet et vagus exulet, erret
exlex.

III [20] c

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ iure
consultus.

IV [5] d

nunc Nomentani quae ex testibus ipse rogando
exculpei, ecdicam ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

V [15] e

qui te, Nomentane, malum iam cercera perdat!

in scirpo quaeris: scirpus palustris res est levissima (lenissima Rom.). Lucilius in primo. XXXVII Macr. VI, 4, 17 inseruit (Vergilius) operi suo et Graeca verba sed non primus hoc ausus; auctorum enim veterum audaciam secutus est: [aen. I, 726] dependent lychni laquearibus aureis; sicut Ennius — Lucretius — Lucilius in primo.

I Non. 129, 28 inpuno (impudo al. ap. Bentin.) quod est inpudens (impuno impune mg. G). Lucilius lib. II. — idem 167, 20 rapinatores pro raptoribus. Varro Bimarco — Lucilius (Lucius m. 1 L 1) lib. II.

II Non. 10, 12 inlex et exlex est qui sine lege vivit (vivat cdd.). Plautus — Lucilius (Lucius pr. m. L 1) satyrarum lib. II (XII Bamb., non L 2). III Charisius 62 iuris consultus dici debet, non iure consultus, licet Cicero pro Murena ita dixerit et Lucilius II, ut iure peritus. IV Non. 102, 18 exculpere est extorquere. Plautus — Lucilius satyrarum lib. II. V Don. ad Ter. Phorm. I, 2, 73 qui illum di omnes per-

---

43 cleinopodas *M*, κειnopodac clinopodas *Paris*, clinopodas *v.* — lichnosque *Paris.* 44 anti *i. e.* ἀντὶ *M*, ante *v.*

1 inpudicus *libri* 167 *et ib.* inpune. — estque *M*, est *Non.* — rapinator *scripti* 167. 2 vivat *M*, vincat *v.* — vacus *L* 1, *L* 2, *Bamb.* — exule terret *L* 1. 6 nunc Nomentani quae *Sc.*, nunc nomen iamque *cdd.* 7 exculpei *M* (exculpi *Sc.*), exculpo *v.* — ecdicam *M*, haec dicam *libri.* 8 Nomentane *v.*, Momentane *quaed. edd. Donati* — Montane malum ad cetera pergit *edd. princ. Rom.*, *Ven.* — cercera *M*, querquera *Dp;* cetera *vel* caetera *v.;* pectori' *Lchm. prooem. lect. aest. univ. Berol. a.* 1849, *pg.* 5.

VI [4] f

iniuriatum hunc in fauces invasse animamque
elisisse illi.

VII [1] g

quom illic vidissent Hortensiu' Postumiusque,
ceteri item, in capulo hunc non esse aliumque cubare.

VIII [IIII, 3] a

nam quid Moetino subrectoque huic opu' signo,
ut lurcaretur lardum et carnaria fartim
conficeret?

IX [16] b

tum farcto omnia sunt circum lata · – ⏑ ⏑ – ⏑

X [21] c

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – lustratu' piatus.

XI [2]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – Hostiliu' contra
pestem permitiemque catax quam et Maniu' nobeis.

duint: qui utinam est ut **Lucilius** in secundo. VI Non. 291, 27 **elidere** etiam excludere significat, Vergilius — Plautus — **Lucilius** satyrarum lib. II. VII Non. 4, 20 **capulum** dicitur quidquid aliquam rem intra se capit: nam sarcophagum id est sepulchrum capulum dici veteres volunt, quod corpora capiat. Plautus — idem — Novius — **Lucilius** satyrarum lib. II.
VIII Non. 10, 31 **lurcones** (**lurchones** Bamb.) dicti a lurchando: lurchare est cum aviditate cibum sumere. **Lucilius** satyrarum lib. II. IX Non. 261, 26 **circumferre** est proprie lustrare. **Lucilius** satyrarum lib. II.
X Non. 335, 12 **lustrare** expiare. Vergilius — **Lucilius** satyrarum lib. II [a m. 2] (VB, Gen.). XI Non. 25, 18 **catax** dicitur, quem nunc coxonem (**coxonem** L 1) vocant. **Lucilius** satyrarum libro (add. L 1, om. G) II. — idem 218, 32 **permities** (permites [i m. 2] L 1, pernities m. 2 G) generis feminini.

---

9 iniuriatum; *ita B*, *G*, *L* 1. 10 elisse *B*. 11 quom illic *M*, quem illi cum (*sequitur* u) *G*, *Bamb.*, *L* 1, *L* 2; *G* quem *exhibet m.* 1 *additum ante* illi *in margine*. 13 subrectoque *D*, subiectoque *libri*. 14 lurcaretur *v.*, lurcharetur *cdd.* — *post* fartim (*quod m.* 2 *supra scr. in L* 1) *add.* parum *G*, *L* 1; *om. Montep.*, *Bamb. L* 2. 16 farcto *M*; farto *Iun.*, facto *G*, *L* 1, facta *Gen.*, *B.* — sum *B.* — circumlata *Iunius*, circum latus *libri*. 18 Hostilius *ed. Luc. Turic.*, hostilibus *cdd.* 19 permitiemque *utroque l. L* 1, permiciemque *priore G*, *cet. vid. comment.* — Manius *M* 40, Manlius *v.* — 218 novius *G*, novus *L* 1, nobis *cdd.* 25.

XII [18]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – vix vivo homini ac monogrammo.

XIII [9]

si natibus natricem inpressit crassam et capitatam.

XIV [6]

– ⏑ ⏑ – quaeso nunc Aemilium atque precando
exigo et excanto ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑⏑ – ⏑

XV [17]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ in bulgam penetrare pilosam.

XVI [14]

quid dicis? cur est factum, quod coicis istuc?

XVII [13]

chirodyti aurati, ricae, thoracia, mitrae.

XVIII [XI, 12]

non laudare hominem quemquam neque mu facere in quem.

Lucilius satyrarum lib. II pestem e. q. s. XII Non. 37, 11 **mongrammi** (**onogrammi** G) dicti sunt homines macie pertenues ac decolores; tractum a pictura, quae prius quam coloribus corporatur umbra fingitur. **Lucilius** lib. II. XIII Non. 65, 27 **natrices** dicuntur angues natantes. Cicero — **Lucilius** satyrarum lib. II. XIV Non. 102, 7 **excantare** significat extundere (cdd. **excludere**). Plautus — **Lucilius** satyrarum lib. II. XV Nonius 187, 18 **vulga** capacitas vel sinus cum laxitate. **Lucilius** lib. II. XVI Non. 268, 2 **coicere** furari auferre. Afranius — **Lucilius** (Lct B) lib. II. XVII Non. 539, 17 **rica** est quod nos sudarium dicimus. Plautus — Serenus — Novius — **Lucilius** satyrarum lib. II. XVIII Char. 213 **mu facere** pro muttire **Lucilius** saturarum libro II (ita exc. Cauch.,

---

20 vino *G*. — monogramo *L* 1. 22 quaeso *sive* quaeque rogo *M*, quae ego *cdd.* — Aemilium *M*, Aemilio *scripti.* — atque precando *M*, praecanto atqꝫ *v.* 24 vulgam *cdd.* 25 *fortasse* dices. — cur est factum? quo coicis istud? *Scal.* 26 chirodyti *M*, hrodeti *Bamb.*, *L* 2; hrodyty *L* 1; hyodyty *potius quam* hrodyty *G*. — ricae *Carrio;* thoracia *Rothius;* cice et oracia *cdd.*, *excepto quod in Bamb. est* ciceetoratia. — mare *Bamb.*, *L* 2. — *cet. in mrg. cd. G leg.* auratice mitrę. 27 mu *om. Neap.*, *non exc. Paris.* — in quem *M*, in quemquam *exc. Paris.*, $\overset{\text{in}}{\text{umquam}}$ *N*, inquam *v. c. Dousae.*

XIX [3]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – quae horis sublata duabus
omnia sunt sole occaso obductoque ⏑ – ⏑

XX

– ⏑ ⏑ – fandam atque auditam iterabimu' famam.

[XXI]

[– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – per inhospita tesqua vagantem
rerum animo sequitur captarum gratia maior].

[XXII] [19]

[ducere has greges]

LIBER III.

I [l. III in.] a

Porph. ad Hor. sat. I, 5, 1. Lucilio hac satira aemulatur Horatius iter suum a Roma Brundisium usque describens, quod et ille in tertio libro fecit; primo a Roma Capuam usque et inde fretum Siciliense.

II om. Neap., l. XI tribuit D). XIX Priscianus 869 occido occasus ὁ δύνας — Lucilius (Lucius Sang., Lugd., Carolir. et ut putat Hertzius Paris 7496 m. pr.) in II (in II om. Sang.). XX schol. Veron. ad aen. II, 81 fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures Belidae nomen Palamedis: — et Pacuvius — Lucilius in II — [itaque hic] patiendi vim, non agendi habet. [XXI] Barthius advers. XV, 3 ad Hor. epist. I, 14, 19 deserta et inhospita tesqua. in codice quem hic laudo (eum initio capitis dicit vetustissimum fragmentum) interpretatio vocis tesqua est cum exemplo ex Lucilii libro II, quae ego utraque non contemnenda putavi: tesqua loca inutilia, quae subigi non possunt. loquitur in villicum. Lucilius in II. [XXII] Char. 72 ceterum feminina omnia monosyllaba sunt excepto grege et rege; quorum alterum ex diverso genere constat. nam Lucilius in II ducere has greges feminino genere dixit. legendum esse Lucretius in II buceriasque greges monuit Lchm. c. Lucr. 112. eius recte referunt nomen et verba Non. 80 et 208, Char. 72, Servius ad georg. III, 287.

---

28 q̃ ab horis *Sang.*, oris *Paris* 7496. 29 sunt *om. Lugd.* — occasum *Par.* 7496 *m.* 1, occ^{a}usso *Carolir.* — obductoque *Dp.*, ductoque *libri.* — *illud* tenebris *ad expl. metr. in fine probabiliter addit idem.* 30 famam *Keilius*, *qui et reliqua supplevit;* f. . . . . *cd.* 31 inospita *Barthius.*

II [13] b

–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑– et, saepe quod ante
optasti, freta Messanae, Regina videbis
moenia, tum Liparas, Phacelinae templa Dianae.

III [15] c

–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑ viamque
degrumabis uti castris mensor facit olim.

IV [1] d

–⏑⏑–⏑⏑ bis quina octogena videbis
conmoda, tunc Capua quinquaginta atque trecenta.

V [21] e

broncu' Bovillanus, dente adverso eminulo hic est,
rhinoceros velut Aethiopus ⏑⏑–⏑⏑–⏑.

VI [7] f

praeterea omne iter est hoc labosum atque lutosum.

II Probus in prooemio comment. in bucol. Vergilii: Phacelitis (Fascelitis i. m. Facelitis et post Faceline in antiquo codice fuit Vat.; Facelites P.) autem Dianae Lucilius quoque in tertio satirarum meminit. III Non. 63, 4 grumae sunt loca media, in quae directae quattuor congregantur et conveniunt viae. Est autem gruma mensura quaedam, qua fixa viae ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum et talium. Ennius — Lucilius lib. III. IV Non 266, 26 conmodum (commodum B, G) integrum totum. Lucilius (l. III tribuit Dp). V Non. 25, 27 bronci (pronti Bamb., proñti L 2) sunt producto ore et dentibus prominentibus. Lucilius satyrarum lib. III broncus — rinoceros. — Priscianus 688 Lucilius (Licilius Lugd.) in IIII (VII Lugd., VIIII Carolin.) Aethiopus dixit pro Aethiops: rhinoceros e. q. s. — coniunxit haec fragmenta Dp. VI Non. 489, 11 ab eo quod est labos labosum facit, non laboriosum, Lucilius satyrarum lib. III (Lucilius satyrarum lib. III om. G).

---

2 Messanam *i. m.* Messanae *V*, Messana *P*. — Rhegina *P*, reginam *corr.* regina *V*. 3 Facelinae *P*, Fascelinae *V*. 5 degrumabis *Me*, degrumavis *cdd.* — uti *M* 398, ut in *Merula*. 6 uis *m.* 1 *L* 1, vi is *B*. — quinā *Scal.*, quin *G L* 1, qui in *B*. — actogena *L* 1 *et ita G*, *sed* a *ex* o *facto*; octogena *B*. — videƀ (*i. e.* videbit) *B*. 7 commoda *G B*. — tunc (tc̃) *M*, te *cdd.* — CCC *M*, CC *G*, *L* 1, ducenta *B*. 8 Bovillanus *Turn.*, novitlanus *cdd.* obit lanius *Dp.*, ovat lanius *Iun.* — dende *m.* 1 *L* 1. — hoc est *D*. 9 rinoceros *G*, riceros *L* 1; rinocerus *cdd. Pr.*, *exc. quod in Carolin. legitur* renocerus. — veluti *Bamb.*, velud *Amienensis*. 10 *hunc v. om. G*. — inter *L* 2. — atque lutosum *om. Iun.*, *Me*.

VII [6] g

verum haec ludus ibi susque omnia deque fuerunt,
susque haec deque fuere, inquam, omnia, ludu' iocusque;
illud opus durum, ut Setinum accessimu' finem:
αἰγίλιποι montes, Aetnae omnes, asperi Athones.

VIII [48] h

pascali pecore ac montano, hirto atque soloce.

IX [5] i

terminus hic est
Volturnus Capua longe tria milia passum.

X [4] k*

Campana Capua

XI [III, 3] l*

inde Dicarchitum populos Delumque minorem.

VII Gell. XVI, 9, 1 in poematis quoque et in epistulis veterum scriptum est plurifariam (susque deque fero sive susque deque sum sive susque deque habeo) — significat autem susque deque ferre animo aequo esse — Laberius — M. Varro — Lucilius in tertio. VIII Festus 301 solox, lana crassa, et pecus, quod passim pascitur non tectum. Titinius — et Lucilius. — Paulus 300 solox lana crassa vel pecus lana non tectum. Titinnius — et Lucilius. IX Falsus Asconius ad act. Verr. II, 48 pg. 193 Or. C. Sulpicius Olympus fuit: vetus locutio eminus — passuum; Lucilio tribuit propter sequens Charisii testimonium Iac. Beckerus phil. IIII, 82. — Char. 182 longe pro longitudine Lucilius saturarum III (lucit satū III cd.) longe e. q. s. X Porph. ad Hor. sat. I, 6, 68 mala lustra: sic dicitur a Plauto Athenis Atticis, a Lucilio (l. III tribuit Dp). XI Paulus 122 minorem Delum Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum. cui successit postea Puteolanum, quod municipium Graecum antea Δικαρχία (Dikiarchia L 116, Mon., Guelf.) vocitatum est. unde Lucilius (l. III adscripsit Dp). — Cf. Paulus 72 Dicaearchia vocabatur quae nunc Puteoli, quod ea civitas

---

12 susque haec *Dp.*, susque et *cdd.* 12. 13 et — opus *om. V.* — dirum *P.* — Sedinum *RL*, Sed in quem *anthol. Thuan.* 14 *αιΓιαποι L*, *αιπιλιποΥ P*, *αιπιλιποι VMO*, *om. R.* — *post αἰγίλιποι add.* ait *PVMO.* — omne *L*, omnes *om. VP.* — asperi Athones, *ita L;* peri Athones *PV*, apia hoves (*vel* boves) *R*, aperi Athones *MO.* 15 pastali *cd. Festi; L* 116. — hyrto *idem*, hirco *Guelf.*, *Mon.* — *puto* solocei. 16 terminus hic est V., *Beckerus philol. l. l.*, eminus est V. *Asconius.* — longe *om. idem.* — tria milia passum *docti*, III mil. passuum *Neap.;* tria millia passuum *Asc.* 18 Diciarchicum *Guelf.*, *Mon.*, dici ar thicum *L* 116; *quod correxi.*

XII [III, 10] m*

— promunturium remis superamu' Minervae.

XIII [2] n

ad portum mille a portast; sex inde Salernum.

XIV [11] o*

quattuor hinc Silari ad flumen portumque Alburnum.

XV [12] p

hinc media remis Palinurum pervenio nox.

XVI [inc. 110] q

_⏑⏑_⏑⏑_⏑⏑_ Bruttate bilingui.

XVII [33] r

caupona hic tamen una Syra _⏑⏑_⏑⏑_⏑

XVIII [17] s

ostrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris,

XIX [18] t

asparagi nulli;

quondam iustissime regebatur. XII Serv. ad aen. I, 244 fontem superare Timavi: superare nauticus sermo. Lucilius (lib. III tribuit Dp). XIII Gell. I, 16, 1 item Lucilius in tertio satyrarum (ita P, satirarum rel.) 'mille' inquit 'est', non 'mille sunt'. — e Gellio petitum v. eundem, ubi etiam de substantivo mille agitur, exhibet Macr. I, 5, 6: Lucilius in tertio satyrarum (ita B; satirarum P). XIV Probus ad georg. III, 146 Silarus (Silaris V) flumen est Lucaniae (e. L. om. idem), portus Alburnus et eiusdem nominis mons ad sextum a primis (parvis P) tabernis. mentionem facit Lucilius hoc versu (libro III tribuit Dp). XV Parisinus 7929 Servii ad aen. X, 244 crastina lux: alii more antiquo lux pro luce accipiunt. Lucilius in tertio. XVI Porph. ad Hor. sat. I, 10, 30 Canusini more bilinguis: bilinguis dixit, quoniam utraque lingua usi sunt — ideo ergo et Ennius et Lucilius B. b. dixerunt (ad l. III rett. M). XVII Priscianus 684 caupo caupona, quod significat tam ipsam tabernam quam mulierem. Lucilius (Lucius Sang.) in III. XVIII Non. 216, 5 ostrea generis feminini. Lucilius satyrarum lib. III. XIX Char. 55 quamvis asparagos pluraliter dicamus, ut Lucilius III.

---

19 *initio versus supplendum* tum *sive* hinc *vel simile*. promontorium *cdd.*, *ut vid.* 20 portum *Carrio*, portam *cdd. Gellii et Macrobii*. — sex — inde *Macr.*, exinde *Gellii libri*, *qui et* Salternum. 21 huic *V.* — Silari ad *docti*, *libri* ad Silari. 23 Bruttace *Mon.*, *vet. lib. Dan.*, *rel.*, *exc. quod est* Brutate *in Paris.* 7988. 24 sira *Lugd. Sang.*, syria *Halberst.* 25 pelobis, *mutat. in* pelopis *L* 1.

XX [XVIII, 3] u

nam mel regionibus illis
incrustatu' calix, rutai caulis habetur.

XXI [25] x

crebrae ut scintillae, in stricturis quod genus olim
ferventi ferro.

XXII [g] y*

mantica cantheri costas gravitate premebat.

XXIII [inc. 93] z*

Apulidae pe[dibus stlembi] ⏑⏑–⏑⏑–⏑

XXIV [II, 11] aa

succusatoris, taetri tardique caballi.

XX Porphyr. ad Hor. sat. I, 3, 56 sincerum cupimus vas incrustare: incrustari (incurtari vet. lib. Dan.) vas dicitur, cum aliquo vitioso suco inlinitur atque inquinatur, secundum quod et Lucilius in III saturarum ait. — quidam Acronis libri (quot sint haud facile dixeris) i. v. d., c. a. v. s. i. et i., s. q. e. L. in quarto satirarum (i. q. s. Paris. 7975 saec. XI; libr. XVIII tribuunt ed. Fabric. et Cruquii et auctarium Dousae; ceterum illa: secundum quod e. q. s. om. cd. Guelf. Acr.). XXI Non. 21, 10 stricturae dicuntur proprie scintillae quae de ferro ferventi eunt, quod aut stricte emittantur id est celeriter, aut quod oculos sui fulgore praestringant (perstringant libri). Vergilius — Lucilius satyrarum lib. III. XXII Porphyr. ad Hor. sat. I, 6, 106 mantica cui lumbos onere ulceret: mantica pera est. sed hoc ex Luciliano illo sumptum est (l. III adscr. Dp). XXIII Festus 313 [stlembus] gravis tar[dus sicut Lucilius] ... Apulidae pe[dibus stlembi dicit] cum refer[t equum pigrum et tardum]. Paulus 312 stlembus gravis, tardus, sicut Lucilius pedibus stlembum dixit equum pigrum et tardum (ad l. III rettulit M). XXIV Non. 16, 27 succussare (succusare L 2) est susum frequenter excutere. Accius — Lucilius satyrarum lib. IIII. — Idem 86, 14 caballus Lucilius lib. II (l. III tribuit M).

---

27 *in tribus libris Blandiniis scholion Acronis legebatur h. m.*: nam mel regionibus illis incrustatus calix rucia. — vel *auctarium Dousae.* 28 incurtatus *ap. Porph. vetus liber Danielis.* — calex *Par.* 7975 *Acr.* — rutai *M*, rutia *Paris.* 7975 *Acr.*, rucia *tres Bland.*, ruta *libri Porph.* — caulis habetur *non extat ap. Acr.* — habet *vet. lib. Dan.* — ruta caulique bibetur *auct. Dousae.* 31 cantheri *v.*, canthari *Mon.*, *vetus lib. Danielis*, *Bern.*, *Guelferb.* 32 equum pedibus stlembum *D*; stlentum *Sc.* 33 tardi rariquc *cdd.* 16. — succusatoris [s m. 2] *L* 1 *m.* 1 *pg.* 16, succussatoris *ib. G*; 86 succusatori *G*, *L* 1, succusator *Bamb.* — tetri *G.* — *ib.* caballo *m.* 1 *L* 1.

XXV [8] bb

porro homines nequam, malus ut quartariu' cippos,
collisere omnes ⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑

XXVI [inc. 96] cc*

terra abit in nimbos imbremque ⏑–⏑⏑–⏑

XXVII [14] dd*

tertius hic mali superat carchesia summa.

XXVIII ee*

–⏑⏑–⏑⏑– decumanis fluctibus –⏑

XXIX [190] ff*

–⏑⏑–⏑⏑ ore salem expiravit amarum.

XXX gg*

–⏑⏑– tantus conduxerat omnia torpor.

XXV Festus 258 quartarios appellabant antiqui muliones mercennarios, quod quartam partem quaestus capiebant. Lucilius (l. III trib. Dp). XXVI Varro d. l. l. V, 24 humor hinc (ab eo quod est humus); itaque ideo Lucilius (ad l. III rettulit M). XXVII Non. 546, 20 carchesia (carthesia L 2) genera poculorum — alias summa pars mali id est foramina quae summo mali funes recipiunt. Lucilius tertio (tertio add. M). XXVIII schol. Lucani Bernensia pg. 183 ed. Lipsiensis: decimus fluctus. decimus; huc usque numerus crescit, dein revolvitur. decimus ergo magnus, ut Lucilius (Lucilius ed. Lipsiensis, lucius cd.; ad l. III rettulit M). — Paulus 71 decumana ova dicuntur et decumani fluctus, quia sunt magna; nam et ovum decimum maius nascitur et fluctus decimus fieri maximus dicitur. XXIX Probus de nomine gr. lat. IIII, 209 ubi agitur de vocabulo quod est sal masculino: ut apud Lucilium. — explan. in Donat. gr. lat. IIII, 542 sal masculini generis est. Lucilius (Lucius cod. Lavantinus m. 1). — idem frgm. ex Probi codice profert Hieron. Columna in ed. Enn. rel. 179 ed. Neap. (huc rettulit M).
XXX Non. 229, 2 torpor generis masculini. Lucilius tertio (Lucilius Rothius, Lucretius codd.; ad III rettulit M. — haec verba apud Lucr. post VI, 1195 ed. Lachm. reponenda statuit Weilius in diariis antiquariis a. 1847 p. 311; si rescripseris conduxerit posse collocari in lacuna quam statuit post v. 839 libri eiusdem censet Lachmannus comm. p. 399).

34 *comma ante illud* cippos, *non post, male pon. D.* 35 collisere *Scal.* colligere *cd.* 36 abit *Augustinus*, abiit *Fl.* — imbresque *edd. veteres Varr., Dousa.* 37 tertio: hic *Basil. et ita Dp.* — hic; *fortasse* heu. — carthesia *L* 2. 38 decumanis *M ex Paulo;* decimanis *v.* 39 expiravit *Columna;* expiavit *cdd. Bobiensis et Lavantinus.*

XXXI [inc. 10] hh*

armamenta tamen, malum, velum, omnia servo.
funis enim praecisu' cito adque anquina soluta.

XXXII [inc. 11] ii*

huc catapeiraten puer eodem deferat unctum,
plumbi pauxillum rudus linique mataxam.

XXXIII kk**

–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑– prymnesiu' palus.

XXXIV [16] ll

–⏑⏑ et spatium curando corpore honestum
sumemus.

XXXV [34] mm

–⏑⏑–⏑⏑– scindunt hi ligna bipenne.

XXXVI [32] nn

malas tollimu' nos ⏑⏑– adque utimu' rictu.

XXXI Non. 536, 6, anquinae (ita Iunius, anchorae cdd.), vincla quibus antemnae tenentur. Lucilius (ad l. III rettulit Vargesius). XXXII Isid. or. XVIIII, 4, 10 catapeirates (ita M, catasiorates Guelf., paratem m. 2 catapioratis (e) Sang., cataportantem Mon.) linea cum massa plumbea, qua maris altitudo temptatur. Lucilius. — Festus 265 rodus vel raudus — vulgus quidem in usu habuit — pro aere imperfecto, ut Lucilius, cum ait plumbi e. q. s. (l. III adscripsit Vargesius). XXXIII Paulus 224 prymnesius (prymesius Guelf., primesius Mon.. perimesius L 116) palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonsillam dicunt. — haec cum finem hexametri efficiant propter vocabulum Graecum Lucilio quam Ennio tribuere maluimus et sunt, ni fallor, ex libro III. XXXIV Non. 396, 12 sumere etiam significat eligere. Lucilius satyrarum lib. III. XXXV Char. 55 Lucilius III — idem in eodem ligna pluraliter dicit. XXXVI Non. 455, 32 rictum ferarum dici volunt, cum Titinius auctor sit etiam hominis dici debere — item Pomponius — Lucilius satyrarum lib. III.

---

41 velum *M* 129, vela *al.*, vel *cdd.* 42 adque *L* 1 *m* 1, atque *rel.* — anquina *Iun.*, anchora *libri.* 43 huc *Mon.*, hunc *Guelf.*, hanc *Sangerm.* — catapeiraten *M*, *Franckenius II*, 61, cataporatem *Sang.*, cataportem *Guelf.*, cataportantem *m.* 2 cataparatem *Mon.* — pueri eodem *Sang.*, puero dedit *Mon.* — deforet unctum *Guelf.*, foret unctum *Mon.*, defore eum (t m. 2) *Sang.* 44 paucillum *Sang.* pacillum (u) *Mon.*; paxillum *cd. Festi.* — rodus *idem*, rudis *Mon.* — linique *Sang.*, *cd. Festi*, lineque *Guelf.*, lineaque *Mon.* — metaxant *superscr.* mataxam *m.* 2 *Mon.*, matexam *lib. Festi.* 46 onestum *L* 1. 48 scindunt *vel* findunt *M*, student *v.* — bipenne *M*, videte *Neap.*; videre *v.* 49 atque *G*, *L* 1 *m.* 2. — utimu' *M*, utimur *v.*

XXXVII [35] oo.

— et pulvino fultus ⏑⏑–⏑⏑–⏑

XXXVIII [29] pp

vertitur oenophoris fundus, sententia nobis.

XXXIX [31] qq

–⏑⏑ exhalas tam acidos ex pectore ructus.

XL [inc. 37] r*

et pedibus laeva Sicyonia demit honesta.

XLI [inc. 27] ss*

–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑ lectum
perminxi inposuique pudendam pellibu' labem.

XLII [19] tt

e somno pueros cum mane expergitu' clamo.

XXXVII Leidens. 80 Servii ad ecl. 6, 53 ille latus niveum molli fultus hyacintho: apud veteres unusquisque eo super quod iacebat fultus dicebatur. Lucilius in tertio. XXXVIII Non. 173, 14 sententia sensibilitas. Lucretius — Lucilius satyrarum lib. III. — Consentius 2026 postquam de genere verbi quod est vulgus egit: simile est fundus. Lucilius dixit. — Isid. I, 35, 3 zeugma est clausula, cum plures sensus uno verbo clauduntur — in primo ut. id. XX, 6, 1 oenophorum vas ferens vinum — de quo est illud. — ex Isidoro petita sunt quae habet schol. Pers. 5, 140 et oenophorum aptas: o. v. v. f. — d. q. e. i. XXXIX Non. 164, 30 ructus a ructando dictus. Plautus — Lucilius satyrarum lib. III. XL Paulus 337 Sicyonia genus calciamenti. Lucilius (l. III tr. M). XLI Porph. ad Hor. sat. I, 6, 22 hoc scilicet inde sumptum est, quod veteres (quod ductores v.) in pellibus dormirent, cuius rei et Lucilius testis est (l. III adscr. Franck. II, 38). XLII Diom. 372 sed expergitus dicitur, qui satiatus somno sponte evigilat, unde et Lucilius ait [ego] e somno e. q. s. — Priscianus 888 quamvis vetustissimi etiam expergitus dice-

---

51 oenophoris *Paris. et Mon. Is. I*, 35 *et ut videtur Sangerm. XX*, 6 (*in Guelf. dest hoc caput*); oenoforis *Non.;* enofori *Mon. Is. XX*, 6, enoffori (*sed* f *linea inducta deletum*) *Guelf.*, enofori *vel* cenofori *libri Consent.* — *in Persii scholiis fertur* vertitur oenophori; *sequentia verba ibi primis litteris indicata; totum scholion omittit Monacensis.* 52 tam *M*, tum *cdd.* — accidos *G.*
53 leva *L* 116. — *id.* Sicimonia. 54 lectum perminxi imposuique pudendam *Dp*, per mihi' lectum inposui pedem *cdd.* 56 ego *quod e proximo* eso *ortum*, *uncis inclusit Keilius*, *om. cdd. Prisciani;* ergo *v. ap. Diom.* — esono *Halberst.*, sompuo *Lugd.* — puteros *Par.* 7434; puero *Mon.; idem* cui. — expergitos *ex eo quod est* expergitus *ut vid. Carolir.* — clamas *Prisc.*

XLIII [20] uu

cernuos extemplo plantas convestit honestas.

XLIV xx**

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ aristophorum vas.

XLV [28] yy

Tantalu' qui poenas ob facta nefantia pendit.

XLVI [l. III in.] a

Porph. ad Hor. sat. I, 10, 51 plura quidem tollenda relinquendis. age, quaeso: *** ordo est (om. ordo est Mon.) 'tragici Acci nihil mutat Lucilius?' et hoc interrogativa figura cum ironia quadam pronuntiandum, quia ex contrario intellegendum est. comis autem Lucilius propter urbanitatem dicitur et 'mutat' pro eo quod est 'emendat' positum est. facit id (om. cdd.) autem Lucilius cum alias tum vel maxime in tertio libro. meminit et (et add. Paris. 7988, om. Mon.) VIIII et X.

XLVII [cf. inc. 113] b*

sparsis hastis longis campus splendet et horret

* * *

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ horret et alget.

XLVIII [30]

illud ad incita cum redit atque internecionem.

bant. Lucilius in III (in III om. Sang.). XLIII Non. 20, 33 cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat. Lucilius satyrarum lib. III (haec in G infra add. m. 1). XLIV Paulus 27 a. v., in quo prandium fertur ut discus. — illa quae sunt a. v. cum aperte finem hexametri efficiant, Lucilio qui plurimus fuit cenis et comissationibus describendis tribuimus; et potuit habere locum l. III. XLV Non. 489, 14 nefantia pro nefanda (n. p. n. om. G). Lucilius satyrarum lib. III (ita L 1, Iun.; VI Bamb., L 2, edd. ante Ald.; IIII G, Me). XLVII Serv. ad aen. XI, 601 tum late ferreus hastis horret ager: horret terribilis est; et est versus Ennianus, vituperatus a Lucilio dicente per inrisionem eum debuisse dicere h. e. a. unde Horatius de Lucilio: non ridet versus Enni gravitate minores. — Ennii ex Scipione versus, quem quin libris suis inseruerit Lucilius vix dubium, legitur ap. Macr. sat. VI, 4, 6 adscriptus ad Vergilii illud quod supra posui. XLVIII Non. 123, 20 incitas dicitur egestas. Plautus — idem — Lucilius satyrarum lib. III.

---

57 cernuus *libri*. 59 *post* nefantia *illud* poenas *iterant cdd.*, *om. Ald.* — luit *pro* pendit *in edd. priscis*, *unde* luvit *scripsere Turnebus*, *Dousa*. 62 illud/. [/. ad] *G.* — redit *Iunius*, rediit *cdd.* — a[t]que *L* 1.

XLIX [23]

Romanis ludis forus olim ornatu' lucernis.

L [26]

non peperit, verum postica parte profudit.

LI [24]

Symmachu' praeterea iam tum depostu' bubulcus
expirans animam pulmonibus aeger agebat.

LII [IIII, 18]

tu partem laudis caperes, tu gaudia mecum
partisses.

LIII [22]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ille alter abundans
cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se.

LIV [36]

Char. 197 ut pote Lucilius III * * * Plautus vero in Poenulo et pro verbo posuit.

XLIX Non. 206, 14 forum generis neutri; masculini Lucilius lib. III. — Char. 55 quamvis Gellius fora navium neutraliter dixerit et Lucilius negotiorum forum masculine extulerit libro III forus e. q. s. L Non. 217, 14 posticam feminino genere consuetudine appellamus. Lucilius satyrarum lib. III. LI Non. 279, 17 deponere est desperare; unde et depositi desperati dicuntur. Lucilius satyrarum lib. III (lib. IIII B). — idem 38, 26 expirare dictum est vel ab spiritu effuso vel ab spiraminibus. Lucilius lib. III expirans e. q. s. LII Non. 475, 20 partiret (ita v., cdd. partire) pro partiretur. Afranius — Lucilius lib. III (IIII ed. a. 1480). LIII Donatus ad Ter. Phorm. I, 3, 11 amore abundas, Antipho: abundare dicitur qui successu prospero adfluit. Lucilius libro III. — schol. Iuv. ad 3, 158 pinnirapi — aut ideo pinnirapi, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucilius: cum e. q. s. LIV lacunam

---

63 lacernis *Putschius*, *D*. 64 verum *Bentinus*, virum *cdd.* — profundit *idem*, profudit *docti*. 65 Simmachus *B*, Simacchus, *mut. in* Simmachus *G*, Symmacus *L* 1. — depostu' *v*, depositus *libri*. — *idem* 279 exalans (*ex illo* examinans *corr. in G*), exhalans.
68 partissis *Bamb. et m.* 1 *L* 1. 70 in locum his pinnis *ms. Lindenbrogii;* in locum hispanus *edd. princ.*, *Rom.*, *Ven.* — pinnis *om. Pith.*, *in quo recenti manu est add.*, *cum Sang.* — *pro illis* redit ac recipit se *in edd. princ.*, *Rom.*, *Ven. haec sunt* r. a. r. p.

[LV] [27]

[conturbare animum potis est quicumque adoritur]

LIBER IV.

I [IV in.] a

schol. Persii ad III, 1: hanc satyram poeta ex Lucili (Luci Monac.) libro (Lucilio libri Bern. 265 pg. 62 adv.) quarto transtulit, castigantis (castigans Mon., Bern., ed. pr.) luxuriam et vitia divitum (luxuriam hominum, maxime divitum Bern.).

II [1] b*

o lapathe, ut iactare nec es sati' cognitu' qui sis!
in quo Laeliu' clamores σοφὸς ille solebat
edere, conpellans gumias ex ordine nostros.

III [1] c*

o Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit,
cenasti in vita numquam bene, cum omnia in istà
consumis squilla atque acupensere cum in decimano.

IV [1 not.] d*

Acr. ad Hor. sat. II, 2, 47 sq. Gallonius quidam fuit praeco, qui habebat apparatum convivium: quem Lucilius etiam pulsat. hic iam acipenserem suis conviviis exhibebat.

indicavit Keilius. [LV] Priscianus 880 orior oreris et oriris — Virgilius — Lucilius in III (in III om. Sang., III ex IIII corr. Halb., tertio Lugd., VII. Par. 7496 m. 2).

II Cic. de fin. II, 8, 24 nec ille — Laelius eo dictus est sapiens, quod non intellegeret, quid suavissimum esset (nec enim sequitur, ut, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus), sed quia parvi id duceret. III Cic. de fin. II, 8, 24 praeclare Laelius, et recte σοφός (sophos cdd.), illudque

---

71 animum *Vargesius,* animam *scripti.* — adoratur (i *m.* 2) *Par.* 7496.

1 nec es satis (satis *iam alii*) *Lchm. comm. Lucr.* 29, ne cessatis *Vat. Pal.* — cognitu *libri.* — quis *Erlang.* 2 Laeliu', coguitu Laelius *Vat. Pal.* — sophos *scripti.* 3 compellans *cdd.* — guimas *Pal., Erlang.* 4 miseri *Pal. et m.* 1 *Vat.* 5 cęnasti *Vatic.*, cenastis *Pal.* — isto *Vat.* 6 cum sumis *id m.* 1. — acupensere *M*, accubans aere *cd. uterque:* acipensere *v.* — in *add. Lamb.* — decimacio *Pal.*

V [6] e*

occidunt, Lupe, saperdae te et iura siluri.

VI [2] f α*

quod sumptum atque epulas victu praeponis honesto.

VII [inc. 135] β

– ⏑ anu noceo ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

VIII [8] g*

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – bene cocto et
condito sermone bono et, si quaeri', libenter.

IX [inc. 134] h*

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – Fanni centussi' misellus.

X [inc. 133] i*

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ legem
vitemus Licini ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

vere. V Varro d. l. l. VII, 47 apud Lucilium quei thynno e. q. s. — et. VI Gellius IIII, 16, 5 sqq. set non omnes concedunt in casu dativo senatui magis dicendum quam senatu. sicuti Lucilius in eodem casu victu et anu dicit, non victui nec anui, in hisce verbis (versibus cdd.). — Non. 501, 23 ablativus pro dativo. Lucilius (om. Bamb. — ad librum IIII hoc fr. ut II. III. IV. V rettulit Dp). VII Gell. IIII, 16, 6 Lucilius in eodem casu (dandi) victu et anu dicit — in hisce verbis — et alio in loco a. n. inquit. VIII Cic. ad Att. XIII, 52, 1 itaque et edit et bibit ἀδεῶς et iucunde; opipare sane et apparate; nec id solum sed. — id. de fin. II, 8, 24 ex quo illud efficitur qui bene cenent omnis libenter cenare, qui libenter non continuo bene. semper Laelius bene. quid bene? dicet Lucilius: cocto, condito, sed cedo caput cenae: sermone bono. quid ex eo: si quaeris, libenter [ad l. IIII rettulit Dp]. IX Gell. n. a. II, 24, 4 hanc (Fanniam) Lucilius legem significat, cum dicit. — Macrob. sat. III, 17, 5 Fannia autem etiam sumptibus modum fecit assibus centum, unde a Lucilio poeta festivitatis suae more centussis vocatur (ad l. IIII rettulit M). X Gellius II, 24, 10 Lucilius quoque legis istius (Liciniae) meminit in his verbis (ad l. IIII

7 Lupe saperdae te *Turnebus*, lupes aper de te *Flor.*

8 sumptu *V.* — adque (t *supra* d) *L* 1. — dictu *G*, *L* 1, dictum *Bamb.* — praepones *libri Nonii.* — honestos *idem* 12 sillus *pro* misellus *palimpsestus Palatinus*, *cuius folium quoddam hic incipit.* 14 Licinii *PR*, Lucilii Licinii *V.*

XI [10] a

Aeserninu' fuit, Flaccorum munere, quidam
Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque;
cum Pacideiano componitur, optimu' multo
post homines natos gladiator qui fuit unus.

XII [11] b*

occidam illum equidem et vincam, si id quaeritis, inquit:
verum illud credo fore: in os prius accipiam ipse,

rett. M). XI Non. 393, 25 spurcum saevum vel sanguinarium. Afranius — Lucilius satyrarum lib. IIII (satyr. l. IIII om. A). — idem 257, 14 conponere rursus significat conparare. Accius — Lucilius satyrarum lib. IIII Samnis e. q. s. — Cic. de opt. gen. or. 6, 17 a me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur, Aeschines tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius, non spurcus homo sed acer et doctus cum Pacideiano hic componitur, optimus longe post homines natos. — idem Tusc. disp. II, 17, 41 quis mediocris gladiator ingemuit, quis vultum mutavit umquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset ferrum recipere iussus collum contraxit? — ergo hoc poterit Samnis — locoque. — idem ad Quintum fr. III, 4, 2 Pompeius, si Gabinium accusassem, in urbem introisset; ad inimicitias res venisset; cum Aesernino Samnite Pacideianus comparatus viderer. auriculam fortasse mordicus abstulisset. — id. orat. 48, 161 quin etiam, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum quorum eaedem erant postremae duae litterae quae sunt in optumus postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi. ita enim loquebamur: 'qui est omnibu' princeps', 'non omnibus princeps' et 'vita illa dignu' locoque', non dignus. — Quintil. inst. or. VIIII, 4, 38 nam neque Lucilium putant uti eadem (s littera) ultima, cum dicit 'Aeserninus (sic de Luc. lib. VIIII pg. 40 Schmidtius, serinus Ambros. Bamberg., serenus Mon., servus Argentor.) fuit' et 'dignus locoque.'
XII Cic. Tusc. disp. IIII, 21 sed in illo genere (gladiatorum) sit sane Pacideianus (Pacidianus vel Plac. cdd.) aliquis hoc animo ut narrat Lucilius. — cd. Paris. 7929 Serv. ad aen. XII, 646 usque adeone mori

---

15 Aeserninus *docti ex Cicerone*, Asaninus *L* 1, Asernius *B*, Aserninus *G*, *A*, *qui praeterea haec tantum habet* Flacco fuit quidem Samnis spurcus homo. — Flacchorum *L* 1, *Gen.*, *non B*, Flaccoram (h) *G.* — munere quidam *Turn.*; unae quidam *G*, *L* 1; una equidem *Gen.*, *B.* (er *m.* 2)
16 illa, ista *libri Non.* 257. — homo se *idem ib. pro* domoque; 393 *B* locoquae. 17 Pacedeiano *libri Non.* 393; Pacideiane *idem* 257, *ubi tamen in G prius fuerat* Pacedegane; Pacideiano *ut vid. cdd. in opusculo d. opt. gen. or.* — hic *quod legitur ib. quidam putarunt esse Lucilii; sed est adverbium.* — componitur *G utr. l.*; ponitur *B* 393. — longe *Cicero.* 18 natus *cdd. Non.* 393. 19 id *secludendum existimat Franckenius I*, 22.

quam gladium in stomacho furi ac pulmonibu' sisto.
odi hominem, iratus pugno; nec longiu' quicquam
nobis, quam dextrae gladium dum accommodet alter.
usque adeo studio atque odio illius ecferor ira.

XIII [12] c*

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – quamvis bonus ipse
Samnis in ludo ac rudibus cuivis satis asper.

XIV d**

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ murmillonica scuta.

XV [22]

cumque hic tam formonsu' tibi ac te dignū' puellus.

XVI [23]

subicit huic soldum, fulmentas quattuor addit.

XVII [16]

haeret verticulis adfixum in posteriore
parte atque articulis; nam ut nobis talu' genusquest.

miserumst: — et quidam hoc verbum reprehendunt 'usque adeone', melius dici 'usque adeo' (adeo Par.). — Lucilius IIII (ita M, septimo cd.) usque e. q. s. XIII Cic. de or. III, 23, 86 magister hic Samnitium summa iam senectute est et quotidie commentatur. nihil enim curat aliud. at Q. Velocius puer addidicerat. sed quod erat aptus ad illud totumque cognorat, fuit ut est apud Lucilium (l. IIII tribuit XII, XIII Dp). XIV Paul. 144 myrmillonica (murmilionica L 116) scuta dicebant, cum quibus de muro pugnabant. erant siquidem ad hoc ipsum apta. — haec verba quae non quod Paulus inepte dicit sed gladiatorum scuta significant, Lucilio qui multus fuit in horum pugnis describendis et cuius licentiae metricae convenit breviata ante sc 'a' visum est adscribi. XV Non. 158, 14 puellos pueros. Varro — Lucilius satyrarum lib. IIII. — Prisc. 697 ubi agit de vocabulo puellus: Plautus — Lucilius in IIII (VII. Sang.). — Fest. 249 puelli per deminutionem a pueris dicti sunt. itaque et Ennius ait — et Lucilius. — ex Prisciano sine libri nota affertur hic v. in grammaticis excerptis cod. Bern. 207 pg. XXVI ed. Hagen. XVI Non. 206, 23 s. v. fulmentum — Lucilius lib. XXVIII — et lib. IIII. XVII Non. 207, 25 genu — masculini. Lucilius satyrarum lib. IIII. — Fest. 371 (79 Moms.) verticulas Ateius articulos dixit ...... cum ait Lucilius, intellegi voluit vertebras; Paul. 370 verticulas cum dixit Luci-

---

21 furi *Tischerus*, suria *Gud.*, *Paris.*, *Brux.*, furia *alii.* — pulmonibusisto *superscr. m.* 2 *ut vid.* s *Gud.* 23 vobis *Gud.*, *Par.*, *om. Brux.* 24 ecferor ira] efferoris *cd. Serv.* 28 tam *om. Amien.* — formonsus *L* 1 *m.* 1, *rel.* formosus. — tibi *Non.*, homo *Fest. et Prisc.* homo apte *Bern.* 207. 29 subicit *Salmasius*, sucit *cdd.* — soldum *M*, fuldum *scripti.* 30 heret verticulum *L* 1. — affixum *G.* 31 nobis *v.*, novis *cdd.*

XVIII [20]

longior hic quam grus grege concita cum volat olim.

XIX [19]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ne agitare manu tu
pessulum et hunc vectem possis. cuneost opus ipso.

XX [14]

Tisiphone Tityi e pulmonibus adque adipe unguen
excoctum attulit Eumenidum sanctissima Erinys.

XXI [21]

concursare et apros catulos fetumque ferai.

XXII [13]

quodsin ulla potest mulier tam corpore duro
esse, tamen, tenero manat quoi sucu' lacerto,
ei manus ubertim lactanti in sumine sidat.

lius, articulos intellegi voluit. XVIII Non. 208, 16 grues genere feminino. Vergilius — Lucilius lib. IIII. XIX Non. 231, 7 vectis generis masculini Lucilius satyrarum lib. IIII. XX Non. 427, 9 sebum et unguentum hanc habent diversitatem, sebum fit ex adipe ruminantium *** Lucilius satyrarum lib. IIII. XXI Non. 457, 8 catuli non solum canum diminutive, verum omnium animalium appellantur. Verg. — Plaut. — Lucretius — Lucilius satyrarum lib. IIII. XXII Non. 458, 3 sumen proprie a sugendo, nam et mulieris mammam sumen veteres dici volunt. Lucilius satyrarum lib. IIII (lib. IIII satyrarum L. 2).

---

32 grege *Dp*, grue *cdd.* — concita *M*, tota *libri*. 33 agitare *v.*, agitarem *cdd.* 34 pessulum *ed. Luc. Turic.*, pessulus *scripti.* — cuneost opus *M*, cuneis *v.* 35 Tisifone *cdd.* — Tityi e *M* 383 (Tityi *iam ed. Lucil. Turic.*), titene *L* 1, tinete *sed punctis add. mut. in* titene *G*, tecine *ms. Casauboni*, tinnete *ms. Victorinus.* — atque *G.* — adipe *ed. princ.*, adirem *cdd.* — unguen *ms. Iun.*, unguem *G*, *L* 1. 36 attulit *Iun.*, attuli *G*, atuli *L* 1. — Eumenidum *idem*, Eumenidibus *cdd.* — Erinys *M*, Erynis *scripti.* 37 concursare et *M*, concursaret *cdd. cum L* 2, *Bamb.* — apros *Sc.*, agros *libri.* — foetumque *L* 2, *Bamb.* — ferai *M*, ferat *scripti.* 38 quodsin ulla *M*, quodsi nulla *cdd.* 39 tenere *L* 2. — manat quoi *M*, maneatque *scripti.* — sucus *G*, *L* 1, succus *L* 2. 40 ei *M*, et *v.* — ubertim *M*, uberi *libri.* — lactandi *L* 2.

XXIIII [15]

adsequitur neque opinantem, in caput insilit, ipsum
conmanducatur totum conplexu' comestque.

XXIV]26]

obtursi ebrius _ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑

XXV [25]

_ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ qui edit sese, hic comedit me.

XXVI [17]

hi prae se portant ingentes munere pisces,
triginta numero.

LIBER V.

I [16] a *α*

macte inquam virtute simulque his versibus esto.

II [4] b *β*

si tam corpu' loco validum ac regione movaret,
scriptoris quam vera meat sententia cordi.

XXIII Non. 478, 33 conmanducatur. Lucilius lib. IIII. — idem 477, 5 manducatur pro manducat. Pomponius — Lucilius satyrarum lib. IIII. — idem 81, 9 comest pro comedit — Lucilius satyrarum lib. IIII conmanducatur e. q. s. XXIV Prisc. 870 turgeo tursi, tergeo tersi — Lucilius in XX — idem in IIII (in IIII om. Sang., in VIII Lugd., Carolir.). XXV Priscianus 893 vetustissimi tamen etiam edo edis edit dicebant, correpta prima syllaba. Naevius — Plautus — Lucilius (Lucius Halberst., Luc[li]ius Bern.) in IIII (VII Bamb., Bern.). XXVI cod. Par. 7929 Servii ad aen. X, 329 septem numero: Lucilius in IIII.
I Non. 341, 28 mactare est magis augere. Vergilius — Cicero — Accius — Lucilius satyrarum lib. V. — Parisinus 7929 Servii ad aen. VIIII, 638 macte nova virtute puer: macte (ita cd.) autem apud veteres etiam mactatus dicebatur — Lucilius lib. V. II Non. 173, 14 s. v. sententia — Lucilius satyrarum lib. III — idem lib. V.

---

41 assequitur *G utroque loco.* — nec opinantem *cdd.* 478. 42 conmandatum *Bamb.* 477, conmanducatum (*in G prius fuerat* conmanducandum) *ib. G*, *L* 1; conmanducatur *L* 1 81, 478, cōmanducatur *G* 81 *et* 478. — conplexu' comestque *om. cdd.* 477. — complexu' *M* 37, conplexum *scripti* 478, conplexa *idem* 81. — comestque *v.*, comisque *cdd.* 81, *om. id.* 478. 43 ebreus *Sang.*, *Lugd.*, *Carolir.*
44 sese *Fleckeisenus*, se *cdd.* 45 hi — ingentes *v.*, bi — mhigentes *cd.*, *fortasse* mi ingentes.
1 hic *libri Noniani.* — esto *om. Paris.* 7929. 2 mearet — meat *M*, maneret — manet *cdd.* 3 scriptoris *Dp*, scriptores *cdd.*

III [24] c *γ α*

_ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ interea stat sentibu' pectus.

IV [inc. 124] *β*

_ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ stat sentibu' fundus.

V [6] d *δ*

set nunc solu' mihi in magno merore metuque,
tristitia in summa, crepera re, inventu' saluti's.

VI [1] *ε*

quo me habeam pacto, tametsi non quaeri', docebo,
quando in eo numero mansti, quo in maxima nunc est
pars hominum ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑
ut periisse velis, quem visere nolueris, cum
debueris. hoc nolueris et debueris te
si minu' delectat, quod *τεχνίον* Eisocratiumst
*ληρῶδες*que simul totum ac *συμμειρακιῶδες*,
non operam perdo. si tu hic ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ⏑

III Non. 392, 2 **stat** etiam plenum est. **Lucilius** satyrarum lib. V. — haec ex Gellio petita, fit probabile lemm. 5 lib. VIII, ubi est: quid illud sit quod Vergilius caelum stare pulvere et quod Lucilius pectus sentibus stare dixit. IV Donatus ad Ter. Andr. IIII, 2, 16 stetisse hoc est esse, — aliter plenum est — aliter horret ut — et **Lucilius** (**Lucius** Paris.). V Non. 13, 15 **crepera res** proprie dicitur dubia. — Lucretius — Accius — idem — **Lucilius** satyrarum lib. V. VI Gellius XVIII, 8 *ὁμοιοτέλευτα* et *ἰσοκατάληκτα* et *πάρισα* et *ὁμοιόπτωτα* ceteraque huiusmodi scitamenta, quae isti *ἀπειρόκαλοι*, qui se Isocratios videri volunt, in conlocandis verbis inmodice faciunt et rancide, quam sint insubida et inertia et puerilia, facetissime hercle significat in quinto saturarum (**satyrarum** PR) **Lucilius**. Nam ubi est cum amico conquestus,

---

4 stat *L* 1, *B*, stet (a *supra* e) *G*. 5 sensibus *edd. princ.*, *Rom.*, *Ven.* 6 set nunc *M*, sannunt *G*, *L* 1. — solu' *Lchm. comm. Lucr.* 67, solis *cdd.* — metuque *add. Scal.* 7 summa *v.*, summo *scr.* — et crepera re *Lchm.*, c. in re *Sc.*, crepera *cdd.* — saluti's *Lchm.*, salutis *v.* 9 mansi *cdd.* — quę *V.* — non *cdd.* 10 *lacunam indicavit M.* 11 *post illud* visere *lacuna sex sive septem vel octo litterarum in O M.* — volueris, cum *V.* 12 *verba* h. n. e. d. *om. L.* 13 *τεχνίον Scal.*, atexuon et *fere scripti; in O* t *ex* d *factum*, *V habet* quod atex et. — eissocratium *R*, eissocraticum *L.* 14 *libri ferme* ΟΧΛΗΡΩΔΕCque, *sive* ΟΧΛΗΡΟΔΕCque; *in M* ΟΧΛΗΡΩΔΕCΟ, *in V ante* Ο *et* Ρ *rasurae* (*in altera* ⊦, *in altera* Δ), *corr. Scal.* — simultorum *P*, si multorum *V.* — symmiraciodes *vel* synmiraciodes *vel similia scripti.* 15 situ *L V*, siculi *P.*

VII a α**

decumana ova.

VIII β**

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – decumana Albesia scuta.

IX [17] b

deficit alma Ceres nec plebes pani' potitur.

X [26] c

Char. 73 (dici potest) et hic adipatus, quo intellegitur panis aut aliud quid et haec adipata, hoc est pars, et hoc adipatum, opus scilicet. nam et Lucilius V adipatam dicit feminino genere, sed ubi iungit pultem (pluten cd.).

XI [inc. 123] d*

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ anseris herbili' virus.

XII e*

— hic sunt herbae quas sevit Iuppiter ipse.

XIII [13] f

intubu' praeterea pedibus praetensus equinis,

quod ad se aegrotum non viseret, haec ibidem addit festiviter (festivitatem V). VII Paulus 71 decumana ova dicuntur et decumani fluctus, quia sunt magna. nam et ovum decimum maius nascitur et fluctus decimus fieri maximus dicitur. VIII Paulus 4 Albesia scuta dicebantur, quibus Albenses, qui sunt Marsi generis, usi sunt. haec eadem decumana vocabantur, quod essent amplissima. — haec cum aperte versus dactylici partem referant, Ennione an Lucilio potius sint tribuenda dubitari potest. tutius adscribentur huic, primum quia saepius occurrit apud eum adiectivum quod est decumanus (nam bis apud hunc, apud Ennium ne semel quidem reperitur), deinde quia a correpta ante s inpuram magis decet satiricum. IX Prisc. 881 s. v. potior: Lucilius (Lucius Carolir.) vero in V (v. i. V om. Sang., vero in II Halb., I Lugd., Carol.). XI cd. Leidensis 80 Servii ad georg. I, 121: nonnumquam pro foetore ponitur virus, ut apud Lucilium. — Paulus 100: herbilis anser herba pastus, qui gracilior est quam frumento altus. XII explan. in Donatum gr. lat. IIII, 542 'sero fruges' praeteritum tempus perfectum facit sevi, ut Lucilius (l. V trib. M). XIII Non. 208, 32 intiba generis neutri — masculini Lucilius satyrarum lib. V. — Char. 77 intiba neutro — sed et masculino genere frequenter a veteribus dictum est. nam Lucilius in V deridens (ita v., derident N) rusticam cenam enumeratis multis herbis. — Servii cd. quidam quo usus Burmannus (eius apographum a Momseno factum possidet Hagenus) ad georg. I, 120

18 defecit *Carol.* — plebis *Lugd.*, *Car.*, *Par.* 7496. — pani' *M*, panis *Lugd. Carol.*, pane *reliqui praeter Sang. in quo vocabulum omissum.* 20 erbae *Lavantinus*, *idem* Ioppiter. 21 intubus *L* 1 *m.* 1; intibus *G et Neap. Char.*, intybus herba *lib. Serv.* — pressus *id.*, perserpsit *N*, perscrpit *v. c. Dousae; an* perpressus?

XIV [14] g

flebile cepe simul lacrimosaeque ordine talae.

XV [12] h

lippus edenda acri assiduo cepariu' cepa.

XVI [23] i

– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – scutulam li
ligneolam in cerebrum inflixit ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑

XVII [27] k

fiscina fallaci cumulo ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑

XVIII [inc. 127] l*

– ⏑⏑ – ⏑⏑ – fici comeduntur et uvae.

XIX [3] m

sicut, cum primos ficos propola recentis
protulit et pretio ingenti dad primitu' paucos.

intyba pluraliter neutri generis, singulariter vero masculini ut Lucilius (ita v., cd. Lucius) in V. XIV Non. 201, 2 cepe generis neutri. Lucilius lib. V. XV Non. 201, 8 cepe feminini. Lucilius lib. V. — Priscianus 681 antiquissimi in a quoque singulare feminino genere hoc cepe (v. recte) protulisse inveniuntur. Naevius — Lucilius (Licilius Sang. Lugd.) in saturarum VI. — ex Prisciano, sed citra libri numerum, adfert hoc frgm. auctor anonym. artis, quae prostat in cd. Bernensi 123 saec. X pg. 106 ed. Hagen. XVI Prisc. 618 et sciendum quod pauca inveniuntur diminutiva, quae non servant genera primitivorum, ut — scutum [vel scuta] scutula scutella: Lucilius (Lucius Carolir., Paris. 7496 et a pr. m. Halberst.) in V (VI Bamb.). XVII Leidens. 80 Servii ad georg. I, 266: fiscina genus est vasis i. e. corbulae brevis quas perferunt qui arbusta vindemiant. Lucilius in quinto. XVIII Char. 74 haec ficus et hae fici et has ficos facit; genetivus enim singularis huius fici, non huius ficus est; ut Lucilius 'f.' inquit e. q. s. — idem 103 fici Ennius — et Lucilius 'f.' inquit etc. (ad l. V rettulit M). XIX Non. 154, 24 primiter pro prime et primitus pro primo (prime L 2). Pom-

---

22 cępe *L* 1. — talae *M;* tallae *Sc.*; talpae *cdd.* 23 edendo *Par.* 7496. — agri *L* 1 *m.* 1, *Amien.* — assiduo *Non.*, *ap. Prisc. fertur* assidue, adsidue, assiduae, adsiduae. — cępatum *Bern.* 123. — cęparius *Bamb.* — coepa *Lugd.* — cepa lacrimosa *Nonii cdd.* — *ante paenultimum vocabulum sive post ultimum quidam Prisc. libri addunt glosam variis modis depravatam* κϱομμυοπώλης. 24 scutulam *Dresd.*, *Erlangensis* 1 *Krehlii*, scutam *libri Hertzii.* — li *add. M;* scutellam *Corpetus.* 25 cerebrum *M*, cerebro *cdd.* — infixit *v.*, *corr. D.* 27 sicut *Lchm. comm. Lucr.* 106, siculi *v.* — primus *cdd.* 281. — propula *L* 1 *pg.* 154. 29 protulit, et *Iun.*, protuli item *scripti* (i. p. *L* 1) 154; pirotulit et id. 281 *excepto quod in B*, *Gen. legitur* recenti spirotulit. — dad, ad *cdd.* 154, dat *id.* 281.

XX [inc. 132] n*

asse duas ficos ⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑

XXI [inc. 114] o*

et vellis mappas? ⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑

XXII [inc. 114] p*

–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑– mantela merumque.

XXIII [15] q

urceus aut longus gemina mixtarius aure.

XXIV [VI, 21] r

a, ne da bibere ab summo! ⏑⏑–⏑⏑–⏑

XXV [19] a

postquam praesidium castris educere crevit.

XXVI [21] b

custodem classis, catapultas, tela, sareisas.

est, quod mancu' macerque, exilis, ramice magno.

XLV [18]

arripio et rostrum labeasque huic zopyriatim
percutio dentesque advorsos discutio omnis.

XLVI [29]

⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ipsa secet corio omnia lora.

XLVII [26]

scaberat, ut porcus contritis arbori' costis.

Lucilius satyrarum lib. VIIII. XLII Non. 19, 20 s. v. evannetur — Pomponius — Lucilius satyr. lib. VII — idem lib. VIIII (XI Iun.). XLIII Non. 67, 11 parectatoi (ita M, parectato hi G, L 1, paractato hi L 2, parettatoi Turic.) qui de pueritia veniunt ad pubertatem. a Graeco vocabulum sumptum. Lucilius lib. VIIII (lib. VIII Iun.).

XLIV Non. 166, 5 ramices (ramites L 1 m. 1) dicuntur pulmones (pamones L 1, L 2) vel hernia (ita v., cdd. hirnea, hirenea sed del. priore e G). Plautus — idem — Varro — Lucilius satyrarum lib. VIIII.

XLV Non. 455, 10 s. v. rostrum — Lucilius satyrarum lib. V — idem lib. VIIII. XLVI Char. 77 lora — prima syllaba — producta neutraliter e corio vincula, ut et Lucilius in VIIII (in VIII excerpta Cauchiana). XLVII Prisc. 884 similiter scabo scabi. idem Lucilius in VIIII.

---

70 crisabit *sive* crusabit *M*, cursavit *cdd.*, crissabitque *Dp.* 71 unde *L* 1. — parectatoi. hinc chlamydes (chlamydes *v.*) *M*, parectato ecalamides *G*, parectato ecalami *post ras. trium litterarum quae videntur fuisse* des *L* 1. 72 ἀρθριτικὸς *Franckenius I*, 40, apopititus *L* 1, apΘpiticus *Harl.*, apepititus *G*, arthriticus *v.* — ac podagrosus *Aldina*, as potagrosus *scripti.* 73 macerque *M*, miserque *v.;* macer *iam invenit Dp.* — ramite *m.* 1 *L* 1 *et sic ubique in exemplis huius lemm.* 74 labeasque *Bentinus*, labiasque *Dp*, labeat(d *L* 1 *m.* 1)que *libri.* — huic zopyriatim *Rothius* (huic *iam Westerhovius*, zopyriatim *Vargesius*), hoc zeferiat in *L* 1, hoc zeferiat inpercutio *L* 2, hoc zeferiatq in *G.* 76 secet *Lindemannus*, si se *cd.* 77 arbori' *M*, arbore *librarii Prisciani*, *et fortasse ipse grammaticus; cf. tamen nota ad V*, 9. — custis *Carolir.*

LIBER X.

I [X in.] a

videndum frgm. 46 l. III.

II [X in.] b

vita Persii de commentario Probi Valerii sublata 238 ed. Iahn.: mox ut a schola magistrisque divertit, lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere instituit, cuius libri initium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione ut etiam Neronem principem illius temporis culpaverit.

III [6] c

obrepsitque pigror, languor torporque vietus.

IV [5] a

fluctibus a ventisque adversis firmiter essent.

V [4] b

tonsillas quoque praevalidis sin funibus aptas.

VI [8]

inprobu', confidens, nequam, malus ut videatur.

III Non. 219, 10 pigror generis masculini. Lucilius satyrarum lib. X. IV Non. 512, 18 firmiter pro firme. Lucilius satyrarum lib. X. V Non. 234, 31 aptum rursum conexum et coiugatum (colligatum v.) significat. Vergilius — Accius — Lucilius (Lucius [li] L 1) satyrarum lib. X. VI Non. 262, 8 confidentia rursum temeritas, audacia. Pacuvius — idem (Lucilii nomen cum altero fragmento excidisse suspicatur

---

1 languor (langor *G*) *quod libri initio habent versus tertio loco posui.* — obrepsitque *Parisinus antiquiss. testante M. Hauptio in observationibus criticis pg.* 45; obressitque *G*, *L* 1. — pig[r]or *G*. — vietus *M*, quietus *Parisinus et G*, *sed in hoc radendo factum* quietis, quietis *L* 1. 2 ventisque *v.*, venentisque *L* 1, ven[en]tisque *G*. — adversis *v.*, aversis *cdd.* 3 tonsillas *Iunius*, consellas *cdd.* — praevalidis *vetus liber Dousae et ita Turnebus*, validis *L* 1, *Gen.*, *G*. — sin *M*, in *v.* — funibus *L* 1, *Gen.*, finibus *G*. 4 improbus *libri praeter L* 1 *m.* 1. — ut *add. M* 30.

VII [1]

honorumst
iudicium Crassis, sicut discribsimus ante;
hoc est: quid sumam, quid non? in quoque locemus?

VIII [3]

quamvis desubito trinis deducere scalis.

IX [2]

pone paludatos stabat rorariu' velox.

X [7]

'ne! quem in arce bovem discerpsi'! magnifice inquit.

LIBER XI.

I [7] a

conventus pulcher, bracae, saga fulgere, torques
induti magni.

II [15] b

huc ubi concessum pellesque ut in ordine tentae.

Mercerus) lib. X (X m. 2 add. in L 1, om. Gen.). VII Non. 396, 12 s. v. sumere — Lucilius satyrarum lib. III — Plautus — Lucilius satyrarum lib. X. VIII Non. 517, 13 desubito — Lucilius satyrarum lib. X. IX Non. 552, 31 s. v. rorarii. Lucilius satyrarum lib. VII — idem lib. X. X Don. ad Ter. Andriam II, 1, 24 ne iste haud mecum sentit: ne valde aut (haut Paris.) ut quidam volunt o quam. Lucilius in X.

I Non. 227, 33 torquem generis masculini. Lucilius satyrarum lib. XI. — idem 506, 14 fulgere correpta e (cdd. correpte) pro fulgere. Lucretius — Pacuvius — Accius — Lucilius satyrarum lib. XI (X L 2).

II Non. 181, 25 tenta dictum pro extensa. — Lucretius — idem —

---

5 bonorum est *Dp.* 6 sicut *M*, ut *cdd.* — discribsimus *M*, discribimus *v.;* descripsimus *Dp.* 7 *fortasse* locem res. 9 paludatos *M*, paludatus *cdd.;* paludatum *D.* — rerarius *G.* 10 ne *Paris.*, *ed. Rom.;* nae *ed. princ.*, *Ven.* — quem *om. Paris.* — arte *om.* in *princ.*, *Rom.;* 'ne quem in arce *ex libris scriptis legendum est' Faernus ad prol. Andr.* 17. — discerpsi *v.*, descripsi *Paris.*, *princ.*, *Ven.*, *Rōm.*

1 227 braces *cdd. praeter G*, *in quo est* braches. — torques induti magni *M*, torquem datis magni *libri* 227, torques magni *idem* 506. 3 huc *M*, hic *v.* — ordine *docti*, ordines *L* 1, ordinis *sed* i *in* e *mutato G.*

III [8] c

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ viai
sternendai iaciendum huc agerem et id genu' rudus.

IV [4] a

praetor noster ad hoc quam spurcu' sit ore, quod omnis
extra castra ut stercu' foras eiecit ad unum.

V [9] b

annos hic terra iam plures miles Hibera
nobiscum meret – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

VI [6] *α*

conicere in versus dictum praeconi' volebam
Grani.

VII [inc. 179] *β***

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ Granius autem
non contemnere se et reges odisse superbos.

VIII [inc. 169] *γ**

Cic. Brut. 43, 160 multae deinde causae (L. Crassi), sed ita tacitus tribunatus, ut nisi in eo magistratu cenavisset apud praeconem Granium, idque nobis bis (bis, ut ex priore vocabulo ortum, fortasse delendum) narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse.

Lucilius satyrarum lib. VI — **idem** lib. XI. III Non. 18, 17 **rudus** (**radus** L 2, fortasse **raudus**). IV Non. 394, 15 **spurcum** etiam fetidum. Plautus — Lucretius — idem — **Lucilius** lib. XI. V Non. 344, 27 **meret** militat. **Lucilius** satyrarum lib. XV — idem lib. XI. VI Gellius IIII, 17, 2 idem (Luc.) infra — in hac quoque primi verbi praepositione o ob eandem causam producunt. VII Cic. ad Att. VI, 3 tibi autem valde solet in ore esse '**Granius**' e. q. s. — idem ib. II, 8 ipse vero mirandum in modum **reges** o. s. (Luc. haec trib. Simeo Bosius).

---

4 viai *Me*, vim *cdd.* 5 sternenda et *idem*, sternendai *M.* — agerem *L* 1, aggerem *G.* — rudus *L* 1, rudis *G; fortasse* raudus. 6 praeter *fuerat in B.* — nrt *G.* — ad hoc *M*, adhuc *cdd.* (*L* 1 *m.* 1 athuc). — quem *B.* — sit *add. M.* 8 terra iam *Palmerius*, errat tam *G*, erratam *B*, erarat *corr. in* erabat tam *L* 1. — Hybera *Palm.*, hiberna *cdd. In G verba* tam pl. m. *infra addita m.* 1. 10 in; etiam *V; hinc illa* et iam *velut finis hexametri collocata ante id quod est* conicere *in edd. Gellii ante Hertzium. Ita et apud Dousam.* 12 Gravius *libri*, Granius *Corradus.*

IX δ*

Cic. Brut. 46, 172: ego memini T. Tincam Placentinum hominem facetissumum cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare. eon, inquit Brutus, de quo multa Lucilius?

X [5] α

Scipiadae magno inprobus obiciebat Asellus
lustrum illo censore malum infelixque fuisse.

XI [3] β

Luciu' Cotta senex, Crassi pater huiu' panaethi
magnu' fuit treico nummariu', solvere nulli
lentus.

XII [1] γ

Quintus Opimius ille, Iugurtini pater huius,
et formosus homo fuit et famosus, utrumque
primo adulescens, posterius dat rectiu' sese.

XIII [2] δ

Cassiu' Gaius hic operarius, quem Cephalonem
dicimu', sectorem furemque — hunc Tullius inquam
index heredem facit, et damnati alii omnes.

X Gellius IIII, 17, 1 **Lucilii** ex XI. (e exxı R) versus sunt — obiciebat o litera producta multos legere audio. XI Non. 22, 29 **tricones** morosi et ad reddendum duri. **Lucilius** satyrarum lib. XI — id est facilis. — Idem 338, 10 **lentum** facile. **Lucilius** satyrarum lib. XI. XII Non. 305, 25 unde et **famosum** dictum est infame. Terentius — Plautus — **Lucilius** satyrarum lib. XI. XIII Non. 276, 22 **damnare** est exheredare. **Lucilius** satyrarum lib. XI (**satyrarum lib. XI**

---

14 improbus *libri.* — improbu' Scipiadae magno *Lchm. comm. Lucr.* 413 *sine causa.* 16 Lucius *scripsit Gulielmius;* 22 Lucilius Cotta *L* 1, *G* Cotta, *et ita cdd.* 338. — *παναίθου Iun.,* Panaeti *Bentin., D;* paneci *G,* paceni *L* 1 *pg.* 22, 338 *lib. cum B, Gen.* pacem *et ib.* magnus trico (troico *B, Gen.*) fuit; trico *cdd.* 22. 19 opimus
h *m.* 2
cdd., corr. Turn. — Iugurtini *L* 1, Iugurtini *B, Gen.,* Iugurthini *G.* 20 formosus utrumq, *sed* utr. *punctis notatum L* 1. 21 dat *B,* da *L* 1, *G;* dare *Turneb.* 22 cefalonem *libri.* 23 sectorem *L* 1, *Gen.,* sextorem *G.* — furemque *Scal.,* Furiumque *cdd.* — quem *idem,* inquam *M.* 24 idex *B.* — facit, at *Scal., fortasse* fecit; damn. — *illa quae sunt posita ante* hunc *om. B.*

XIV [11]

nec mihi amatore hoc opu' nec tricone vadato.

XV [16]

— qui in latrina languet ⏑⏑–⏑⏑–⏑

XVI [13]

hice stricosu' bovinatorque ore inprobu' duro.

XVII [10]

inde venit Romam tener ipse etiam atque puellus.

LIBER XII.

I [2]

hunc iuga mulorum protelo ducere centum
non posunt.

II [3]

firmiter hoc pariterque tuo sit pectore fixum.

III [1]

huic hemini quaestore aliquo esse opus adque chorago,
publicitus qui mi adque e fisco praebeat aurum.

om. B). XIV Non. 8, 15 tricae sunt impedimenta et implicationes: et intricare (intricenare cdd.) impedire, morari: dictae quasi τρίχες, quod pullos gallinaceos involvant et impediant capilli pedibus implicati. Plautus — idem — Lucilius satyrarum lib. XI. XV Non. 212, 7 latrina (latrinas cdd.) genere feminino; et est lavatrina, quod nunc balneum dicitur. Lucilius lib. XI. XVI Gell. n. a. XI, 7, 9 at ille iactans et gestiens 'non enim Lucilium' inquit 'legistis qui tergiversatorem bovinatorem dicit.' est autem in Lucili XI (in Lucilio RB) versus. — Nonius 79, 25 bovinatores (boviatores G, L 1, bobiatores L 67, biviatores L 2) quos nunc malitiosos et tergiversatores dicimus. Lucilius lib. XI. XVII Prisc. 696 non est tamen ignorandum, quod etiam hic puerus et hic et haec puer vetustissimi protulisse inveniuntur et puellus, ut puella. Lucilius in XI.

I Non. 363, 5 s. v. protelo — Lucilius satyrarum lib. VI — idem lib. XII. II Non. 512, 18 s. v. firmiter: Lucilius satyrarum lib. X — idem lib. XII. III Non. 513, 2 publicitus pro publice. Lucilius saty-

---

25 amatore *Bamb.* (*et ita D*), amore *v.* 26 languet *Iunius*, languae *G*, lanq;[uae] *L* 1. 27 hice stricosus *M*, hic stricosus *sive* strichosus *libri Gellii;* hic sitricosus *G*, *L* 1. — boviatorque *eidem.* — imprebus *Gellii cdd. plerique cum G;* improbis *R*.

2 possunt *G*, *Gen.*, *B*. 3 probiterque *Gulielm.* 4 hemini[o m. 2] *L* 1; homini *rell.; an* huice mihi? — *cdd.* questore — corago. 5 mi *D*, mihi *scr.* 4. 5 adque[t] *L* 1, atque *rell.* — *libri* pisco, *corr. Gulielmius.*

IV [XV, 16]

rugosum atque fami plenum ⏑ ⏑ ⏒ ⏑ ⏑ – ⏑

V [5]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – quibu' fructibu' victus
me decollavi!

VI [7]

Diomedes 485: alii a (cdd. om.) vino arbitrantur (tragoediam nominatam), propterea quod (om. cdd.) olim *τρύξ* dictitabatur, a quo *τρύγητος* (trygetis vel similia libri) hodieque vindemia est, quia Liberalibus apud Atticos (add. scripti die festo Liberi patris, quae irrepsere verba ex loco superiore ubi legitur: Liberalibus die festo Libero patri ob hoc ipsum immolabatur) vinum cantoribus pro corollario (corellario Mon. m. 1, corellarios Par. 7494, colellario Par. 7493) dabatur, cuius rei testis est Lucilius in duodecimo.

VII [6]

assensus sum homini ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

VIII

hunc, siquid pueris nobis me et fratre fuisset.

rarum lib. XII (XV Bamb., L 2). IV Gell. VIIII, 14, 9 sic autem dies dii a veteribus declinatum est ut fames fami — M. Cato — Lucilius in XII (XV Stephanus). V Diom. 361 decollo decollavi: hoc verbum apud veteres decipio significat, ut apud Plautum — item Lucilius duodecimo — (post vocabulum ultimum quaedam lacuna hausta; in quibus num Lucilii fuerint verba incertum). VII Prisc. 802 assentio et assentior — in una eademque inveniuntur significatione. Cicero — Lucilius in XII. VIII Servius ad aen. II, 77 fuerit quodcumque: sane quodcumque vetusta voce mortem significari Lucilius docet in XII — hoc est si mors me vel fratrem oppressisset (nulla varietas lectionis in libro Casselano).

---

8 decollam *Par.* 7494. — fr. v. m. d. *M*, fr. m. d. v. *cdd.*, *om.* victus *edd. interpolatae cum D.*

LIBER XIII.

I [4] a

acribus inter se cum armis confligere cernit.

II [1] bα

aut forte omnino ac fortuna vincere bello.
si forte ac temere omnino, quid rursum ad honorem?

III [2] β

cui parilem fortuna locum fatumque tulit fors.

IV [XIIII, 11] a

et non, pauper utei, Samio curtoque catino.

V [XIIII, 9] b

nam sumptibu' magnis
extructam ampliter adque apte cum accumbimu' mensam.

VI [3] c

hoc fit idem in cena. dabis ostrea milibu' nummum
empta?

I Non. 261, 2 s. v. cernere — Lucilius satyrarum lib. V — idem lib. XIII (lib. XIII om. A). II Non. 425, 7 s. v. fors — Lucilius satyrarum lib. XIII — idem in eodem. III Non. 425, 7 fors et fortuna hoc distant. fors est casus temporalis, fortuna dea est ipsa. Accius — idem — Lucilius satyrarum lib. XIII. IV Non. 398, 24 Samium est testeum. Lucilius satyrarum lib. XIII (XIIII Iun.; s. l. XIII om. A) — M. Tullius de re publica lib. III et non pauper uti oratio. V Non. 511, 16 ampliter (ampiliter L 1). Lucilius lib. XIII (XIIII Iun.). VI Non. 216, 15 s. v. ostrea — Lucilius satyrarum lib. VIIII —

---

1 inter sese armis *D*, *qui haec notat: ita libro vetere monente rescripsimus; nam vulgo unicum* se *tantum vulgatur. — habet tamen Iunius id quod nos posuimus; neque varietatem editionum ullam annotant Basilienses.* 3 rursum *M*, cursum *libri.* — onorem *L* 1. 5 pauper utei *M* (pauper uti *docti ex loco Ciceronis*), pauperitiae *L* 1, *G*, *B;* pauperitie *A.* 6 magnus u *in* i *mutata G.* 7 ampliciter *idem ut* 513, 21, 22 aspiciter *pro* asperiter. — ambiter *L* 2, ambliter *Bamb.* — adque (t *m.* 2) *L* 1, atque *rel.* — apte *add. M.* — ampliter ac decumanam *Lchm. comm. Lucr.* 302. — mensa *scripti.* 8 ho *L* 1.

VII [XIIII, 10] d

idem epulo cibus atque epulai Iovis omnipotentis?

VIII [XXIII, 2] e

iucundasque puer qui lamberat ore placentas.

IX [5] f

– ⏑ ⏑ – primum dominia adque sodalicia omnia
tollantur ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

X [6]

adde Syracusis sola pasceolumque et alutam.

XI [7]

– ⏑ ⏑ unu' modo de multis qui ingenuos sit.

XII [VIIII, 11]

ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla.

idem lib. XIII. VII Non. 204, 17 epulum generis neutri est. feminini Lucilius satyrarum lib. XIII (XIIII Ald., Iun.) — qui versus utrumque designat. VIII Prisc. 884 lambo quoque lambi. Lucilius (Lucius Bamb., Lugd., Luci[li]us Carolir.) in XIII (ita M, in XXIII v., om. Sang.). IX Non. 281, 21 s. v. dominus — Lucilius satyrarum lib. VI — idem lib. XIII. — hinc Perottus c. cop. 110, 50 dominus qui convivium exhibet — unde et domina convivia nominantur. Lucilius. X Non. 151, 10 pasceolus ex aluta sacculus. Plautus — Lucilius lib. XIII. XI Non. 519, 2 s. v. pauci et multi — Lucilius lib. XIIII — idem lib. XIII. XII Philarg. ad georg. IIII, 25 (iners ponitur) et pro eo qui sine arte sit (fit Vat.), ut apud Lucilium (Lucillium Vat.) in tertio decimo. — cd. Bern. 172 Serv. ad aen. IIII, 158 iners proprie quid sit, Lucilius declarat.

---

10 ide (e *compuncto*) *L* 1. — epulai *M*, epulae *Lipsius*, epulatio *cdd.* 11 iocundasque *Bamb. et m.* 2 *Halb.* 12 atque *G*, *L* 1 *m.* 2. — domi[i]na *G*, domina *Perott.* — *fortasse scribend.:* — primum dominia adque sodalicia omnia tollant; *nam sequitur illud* Turpilius. 14 Seracusis *L* 1 *m.* 1. — pasceolumque et alutam *Dp*, pasceolum alutamen *G*, pasceolum aluta meu *L* 1. 15 ingenuos *M*, ingenio *cdd.* 16 perhibentur *Bern.* — erit; *ita Bern.*, est *Vat.*

LIBER XIIII.

I [8] a

ad regem legatu' Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem
ibo, cercyrum sumam.

II [inc. 60] b*

Carpathium Rhodus in pelagus se inclinat apreica.

III [inc. 61] c*

Carpathium mare transvectus cenabi' Rhodi iam.

IV [14] a

dilectum video studiose volgus habere.

V [5] b

non paucis malle a sapientibus esse probatum
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν!

VI [2] c

quin potius vitam degas sedatu' quietam,
quam tu antiquiu' quam facere hoc fecisse videris.

I Non. 533, 23 s. v. cercyrus — Lucilius satyrarum lib. VIII — idem lib. XIIII. II Porphyr. ad Hor. carm. I, 7, 1 Rhodon propterea claram quod soli sit obposita dicit, de qua (acqua Mon.) et Lucilius sic ait. III Philargyr. ad Verg. georg. IIII, 387 in Carpathio Neptuni gurgite: alii sic. Carpathium mare inter Rhodum et Alexandriam, quod nomen (om. cd.) habere (v. abesse) dicitur a Carpatho insula ut Lucilius (Lucillius Vat.). IV Non. 230, 17 vulgus neutro genere solum dici putant. Lucilius satyrarum lib. XIIII. V Non. 519, 2 veterum memorabilis scientia paucorum numerum pro (prae G, L 2) bonis (praeponis, sed m. 2 pro bonis L 1) ponebat; multos contra malos appellabant. Terentius — Accius — Lucilius satyrarum lib. XIIII. VI Non. 425, 32 antiquior melior. Varro — Accius — Lucilius lib. XIIII.

---

1 Etbatanam *libri*, *corr. Aldus.* 2 cyrcerum *L* 1, *L* 2, *G*, cercyrum *v.*, cercurum *Ald.* — summam *G.* — *in L* 2 *ab illo* cyrcerum *in Lucilii verbis ad id quod sequitur in Plauti versu aberratum.* 3 Carpathium Rhodus *docti*, Rhodus (Rodus *vet. lib. Dan.*) Carpathium *Mon.*, *lib. Dan.* — apreica *M*, apertum *v.* 4 Carphatium *Vat.* — Rodi *idem.* — iam *add. M.* 5 vulgus *cdd.* — abere *L.* 1 *m.* 1. 6 male *G.* — a sapientibus *M* 439, ac siasapientibus *G*, ac sasipientibus *L* 1 *m. pr.*, ac sisapientibus *L* 2 *et a m.* 2 *L* 1; ac sapientibus *v.* 7 καταφθιμένοισιν, HATAHOMENOICIN *fere cdd.* 8 vitam *v.*, vita *cdd.* — *idem* degat, degas *Iun.* 9 quam tu — videris *docti*, quantu — videaris *libri.*

VII [4] d α

naumachiam licet haec, inquam, alveolumque putare et calces. delectes te, hilo non sectiu' vivas.

VIII [XXIIII, 4] β

Char. 72: calx sive qua calcamus sive qua aedificamus feminini generis est, ut et Vergilius ait

ferrata calce fatigat.

set Lucilius in XIIII (N habet XIIII; ed. princeps XLIII; unde D XXIII) masculino genere dixit.

IX [12] a

cenam, inquî, nullam neque divo proseciam ullam.

X [13] b

num hilum quid satiat, quod manducamur in ore?

XI [19] c

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – macrosque palumbes.

XII [18] d

caseus alium olit ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

XIIII [16] a

quem metuas saepe, interdum quem utare libenter.

VII Prisc. 687 hilum enim pro ullum vetustissimi proferebant. Lucilius (Lucius Carolir. m. 1) in XIIII. IX Non. 220, 17 prosecta exta quae aris dantur, ex fibris pecudum dissecta, sunt generis neutri — feminino Lucilius lib. XIIII. X Non. 477, 5 s. v. manducatur — Lucilius satyrarum lib. IIII — idem lib. XIIII. XI Non. 219, 4 palumbes (palumbi cdd.) feminino. Vergilius — masculino Lucilius lib. XIIII. — Char. 82 palumbes Vergilius feminino genere dixit — sed Lucilius XIIII (XVI excerpta Cauchiana) masculine ‘m. p.’ — Id. frgm. affer. exc. orthogr. 2796. XII Char. 60 caseus masculini generis est ut Vergilius — et Lucilius XIIII. XIII Non. 481, 19 libertatem uti pro uti libertate. Titinius — Novius — Lucilius satyrarum lib. XIIII

---

10 naumachum *Bern. m.* 1. — haec licet *Carolir.* — albeolumque *Sang.*, *Lugd.* 11 dilectes *idem.* — sectius *M*, rectius *v.*
12 inquî *M*, inquin *L* 1, inquit *G.* — proseciam *M*, prosectam *cdd.* 13 num hilum *M*, cum illud *cdd.* — satiat *M*, faciat *v.* — manducatur *L* 2. 14 macorque *cod. Paris. exc. orthograph.* — palumbos *cd. Char.*, *D.* 15 alium olit *M*, ala mollit *sive* alumolliet *Neap.*, ala molis *v. c. Dousae.*

XIV [7] b

nonne Cato vetus ille lacessisse ausu' suos est,
appellari quod sibi consciu' non erat ipse?

XV [3] α

Publiu' Pavo' Tuditanus mihi quaestor Hibera
in terra fuit, lucifugus, nebulo, id genu' sane.

XVI [6] βα

si mihi non praetor siet additus atque agitet me.
nam male sic ille ut dico me exinterat unus.

XVII [cf. 6] β*

Servius ad aen. VI, 90 nec Teucris addita Iuno: inimica; est autem verbum (versus Paris. 7929) Lucilii et antiquorum.

XVIII [15] α

ipse ecu' non formonsu', gradarius, optimu' vector.

XIX [inc. 56] β*

qui campos collesque gradu perlabitur uno.

(XV L 2). XIV Priscianus 902 Caper tamen lacessi dicit esse ut facessi et profert exemplum Lucilii, quo usus est in XIIII — sed potest lacessisse per syncopam esse prolatum 'vi' syllabae ut cupisse petisse dicimus. XV Non. 18, 27 nebulones et tenebriones dicti sunt qui mendaciis et astutiis suis nebulam quandam et tenebras obiciant aut fugitivi quibus ad fugam et furta (v. aut q. a. f. fugitivis e. f.) haec erant accommodata et utilia. Pomponius — Lucilius satyrarum lib. XIIII. XVI Macrob. VI, 4, 2 nam quod ait 'nec Teucris addita Iuno usquam aberit', id est adfixa et per hoc infesta, hoc iam dixerat Lucilius in libro quarto decimo his versibus. XVIII Non. 17, 23 gradarius est molli gradu et sine succussatura nitens. Lucilius satyrarum lib. XIIII. XIX Apul. Flor. 99 Oud. hisce igitur ornamentis omnibus, qui volunt deviare ac vectorem sibimet equum deligunt diutinae fortitudinis, vivacis pernicitatis, id est et ferre validum et ire rapidum, qui e. q. s., ut ait

---

17 nonne Cato vetus ille *M*, num (nam *Sang.*) vetus ille Cato (Cato *om. Carolir.*) *cdd.* — ausu' suos est *add. M.* 18 sibi *vulgo in fine frgm. legitur, post* appellari *revocavit M.* 19 Pavus *libri.* — Tuditanus mihi *Bouterwekius quaest. Lucil. pg.* 16, mihi Tubitanus *G*, mihi Turbitanus *L* 1 *et e corr. Harl.*; mihi Tuditanus *D.* — questor *G*, *L* 1. 22 nam *M*, non *cdd.* — sit *Par.* — exinterat *M*, exenterat *Eyssenhardtius*, extenterat *Par.*, extenderat *v.* 23 *fortasse* iste. — ecus *L* 1, equus *G.* — formonsus *L* 1 *m.* 1, formosus *G.* — vector *v.*, victor *cdd.*

XX [1]

'idne aegrist magis, an quod pane et viscere privo?' —
'quod viscus? dederas tu hillam, hoc est viscera, large.'

XXI [17]

puncto uno horai quiquomque invasit ⏑ – ⏑

LIBER XV.

I [1] a

multa homines portenta in Homeri versibu' ficta
monstra putant; quorum in primis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes, et porro huic maiu' bacillum
quam malus navis in corbita maximus ulla.

II [XX, 1] b

terriculas Lamias, Fauni quas Pompiliique
instituere Numae, tremit has, haec omina ponit.
ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
vivere et esse homines: sic istic omnia ficta
vera putant, credunt signis cor inesse in ahenis.
pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Lucilius. XX Non. 184, 13 viscus positum pro viscera. Lucretius — Vergilius — Lucilius satyrarum lib. XIIII. — idem 470, 23 largi pro largire. Lucilius lib. XIIII quod e. q. s. XXI Donat. ad Ter. Phorm. I. 4, 7 tum temporis mihi punctum ad hanc rem est: punctum pro momentum ut Lucilius in XIIII.

I Non. 533, 10 corbita est genus navigii tardum et grande. Plautus — idem — Lucilius satyrarum lib. XV (^{X}.V G). II Lactant. inst. I, 22, 13 nam Lucilius eorum stultitiam qui simulacra deos putant esse deridet his versibus. — idem epit. 22 ideo Lucilius deridens ineptias istorum qui vanis superstitionibus serviunt hos versus posuit. — Non.

---

26 tu hillam *M*, tu quidem *Non.* — largi *idem*, large *ed. Luc. Turicensis.* 27 una *edd. princ.*, *Rom.*, *Ven.* — horai *M*, hora et *v.* — quiquomque *M*, qui quoque *v.* — *nonnulli libri* insuasit.

1 versibu' ficta; versibu' *Fruterius*, versificta *L* 1, *L* 2, versificata *G.* 2 Polyfemus *cdd.* 3 bacillum *v.*, bacchillum *cdd.* 4 navi *Dp.* — illa *L* 2. 5 terricolas *P.* — Pompilique *R.* 6 nomen *B.* — haec omina *M*, hic omnia *v.* 7 et *cdd. Non.* — ena *L* 1, aena *G*, *P*, *T*, aenea *B*, athenae *R.* 8 istic *M* (istice *Dp*), *nisi excidit post* isti itidem. 9 in haenis *T*, in aenis *PR*, in anis *B.*

10 pergulam *R*, percula *T.* — picta *T.*

III [4] α

in numero quorum nunc primu' Trebelliu' multost
Luciu'; nam arcesit febris, senium, vomitum, pus.

IV [inc. 115] β*

atqui dei male te, senium atque insulse sophista!

V [2] α

hunc millei passum qui vicerit atque duobus
Campanus sonipes, succusor nullu' sequetur
maiorei spatio, ac diversu' videbitur ire.

VI [13] β

truleu' pro stomide huic ingens de·naribu' pendet.

VII [11]

te privom cum·istis, insanum hominem et cerebrosum.

55, 33 s. v. **infans** — **Lucilius** (ita Iun., cdd. **Curius**) lib. XVIIII — et XV (XV G, L 1, Iun., Me; XX sive XXV in Nonii libris esse dicit D) **et pueri** — **homines**. III Non. 1, 17 **senium** est taedium et odium, dictum a senectute quod senes omnibus odio sint et taedio — **Lucilius** satyrarum lib. XV. IV Donatus ad Ter. eun. II, 3, 10 **ut illum di deaeque senium perdant** — senium ad convicium (refertur). sic **Lucilius** ait. V Gellius I, 16, 10 **Lucilius** autem praeterquam quem (om. cdd.) supra posui alio quoque in loco id manifestius demonstrat. nam in libro XV ita dicit — **millei** (**mille** VPR) **passum** (**passuum** VP) dixit pro mille passibus. — Macrob. I, 5, 7 alibi vero etiam declinationem huius nominis exsecutus est (**Lucilius**); nam in libro quinto decimo ita dicit. — Non. 16, 27 s. v. **succussare** — **Lucilius** satyrarum lib. IIII — idem lib. XV **Camp.** — **sequetur**. VI Non. 22, 25 **stomis** (ita Salmasius; **postomis** cdd.) dicitur ferrum, quod ad cohibendam equorum tenaciam naribus vel morsui imponitur, graece, *ἀπὸ τοῦ στόματος*. **Lucilius** lib. XV. VII Non. 22, 8 **cerebrosi** dicuntur ad insaniam faciles, quibus frequenter (add. L 1, L 2, Bamb., om. G) cerebrum moveatur. **Lucilius**

---

11 primum *L* 2, *Bamb.*, primus *L* 1, *G*. — Trebelleis *supra* ei *scr. m.* 2 iu *L* 1. — multost Luciu' *Lchm. comm. Lucr.* 66, multos Titos Lucios (Lutios *L* 2) *cdd.* 12 nam arcesit *M*, narcesibai *G*, narcessibai *L* 1 *et* 2, *Bamb.* — pus *v.*, plus *scripti.* 13 atqui dei male *M*, at quidem *v.* 14 nunc *R Gell.* — millei *M*, mille *cdd. Gell.*, *Macr. Bamb. et pr. m. A cum M, ut vid.*; milli *P*. 15 succusor *M*, succustior *cdd. Gell.*, subcursor *Macr.*, succussor *Non.* — nullam *Gud.*, nullos *Bamb.* — sequatur *v. c. Non. ap. D.* 16 maiorei *M*; maiore in *libri Gellii*, maiore *Macr.*, *exc. quod G h.* maiori; *ita et S m.* 2. — diversus forte videbitur *Gud.* — ire *om. codd. Gellii.* 17 miles *pro* truleus *in veteri libro Non. express. invenit D.* — pro stomide *Salm.*, postomide *cdd.* 18 privum *M*, primum *v.*

VIII [XVII, 3]

vilicum Aristocratem, mediastrinum atque bubulcum
conmanducatus conrupit, ad incita adegit.

IX [17]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ at qui nummos tristis inuncat?

X [3]

praeterquam in pretio primus semisse, secundus
nummo, tertiu' iam plurest quam totu' medimnus.

XI [7]

adde isto: sacer ille τοκογλύφος ac Syrophoenix
quid facerest solitus?

XII [10]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – dum miles Hibera
terra seice meret ter sex, aetate quasi, anneis.

satyrarum lib. XV. VIII Nonius 123, 20 incita dicitur egestas: Plautus — idem — Lucilius satyrarum lib. III — idem lib. XV. — id. 143, 5 mediastrinos non balnearum solum (sed v.) ministros, set et (set om. cdd.) curatores aedium legimus. Lucilius lib. XVII vilicum — bubulcum. — id. 478, 33 s. v. conmanducatur. Lucilius lib. IIII — idem lib. XV. IX Non. 124, 15 inuncare (inungare L 1 m. 1) quasi unco invadere et arripere. Lucilius lib. XV. X Non. 213, 18 medimnum generis neutri. masculini Lucilius satyrarum lib. XV. XI Non. 397, 20 sacrum etiam scelestum et detestabile; ita et consecratum. Afranius — Plautus — Verg. — Lucilius satyrarum lib. XV (XVI B, sed eras. I). XII Non. 344, 27 meret militat. Lucilius

---

19 magistocraten *libri* 123. — meiastrinum *id.* 479. — adque *m.* 1 *L.* 1 479. — bucolicum (bul *m.* 2) *G* 479; *idem utroque loco* 20 cōmanducatus — conrupit *cdd.* 123; ut corrupit *idem* 479. 21 at qui *L* 1, aut qui *G*. 22 semisse *v.*, seminisse *L* 1, seminis *G*. 23 plurest *M*, plures *cdd.*, pluris *Iunius.* 24 adde isto *Turn.*, ac de istos *cdd.* — ille *Iunius;* τοκογλύφος *Rothius;* ac Syrophoenix *Turnebus; G*, *L* 1 illoto colfo saxsiro fenix, *B* illoto colfo saxyro phoenix. 26 haberet *pro* hibera *B.* 27 terra seice meret *M*, terras ac meret *cdd.* — ter sex *Palmerius;* tersa ex *G*, *B*, *L* 1, *Gen.* — ętate *B.* — anneis *M*, annos *G*, *L* 1, agnos *B.*

XIII [XXV, 1]

quae gallam bibere ac rugas conducere ventri
farre aceroso, oleo decumano poena coegit?

XIV [8. cf. 9]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ non ergastylus unus.

XV [14]

tintinabulum abest hinc surpiculique holerorum.

XVI [12]

scit poleticon esse, videt, tunica et toga quid sit.

XVII [6]

paenula, si quaeris, cantheriu', servo', segestre
utilior mihi quam sapiens ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

satyrarum lib. XV. XIII Non. 445, 14 acerosum et aceratum. utrumque nove positum, sed distanti proprietate signatum. acerosum namque panem farre minus purgato (ita Aldus, cdd. ferre m. purgatio) nec sordibus a candido separatis (separato v.) dicendum veteres putaverunt. Lucilius lib. XV (XXV Aldus, Iunius) 'quae' e. q. s. — hunc Graeci αὐτόπυρον vocant. — Paulus 96 gallam bibere ac rugas conducere ventri quum ait Lucilius praemonet parsimonia esse utendum neque gulae indulgendum ventremque coartandum (immo coercendum). XIV Non. 447, 4 ergastylum (ergastilum G) et (et om. G) ergastylus (ergastilus G) ut genere ita (om. L 2 et m. 1 L 1) intellectibus differunt: nam neutro carceris locus est, masculino custos poenalis loci. Lucilius lib. XV 'n. e. u.' — Quae secuntur 'et alius: iudicem (indicem Ald.) adposuit, ut nemo sententiam libere, quasi ergastylus (sic ex ergastelus corr. L 1; ergastilus G) possit dicere' recte a Lucilianis segregavit Lipsius. XV Non. 490, 23 holerorum pro holerum. Lucilius satyrarum lib. XV. XVI Non. 536, 17 tunica est vestimentum sine manicis — Lucilius satyrarum lib. I — idem lib. XV. XVII Non. 537, 7 paenula est vestis quam supra tunicam accipimus. Pomponius

---

28 bibere *Paulus*, vivere *cdd. Nonii.* — rugis *cdd. Merceri.* — ventri *Paulus*, ventris *libri Non.* 29 farce c *in* r *mutato G.* — oleo *v.*, olei *cdd.* — poena *M*, pane Cumano *libri Nonii* (Cumano *iam del. Turn.*). 30 ergastylus *ex* ergastelus *m.* 2 *factum in L* 1; ergastilus *G.* 31 tintinabulum *G;* tintinabulum (N *m.* 2) *L* 1; tintinnabulum *L* 2. — *id.* hinc *ex* huic *ut vid.* — holerorum, h *postea add. in L* 2. 32 poleticon *M* 139, poeticon *v.* — tunicam *cdd.* (tonicam *L* 1 *m.* 2); *corr. Iun.* 33 penula *Iun.*, paenulam (*quod ex Pomponii v. irrepsit*) *cdd.* — queris *L* 1. — servus *cdd.*

XVIII [5]

cum tecumst, quidvis satis est. visuri alieni
sint homines, spiras, pallam, redimicula promit.

XIX [15]

subicit huic humilem et suffercitu' posteriorem.

XX [18]

– ⏑ ⏑ – nemost halicariu' posterior te.

LIBER XVI.

I [XVI in.]

Porph. ad Hor. c. I, 22, 10 dum meam canto Lalagen: id est carmen in Lalagen nomine amicam (ita Mon., ut vid.) compositum. scilicet et (et om. cdd.) liber Lucilii sextus decimus Collyra inscribitur, eo quod de Collyra amica scriptus sit (ita edd. vet., inscriptum sit Mon.). etiam nos sic plerumque loquimur.

II [XVI in.]

Censor. d. die nat. cap. 3: Euclides Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit adpositum. quam rem apud Lucilium in libro satyrarum XVI licet cognoscere.

III [8] a

publicitus vendis tamen adque extrema ligurris.

— Lucilius satyrarum lib. XV. XVIII Non. 537, 32 palla est honestae mulieris vestimentum, hoc est tunicae pallium. Plautus — Lucilius satyrarum lib. XV. XIX Gellius IIII, 17, 3 item (Lucilii) XV: subicit e. q. s. subicit u litera longa legunt. XX Char. 75 alicam sine adspiratione dictam Verrius tradit, et sic multi dixerunt; sed (om. cd.) Lucilius (Lucil.) XV (decimo quinto ed. pr., Keilius negat sibi constare utrum XU an XII sit in Neap.) nemo e. q. s. cum adspiratione dixit (om. cd., add. ed. pr.).
III Non. 513, 2 s. v. publicitus — Lucilius satyrarum lib. XII —

---

36 spiras pallam *Dp*, spiram pallas *v.* — promit, *in G prius fuerat* p̄mit. 37 huic *scripti*, hinc *edd. veteres Gellii et sic D.* — suffercitus *cdd. Gellii et ita Hertzius;* sufferctus *v.* 38 halicarius *ed. pr.*, halicaribus *cd.*

1 vendis *v.*, vendit *cdd.* — tamem *L* 2; *fortasse* iam rem. — atque *G*, *L* 2, *m.* 2 *L* 1.

IV [7] b

cur tam ignaviter, hoc praesertim tempore, quaeris?

V [4] a

legavit quidam uxori mundum omne penumque.
atquei quid mundum, quid non? quis dividet istuc?

VI [inc. 142] b*

uxori legata penus ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

VII [3]

rex Cotus ille duo hos ventos, austrum atque aquilonem,
novisse aiebat solos, sed demagis istos
ex nimbo austellos nec nosse nec esse putare.

VIII [9]

'hoc aliud longest' inquid qui cepe serebat.

IX [2]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – Lysippi Iuppiter ista
transibit quadraginta cubita altu' Tarento.

X [1]

ibat forte aries, inquit. iam quod genu'! quantis
testibu'! vix uno filo hosce haerere putares.
pellicula extrema exaptum pendere onus ingens.

idem lib. XVI. IV Non. 513, 13 **ignaviter** pro ignave. **Lucilius** satyrarum lib. XVI. V Gellius IIII, 1, 3 **mundum** quoque muliebrem **Lucilius** in satirarum XVI non virili genere, ut ceteri, sed neutro appellavit his verbis. — Non. 214, 16 **mundus** mulieris generis masculini. neutri **Lucilius** lib. XVII leg. — **penumque**. VI Serv. ad aen. I, 703 **penus** — feminino **Lucilius** (**Lucius** Cass.) posuit ut (libro XVI tribuit Dp). VII Non. 98, 19 **demagis** valde magis. **Lucilius** lib. XVI (X. vi L 1). VIII Non. 201, 2 s. v. **cepe** — **Lucilius** lib. V — **idem** lib. XVI. IX Non. 201, 15 **cubitus** masculini generis. neutri **Lucilius** satyrarum lib. XVI. X Non. 234, 31 s. v. **aptum** — **Lucilius** satyrarum libro X

---

2 ho *m.* 1 *L* 1. 3 legat, *om.* quidam, *libri Nonii.* — mund. o. ux. sue *R.* 3. 4 penumque. atqui quid *Hertzius*, atque penumque quid *P*; *VR* atque penum q̄ quid. 4 *interpolata lect. haec est:* quid mundum, quid non? nam quis diiudicet istuc? *et ita D.* 6 duo *Salm.*, duos *cdd.* 7 *idem* novissime, *corr. Bentinus.* — alebat *L* 1. — sed *addidit ed. Luc. Turicensis*, *om. libri.* 8 neces *pro* nec esse *L* 1. 9 inquit *G.* 10 Lisippi *G*, *L* 1. 11 transibit *M*, transivit *v.* 13 hosce *ed. Lucilii Turicensis*, hoc se *cdd.*, *qui et* herere.

XI [6]

hic, quos divitiae producunt, ut caput ungunt
horridulum! ⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑

XII [10]

–⏑⏑– media e pistrina –⏑⏑–⏑

XIII [5]

fundi delectat virtus te, vilicu' paulo
strennuior ⏑⏑– si evaserit –⏑⏑–⏑

LIBER XVII.

I [1] *α*

num censes *καλιπλόκαμον καλίσφυρον* ullam
tum licitum esse uterum atque etiam inguina tangere mammis?
Τυρῶν eupatereiam aliquam rem insignem habuisse,

— idem libro XVI. XI Non. 422, 28 horridum plerumque extans et prominens et erectum (erectum Me, tere^{s}ntum G, L 1 terenstum). Vergilius — Plautus — Accius — Lucilius satyrarum lib. XVI. XII Charisius 55 pistrinum neutraliter dicitur; sed Lucilius XVI (in X v. c. Dousae) feminine extulit 'media' e. q. s. at tabernam referens, ut caupona dicitur. — auct. inc. de dubiis nom. gr. lat. V, 588 pistrinum generis neutri, sed Varro. XIII Priscianus 601 ubi agit de comparativis adiectivorum in us finitorum praecedente vocali: Lucilius in XVI (add. libri ad Fundidum, sive ad Fundium; removit M 41). I Non. 25, 31 compernes (compernis L 2, L 1 m. 1, comperni Bamb.) dicuntur longis pedibus. Lucilius satyr. lib. XVII (XVI G). —

15 hic *M*, etit *L* 1, eti *G*. — ut *M*, et *cdd.* 17 media est pistrina *v. c. D. et auct. de d. n.*, *cuius l. Monac.* pristrina. 18 dilectat *Sang. et a pr. m. Bern.*, lectat (*corr. m.* 2) *Par.* 7496. 19 strennuior *Sang.*, *Lugd.*, *Carolir.*, strennui ior *Par.* 7496, strenuor$^{i\ m.\ 2}$ *Halberst.*, strenuior$^{i\ m.\ 2}$ *Bern.*, strenuior *rel.* — *lacunam post* strennuior *significavit M.* — sive vasserit *Par.* 7496, *corr. m.* 2. — evaseris *cd. Vossii.*

1 num *Sc.*, nunc *cdd.* — caliplocamora ΔΑΛ(ΛΙ *L* 1)CΦΥΡΟΝ *G*, *L* 1. — ullam *Sc.*, illam *v.* — *post* illam *dimidiatus versus vacat in G.* 2 tum *M*, non *libri.* — atque *Iun.*, aquae *cdd.* — *vv.* 3, 4, *qui vulgo habentur* 6, 7, *transposuit M. Hauptius phil. I*, 162. 3 *Τυρων M*, PIN *G*, *Harl.*, *L* 1; *Τυρῶ v.* — eupatereiam *Hauptius*, *εὐπατέρειαν v.*

verrucam, naevom, dictum aut dentem eminulum unum?
conpernem aut varam fuisse Ἀμφιτρύωνος ἄκοιτιν
Alcmenam? atquei alias, Ledam ipsam denique nolo
dicere: tute vide atque disyllabon elige quodvis.

II [4] β

nupturum te nempe negas quod vivere Vlixem.
speras.

III [5]

si non it, capito, inquit, eum, et si calvitur, endo
ferte manum.

IV [6]

semissis facit is Musas, si vendi' Lavernae.

V [2]

cetera contempnit et in usura omnia ponit
non magna: proprium vero nil neminem habere.

id. 26, 11 vari dicuntur obtortis plantis. Lucilius satyrarum lib. XVII conpernem — acoetin. II Priscianus 864 Lucilius (Lucillius Sang. Lugd.) in XVII (XVII ex XIIII corr. Lugd.) ad Penelopam conversus 'nupturum' e. q. s. In hoc quoque subaudiendum est 'esse', id est 'nupturum esse' pro nuptum ire, γαμηθήσεσθαι. III Non. 6, 24 calvitur dictum est frustratur — Plaut. — Pac. — Acc. — Lucilius satyrarum lib. XVII (XVI Bamb.). IV Non. 134, 31 Laverna dea (ea G, L 1), cui supplicant fures. Plautus — Lucilius lib. XVII. V Non. 361, 25 proprium rursus significat perpetuum. Sisenna — Plautus — Vergilius — idem — Terentius — Accius — idem — Lucilius satyrarum

---

4 nevum *G*, ne unum *L* 1. — aut *add. M;* naevum pictum *Iun.* 5 compernem *G utroque l.* — Amfytreonis *et* Amfitrionis *G*, Amfitrenis *et* Amfitronis *L* 1; Ἀμφιτρύωνος *Hauptius.* — ἄκοιτιν *Iun.*, acoetin *cdd.* 6 atquei *M*, atque *v.* — lenam *libri* (*L* 1 *prius* menam), Ledam *v.* — nolo *ex* noli *L* 1. 8 nempe *M*, nuptam *Par.* 7496, *Bamb.*, *Sang.*, *Caroliruh.*, nupta *v.* — Vlixem *docti*, Vlixen *libri praeter Halberst.*, *in quo post n est rasura.* 10 id *Bamb.* — inquid *idem.* — endo *Carrio*, ergo *cdd.* 11 ferte manum *M* (ferto manum *Carrio*), fure (*ut dativus sit*) manum *Bergkius;* fur dominum *v.; cet. conf. comm.* 12 semissis *Dp*, si messes *cdd.* — facit is *M*, facis *libri.* 13 cera (.te) *G*, cetere *B.* — contemnit *G*, *Gen.*, *B.* 14 nil *Turnebus*, nihil *libri.*

VI [7]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – magna ossa lacertique
adparent homini.

LIBER XVIII.

I [1] a

milia ducentum frumenti tolli' medimnum,
vini mille cadum.

II [4] b

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – aeque fruniscor ego ac tu.

LIBER XVIIII.

I [VIIII, 24] a

rugosi passique senes eadem omnia quaerunt.

II [1] b

sic tu illos fructus quaeras, adversa hieme olim
quis uti possis ac delectare domi te.

lib. XVII. VI Macrob. sat. VI, 1, 43 ad Vergilianum illud [aen. V, 422] magna ossa lacertosque extulit: Lucilius (ita v., Lucius Par., Neapol., quidam cdd. Lucretius, edd. nonnullae Ennius) in XVII.

I Non. 544, 11 cadi, vasa quibus vina conduntur. Lucilius lib. XVIII (XVIII, post VIII eras. I G, XVII Bamb., non L 2). — idem 495, 10 s. l. accusativus numeri singularis positus pro genetivo plurali in loco truncato habet ultima quinque verba Lucilii; cf. Merceri nota ad h. l. II Non. 113, 7 fruniscі pro frui. Lucilius lib. XVIII.

I Non. 11, 29 passum est proprie rugosum vel siccum (siccum L 2 in ras.). Plautus — Plautus — Lucilius satyrarum lib. XVIIII (VIIII L 1). II Non. 357, 30 olim trinam habet significationem temporum: praeteriti *** praesentis. Vergilius (praes. V. om. cdd.) bucolicis: meos olim si fistula dicat amores. olim temporis futuri. Vergilius — Lucilius

---

15 magna hos sale cestique *Neap.* 16 *fuit qui coniceret* hominis, *puto recte.*

1 tu centum *Bouterwekius quaest. Lucil.* 10. — formenti *G*, *L* 1, *L* 2, *Bamb.* — tollis *cdd.* 495, tolles 544; tolle *Iun.* — medinnum *G* 495. — *ib. in L* 1 cadum *ex* cadunt. 3 ego *Bentinus*, rego *G*, eso *L* 1.

2 si *B*, *Gen.* — olym (olim *Gen.*) defensorem (*add.* ut per eum *Gen.*) *pro* o. q. u. possis *B*, *Gen. ex* 358, 7. 3 ac *Dp*, haec *cdd.* — te *L* 1 *m.* 1, ne *v.*

III [XVIIII, 2] c

denique uti stulto nil sit satis, omnia cum sint.

IV [3]

ut pueri infantes faciunt mulierculam honustam.

V [6]

peniculamentum vero reprehendere noli.

VI [4]

sic singillatim nostrum unus quisque movetur.

VII [2]

'aurum vis? hominem en habeas!' — 'hominem? quid ad aurum?
quare, ut dicimu', non video, hic quid magno opere optem.'

VIII [5]

sume diem quist visu' tibi pulcherrimus unus.

IX [7]

Non. 405, 2 spargere madefacere. Lucilius lib. XVIIII (XXVIIII B Gen.) * * * Ennius Thyeste (E. Th. om. cdd.) 'latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro.'

satyrarum lib. XVIIII. III Non. 445, 25 s. v. multum et satis — Lucilius lib. V — et lib. XVIIII (XVIII Mercerus et priores). IV Non. 55, 33 infans a non fando dictus est. Cicero — et est quod aut dici non debeat aut fari non possit. nam et infantes usque eo appellandi sunt, donec coeperint fari. Lucilius (ita Iunius, Curius scripti) lib. XVIIII. V Non. 149, 31 peniculamentum (peniculamentum [n m. 2] L 1; penniculamentum L 2) a veteribus pars vestis dicitur. Ennius — Lucilius lib. XVIIII. VI Non. 176, 7 singulatim et singillatim (singulatim Bamb.) a singulis. Caecilius — Caelius — Lucilius lib. XVIIII. VII Non. 358, 10 optare eligere. Lucilius (Virgilius G, sed punctis notatum et in margine add. Lucilius) satyrarum lib. XVIIII. VIII Non. 396, 12 s. v. sumere — Lucilius satyrarum lib. III — Plautus — Lucilius satyrarum lib. X — et lib. XVIIII (idem lib.

---

4 uti *Iunius*, ut *cdd.* — nihil *idem*, nil *docti.* 5 honustam *M*, honestam *cdd.* 6 peniculamentum *v.*, penulamento *cdd.* — vere *idem*, vero *Dp.* — noli, l *ex* b *G.* 8 hominam *B m.* 1. — en *add. Dp.* 9 magnopere *B*, *Gen.*

X [8]

rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

LIBER XX.

I [9] a

purpureo tersit tunc latas gausape mensas

II [IIII, 5] b

illi praeceiso atque epulis capiuntur opimis.

III [3] c

pulmentaria et intubus aut aliqua id genus herba
et ius menarum bene habet, sei myctyris haec est.

IV [5] d

iam disrumpetur medius, iam, ut Marsu' colubras
disrumpit cantu, venas cum extenderit omnis.

[V e]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ [chlaenam
desuper indutam foedavit] ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

XXVIIII B, Lucilius omisso libri numero A). X Priscianus 907 rausi rausum, unde Lucilius in XVIIII (in XVIIII om. Sang.).
I Prisc. 870 tergeo tersi — Lucilius in XX (in XX om. Sang.).
II Non. 150, 33 praecisum et omasum partes carnis et viscerum. Naevius — Lucilius lib. XX. III Non. 137, 28 myctyris (myctyris Bamb., L 2, mictiris add. l supra r lineola transfixum et in marg. ubi plurimae extant interpolationes mictilis G, mictyris L 1) paupercula cena (om. libri, qui add. pulmentaria). Lucilius lib. XX. — id. 208, 32 s. v. intiba — Lucilius satyrarum lib. V — idem XXX pulm. — herba. IV Non. 201, 19 coluber — feminini. Lucilius satyrarum libro XX. [V] Tortellius chlena. prima cum ch sequente l et ae diphthongo scribitur.

---

11 rausero *Carolir.*, rausero *Bamb.* — traicus *Halberst.* — perdito resto *Bamb.*, orestae *quidam cdd.*
1 porpureo *Lugdun.*, *Caroliruh. et, in marg. add.*, *Sangall.* 2 praeceiso *M*, praetioso (t *ex* c) *G*, praecioso, o *priore compuncto L* 1; praeciso *v.* 3 et *M*, *atque ita Franckenius II*, 53, ut *cdd. utroque loco*, *sed videnda quae notavi infra.* — entibus aut aliquod g. *scripti* 137. *idem* 208 et id. 4 myctyris *M*, mictyris *G*, *L* 1, mictilis *edd. ante Ald.* — sei *M*, sed *Scal.*, se *libri.* — hoc *v. ante Mercerum.* — *post illud* est *add. G* meri, *quod ex sequente lemmate ortum Lugd. prioris declaratur scriptura*, *in quo est* mert *m.* 2 meriaret; *in Harl.* meri *add. m.* 2. 5 medius clam *Rob. Vngerus*, *vir doctissimus*, *de Valgii poematis* 82. 6 disrumpet *Dp.*

VI [7]

nugator cum idem ac nebulo sit maximu' multo.

VII [4]

Calpurni saeva lege in Pisoni' reprendi
eduxique animam primoribu' partibu' naris.

VIII [10]

proras despoliate et detundete guberna.

IX [2]

tempestate sua atque eodem uno tempore et horai
dimidio et tribu' confectis dumtaxat eandem
at quartam.

LIBER XXI.

LIBER XXII.

I [2]

servo' neque infidus domino neque inutili' quoiquam,
Lucili columella, hic situ' Metrophanes.

genus est vestimenti quod desuper alia portabatur. ut Lucilius lib. XX a Parthenio inducitur qui ait. VI Non. 18, 27 s. l. nebulones et tenebriones — Lucilius satyrarum lib. XIIII — idem lib. XX. VII Non. 427, 23 s. v. priores — Lucilius satyrarum lib. VIII — Turpilius — Varro — Lucilius satyrarum lib. XX. VIII Non. 490, 31 guberna pro gubernacula. Lucilius satyrarum lib. XX. — Mar. Vict. 74 similiter — id est gubernacula. IX Gellius n. a. III, 14, 11 iam in vicesimo manifestius dimidiam horam dicere studiose fugit (Lucilius), sed pro dimidia dimidium ponit in hisce versibus — nam cum obvium proximumque esset dicere dimidia (dimidia VPR) et tribus confectis, vigilate atque attente verbum non probum vitavit.

1 Don. ad Ter. Phorm. II, 1, 57 bene custos, salve; columen vero familiae: an culmen columna? unde columellae apud veteres dicti servi

---

9 cum idem *M*, cuidem *libri.* 10 saevam legem Pisonis reprendi *Iun.; ceterum cdd.* reprehendi; rependi *D.* 11 eduxiquae *G.* — pr. p, *M*, in pr. *scripti.* 12 detundete *docti*, detundite *G*, *L* 1; detunditate *Bamb.*, *L* 2. — *in Par. Vict. et Palat. est* proras detendite et spoliate guberna; *ubi vulgo* p. detondete et despoliate guberna. 13 horai *M*, hora *VPR*, horae *v.* 15 at *VPR.*

1 servus *Donatus.* — inultis *ed. pr.* — quoiquam *docti*, quanquam *vel* quamquam *pr.*, *Rom.*, *Ven.* 2 Luceilei *Mart. Palat. opt.* (*saec. XV*), Lucili *vel* Lucilli *plerique;* Lucillii *pr.*, *Rom.*, *Ven.* — columelle *Rom.*, columellę *pr.* — situs *Donat.*, *Pal. opt.*, *Putean. saec. X*, situs est *libri plurimi*, situ' est, *modo fides sit Schneidewino, Voss. saec. XI.* — Metrophanes *om. pr.*, *Rom.*, *Ven.*

II [IIII, 7]*

defusum e pleno siet hir siphoneve, cui nil
durist, cum nix et sacculus abstulerit.

III [inc. 26]

quae cum ad me cubitum venit, sponte ipsa suaptest
adducta ut tunicam et cetera reiceret.

IV [4] a

nasum rectiu' nunc hominist soeraene pedesne?

V [XII, 4]*

insignis varis cruribus et petulis.

VI [3]

Zopyrion labeas caedit utrimque secus.

maiores domus. Lucil. XXII. — Mart. XI, 90, 1 carmina nulla probas molli quae limite currunt, sed quae per salebras altaque saxa cadunt, et tibi Maeonio quoque carmine maius habetur Lucili e. q. s. II Cic. de fin. II, 8, 23 nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat vivere. mundos, elegantis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes cruditatem, quibus vinum d. siph. ut ait Lucilius e. q. s. (l. XXII adscr. M). — inc. de dub. nom. — [gr. lat. V, 590] saccus generis masculini ut Varro: vinum cui nihil sacculus abstulit. III Varro d. l. L. VI, 69 spondeo a sponte. nam id valet a voluntate. itaque Lucilius scribit de Cretaea (Gretea Flor. — l. XXII tribuit frgm. M). IV Non. 215 s. v. nasus — Lucilius lib. VII — idem lib. XXII V Non. 149, 7 petilum (petulum L 67) tenue et exile. Lucilius lib. XXII (XXII M, XII cdd.). VI Non. 210, 20 labium (lavium cdd.) — [labeae] rursus feminini. Plautus — Novius — idem — Lucilius satyrarum lib. XXII (vigessimo m. 2 vicesimo II L 1).

---

3 *illa* quibus vinum *seu posterius certe voc. v. tribuere Lucilio.* — *quidam libri* diffusum. — siet *Orellius*, sit *cdd.* — hir siphoneve *M* (hir *iam alii*), hirsizon *Vatic.*, hrysizon *Pal.*, hirsyphon *cd. Morelii*, *perbonus ille.* — nil *v.*, nihil *cdd.* — siphove *Orellius; quod sicui arriserit, scribendum erit* nihil cui. 4 durist cum *M* (duri sit *Madvigius*), dum sit *cdd. plerique.* — nix *Lambinus*, vis *libri.* — abstulit *auct. de dub. nomin.* 5 quae — adducta *Lachmannus m. Rh. a.* 1839, *VI*, 117; cum ad se cubitum venerit (sua voluntate *add. cdd.*, *del. Scal.*) sponte ipsam suapte adductam *Varro.* 7 soeraene *M* (surae *iam Aldus*), serene *cdd.* — pedesne *M* (*sequitur* nepos), pedes *L* 1, ped *G.* — *in fine add. L* 1 dici c; *quae post erasa sunt. ea huc illata ex proximis illis* nepos dici et femina potest. 8 varis cruribus *Bentinus*, variis crucibus *scripti.* — ex *pr. m. G.* — petilis *scripti.*
9 Zopirion *L* 1. — labias D. — cedit *G*, *L* 1.

LIBER XXIII.

[I] [2]

cf. quae notata sunt ad XIII, 8.

[II] [3]

[Merula in ed. annal. Enn. pg. 602 tamquam e glosario Forneri attulit haec: tongere εἴδειν (sic!) Ennius in XVIII, Lucilius in XXIII].

LIBER XXIIII.

LIBER XXV.

LIBER XXVI.

I [cf. inc. 101] a*

⏑ ⏑ ⏑ nec doctissimis. nam Gaium
Persium haece legere nolo, Iunium Congum volo.

II [cf. inc. 101] b*

Cic. de fin. I, 3: nec vero ut noster Lucilius recusabo quo minus omnes mea legant. utinam esset ille Persius! Scipio vero et Rutilius multo etiam magis; quorum ille iudicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere. facete is quidem, sicut alia. sed neque tam docti tum erant, ad quorum iudicium elaboraret, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris.

III [14] c

nunc itidem populum aucupamur istis cum scriptoribus.
voluimus capere animum illorum ⏑ ⏑ ⏑

I Plinius praef. 7 praeterea est quaedam publica etiam eruditorum reiectio: utitur illa et M. Tullius extra omnem ingenii aleam positus et (quod miremur) per advocatum defenditur — quodsi hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putavit, Cicero mutuandum, praesertim cum de re publica scriberet, quanto nos causatius ab aliquo iudice defendimur? III Non. 253, 10 capere delectare. Vergilius —

---

1 nam Gaium *M*, Manium *v.* — Iunium *Ambr. prim.* 2 haece *M*, haec *plerique libri*, hoc *Mon.*, *om. Ambros. prim.* — Iunium Congium *aut* Laelium Congrum *cdd. Hermolai Barbari;* Laelium Decimum *ex Cicerone Ambros. prim.* — volo *om. Mon.* 3 istidem *Gen.*, *liber Tornesianus.* — populum aucupamur istis cum *M*, populo istum *cdd. exceplo quod Torn. om.* populo. 4 volumus *Gen.*

IV [34] d

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ ego ubi quem ex praecordiis
ecfero versum ⏑ – – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

V [64] e

evadat saltem aliquid aliquo, quod conatus sum ⏑ –

VI [59] a

porro amicist bene praecipere, Tusci bene praedicere.

VII [23] b

ut ego efficiam quod te in primis cupere apisci intellego.

VIII [50] c

hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.

IX [49] d

quid cavendum tibi censeres, quid vitandum maxume?

X [29] e

numquam priu' quam venas hominis tetigit ac praecordia.

XI [36] f

ita uti quisque nostrum e bulgast matris in lucem editus.

XII [inc. 66] g*

si tibi porro istaec res cordi idcircost, quod rere utilum,

M. Tullius — Lucilius lib. XXVI. IV Non. 297, 14 efferre significat proferre. — Vergilius — Lucilius lib. XXVI. V Non. 293, 2 evadere exire tendere. Terentius — Lucilius lib. XXVI (XXVII B, Gen.). VI Non. 371, 33 praecipere est iubere vel monere. Vergilius — Terentius — Lucilius lib. XXVI. VII Non. 74, 29 apisci adipisci. Lucilius lib. XXVI. VIII Non. 396, 8 sumere suscipere. Lucilius lib. XXVI. IX Non. 437, 22 inter cavere et vitare Lucilius esse distantiam voluit lib. XXVI et esse plus vitare. X Non. 408, 24 tangere inspicere. Lucilius lib. XXVI. XI Non. 78, 3 s. v. bulga — Lucilius satyrarum lib. VI — Varro — Lucilius lib. XXVI. XII Non. 88, 31 s. v. cordi est — Lucilius lib. XXVI — idemque (h. v. satis probabiliter Lucilii l. XXVI, cuius tria continuata praecesserant exempla, adscribas et ipsum).

---

5 ergo *B.* 6 *idem* effero. 7 evadit *B.* — aliquo *M*, aliqua *cdd.* 8 atnici *B.* — Tusci *Me*, tueri *v.* — praedicere *idem*, praedicare *cdd.* 9 efficiam *Lipsius*, effuciam *L* 1 *m.* 1, effutiam *idem* 2, effugiam *G.* — quod ego *G*, *non L* 1. 11 censeres *Me*, censere *cdd.* (*in G est* cense^{re}); vitandum tibi maxime *L* 2. 12 nunquam *ed. Turicensis Lucilii*, nequam *cdd.* 13 uti *M*, ut *v.* 14 cordi idcircost *M*, idcirco est cordi *cdd.* — re *idem*, *corr. Iun.*

XIII [53] h

mihi quidem non persuadetur, publiceis mutem meos.

XIV [6] i

publicanu' vero ut Asiae fiam scripturarius
pro Lucilio, id ego nolo, et uno hoc non muto omnia.

XV [54] k

denique adeo male me accipiunt decimae et proveniunt male.

XVI [20] l

summis nitere opibus, at ego contra ut dissimilis siem.

XVII [16] m

quare hoc colerest satius quam illa studium omne hic consumere,

XVIII [19] n

et quod tibi magno opere cordist, mihi vementer displicet.

XIX [43] o

quapropter deleiro et cupide officium fungo ruderum.

XIII Non. 351, 2 mutare derelinquere. Vergilius (om. B) lib. (om. cdd.) *** Lucilius (om. cdd. praeter B) lib. XXVI (XXIII B). XIV Non. 351, 6 mutare aliud pro alio accipere. Lucilius lib. XXVI. — idem 37, 33 scripturarios veteres, quos nunc tabularios dicimus, dici volunt; quod scripturis et commentariis omnia vel urbium vel provinciarum complecterentur. Lucilius lib. XXVI publicanu' — script. XV Non. 520, 32 proventum etiam malarum rerum dici veteres voluerunt. Lucilius lib. XXVI. XVI Non. 353, 10 niti fultum esse. Lucilius lib. XXVI (l. add. supr. lin. m. 2 in L 1, lib. XXVI om. A). XVII Non. 250, 14 colere diligere. Verg. — idem — Terentius — Lucilius lib. XXVI. XVIII Non. 88, 31 cordi est honeste dictum pro animo sedet. Lucilius lib. XXVI.
XIX Non. 17, 32 deleirare (delirare L 1, L 2, delerare G) est de recto decedere. leira (lira L 1, L 2, lera G) est autem fossa recta, quae contra agros tuendos ducitur et in quam uligo terrae decurrat. Pom-

---

15 publiceis *M*, publices *cdd.*, *excepto quod G* pubplices, *B*, *Gen. habent* pulices. 16 publicanu' *M*, publicanum *cdd.* 38, publicanus *idem* 351. — fiam ut *legitur* 38. — scriptura[rius m. 2] *L* 1 351.
18 denique *ed. princ.*, deinquae *G*, *L* 1 deinque *L* 1. — male[me] *G*. 19 summis *B an A exhibeat, ex Hageni collatione mihi non satis apparuit*, summi *rell.* — nitere *Me*, nitire *L* 1, *Gen.*, *B*. nitinere *G*, niti *A*; niti re *M* 427. — at *e. q. s. om. A.* 20 *fortasse* illo. — hic, i *ex* o *in G.* 21 vementer *M* 419, vehementer *v.* 22 deleiro *M*, deliro *L* 1, delero e *ex* i *facto G.* — cupide *v.*, cupidi *cdd.* — fungor *G.* — ruderum *docti*, ruberum *libri.*

XX [58] p

quodque te in tranquillum ex saevis transfers tempestatibus.

XXI [17] a

principio physici omnes constare hominem ex anima et corpore
dicunt – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – – – – ⏑ –

XXII [55] b

animo quei aegrotat, videmus corpore hunc signum dare

XXIII [28] c

tum doloribus confectum corpus animo obsistere.

XXIV [27] d

ego siqui sum et quo folliculo nunc sum indutus non queo.

XXV [52] e

– ⏑ – ⏑ quam fastidiosum ac vescum vivere.

XXVI [XXVIII, 8] a

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ doctior quam ceteri
sis et mutes aliquo tecum sartas tectas ditias.

ponius — Lucilius lib. XXVI. XX Non. 388, 13 s. v. saevum — Lucilius lib. XXX. XXI Non. 272, 33 constat compositum est Lucilius lib. XXVI. XXII Non. 281, 14 dare ostendere. Lucilius lib. XXVI. XXIII Non. 268, 27 confectum defessum. Vergilius — Lucilius lib. XXVI. XXIV Non. 110, 26 folliculum Lucilius posuit pro corpore lib. XXVI (^{XX}VI L 1). XXV Non. 186, 32 vescum minutum obscurum. Lucilius lib. XXVI — Gellius XVI, 5, 7 (ubi Sulpicii Apollinaris reddit sermonem) aliter enim Lucretius vescum salem dicit ex edendi intentione, aliter Lucilius vescum appellat cum edendi fastidio. XXVI Non. 351, 4 mutare transferre. Lucilius

---

23 te in, *ita B;* te in te in *G*, *L* 1. — eius *pro* ex saevis *B*. — transfers *Dp*, transfer *cdd.* 24 fisici *cdd. cum Gen.*, *B*. 26 quei *M*, que *cdd.*, qui *Gul.* — vidimus *cdd.*, *corr. Ald.* 29 *post* vescum *add. G* cum fastidio, *L* 1 fastidio. 30 ceteri sis *v.*, ceteris is *G*, *L* 1, caeteris is *B*. 31 et (*vel* ac) mutes *M*, asa mittis mutes *L* 1, *G*, asa *om. B*. — sartas tectas divitias *Duentzerus*, satra facta vitia *L* 1 *et ex corr. G*, *in quo prius fuerat* sacra; satrafa acutia *B*, *Gen.*

XXVII [31] b

quidnei tu idem inlitteratum me atque idiotam diceres?

XXVIII [44] a

siquod verbum inusitatum aut zetematium offenderam.

XXIX [67] b

nisi portenta anguisque volucris ac pinnatos scribitis.

XXX [71] c

di monerint meliora, amentiam averruncasint tuam!

XXXI [5] d

squalitate summa ac scabie summa in erumna obrutam,
neque inimicis invidiosam neque amico exoptabilem.

XXXII [33] e

depugnabunt pro te ipsi et morientur ac se ultro efferent?

XXXIII [32] f

rauco contionem sonitu et curvis cogant cornibus.

lib. XXVI (XXVIII Iun., XXVII L 1 m. 2). XXVII Non. 38, 22 idiotas a Graeco tractum, inutiles, quasi sibi tantum, non plurimis utiles. XXVIII Non. 359, 2 offendere invenire. Pacuvius — Afranius — Quadrigarius — Terentius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVI. XXIX Non. 191, 14 angues masculino genere dici Vergilius testis est — Naevius — Lucilius lib. XXVI. — id. 436, 6 portenta ostenta quae aliquid inminere significant. Lucilius lib. XXVI. XXX Non. 74, 23 averruncare (ita v., aberruncare cdd.) avertere (ita Turic.; everte add. m. 2 re G, aevertere L 1, evertere L 2). Lucilius lib. XXVI. XXXI Non. 126, 4 invidiosum, quod sit vitabile ad videndum (ita v., vivendum G, L 1, Bamb.). Lucilius lib. XXVI. — idem 401, 27 summum extremum. Vergilius — Lucilius lib. XXVI squalitate — obrutam. denique 225, 32. s. l. squalor feminini post testimonium e Varronis Manio petitum om. nom. auctoris habet v. priorem. XXXII Non. 297, 12 efferre subdere. Lucilius lib. XXVI (^{XX}VI L 1). XXXIII Non. 264, 28 cogere in unum colligere. Sisenna — Cicero — Terentius — M.

---

32 quidnei *M* 38, quidni et *v.* 33 verbum *Gulielmus*, verum *cdd.* — aut, *fortasse* ad. — zematium *B.* 34 volucres *cdd.* 436.
35 monerint *Iunius ex Non.* 507, 24—26, minuerint *cdd.* — averruncassint *v.*, aberruncassint *G*, aberruncasint *L* 1 *m.* 1. 36 sculitate *libri* 126; *idem* 401 isculitate. — ac *dest in cdd.* 401 *et* 225. — scavie *L* 1 225. — summam *om.* in *L* 1, *G* 401. — re summa *pro* erumna *cdd.* 126. — obruta *idem* 226. 38 depugnabant *L* 1. — pro te, proci *v. c. Dousae.* — efferrent *L* 1; efferent *G*, *B.*
39 contentionem *Gen.* (*si fides ed. Basil.*) — con.tionem (.ten *m.* 2) *L* 1. — *fortasse* ec. — curvis, *ante fuerat* curtius *in L* 1.

XXXIV [63] g

domitionis cupidi imperium regis paene inminuimus.

XXXV [68] h

ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis.

XXXVI [XXV, 2] i

solus idem vim de classe prohibuit Volcaniam.

XXXVII [21] k

suspendatne sese an gladium incumbat, ne caelum bibat.

XXXVIII [69] l

– ⏑ – ⏑ – ⏑́ – ⏑ – hic cruciatur fame,
frigore, inluvie, inperfundie, inbalnitie, incuria.

XXXIX [66] m

vestimentis frigus atque horrorem exacturum putat.

XL [62] n

nec minima ei prosperatur pax quod Cassandram deae
signo deripuit ⏑ – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

Tullius — Vergilius — Lucilius lib. XXVI. XXXIV Non. 96, 1 domitionem (cdd. domutionem exc. quod in mscr. bibl. publ. fol. 67 est doemuotionem) Pacuvius — Lucilius lib. XXVI. XXXV Non. 88, 28 contemnificum Lucilius lib. XXVI. XXXVI Non. 528, 8 de pro ab. Lucilius lib. XXVI (XXV Iunius). XXXVII Non. 502, 8 accusativus pro dativo. Lucilius lib. XXVI. XXXVIII Non. 125, 30 s. v. inluvies — Lucilius lib. XXX — Varro — Lucilius lib. XXVI. XXXIX Non. 290, 32 exigere est excludere. Plautus — Terentius — Afranius — Naevius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVI. XL Non. 158, 11 prosferari (in L 1 m. 1 f ex p fact.; in G fuerat prius proferrari, sed corr. m. 1; in mrg. G m. 2 prosferari prosperari; propetrari Gifanius) inpetrari. Lucilius lib. XXVI.

---

40 domitionis *M* 420, domutionis *cdd.* — pene *idem.* — imminuimus *G.* 42 idem *vel* etiam *M*, iam *v.*, Aiax *Duebnerus.* — de classe *Aldina*, declarasse *cdd.* — *idem* Vulcaniam. 43 sese *M*, se *libri.* — an *ms. Fabri*, *v.*, an in *cdd.* *rel.* — bibat *M* (*idem ante* nec caelum iuvat), vivat *scripti;* ruat *Lchm. comm. Lucr.* 72. 45 illuvie *G*, *L* 1 *m.* 2, inluviae *L* 1 *m.* 1. — inperfundie, inbalnitie *M*, inbalnitie (invalnitie *cdd.*) inperfundie *v.* 46 *in B fuerat* frugus. — orrorem exactorem *L* 1. — putat *D*, putet *v.* 47 minima ei *M*, minimo et *cdd.* — prosperatur *M*, propetratur *Gif.*, prosferatur *v.* — deae *add. M.;* sacro *malebat Baehrensius.*

XLI [61] o

coniugem infidamque, flacitam familiam, inpuram domum.

XLII [48] p

nunc ignobilitas his mirum, taetrum ac monstrificabile.

XLIII [37] q

haec tu si voles per auris pectus inrigarier.

XLIV [inc. 69] r*

quaenam vox ex tete resonans meo gradu remoram facit?

XLV [7] a

at Romanus populus victus vei, superatus proeliis
saepest multis, bello vero numquam, quo sunt omnia.

XLVI [24] b

contra flagitium nescire bellum, vinci a barbaro
Viriato, Annibale ⏑ ⏑ – ⏑ – – – – ⏑ –

XLVII [56] cα

percrepa pugnam Popili, facta Corneli cane.

XLI Non. 324, 9 inpurus est aliquo vitio maculatus. M. Tullius — Lucilius lib. XXVI. XLII Non. 138, 25 monstrificabile Lucilius lib. XXVI. XLIII Non. 497, 17 accusativus vel nominativus pro ablativo — Lucilius (satyrarum add. G, non L 1, Bamb., L 2) lib. XXVI. XLIV Paulus 276 remeligines et remorae a morando dictae. Plautus — et Lucilius. Festus 277 remeligines et remorae a remorando (ita O. Muellerus, cd. remorae memorando) dictae sunt a Plauto — ab Afranio — [Plautus] — [Lucilius]. — ex P. thes. nov. Lat. pg. 507 remora mora Lucilius. — id. 355 haec remora i. e. mora — unde Livius. XLV Non. 437, 15 bellum et proelium hoc differunt, quod proelia partes sunt belli, hoc est in bello congressiones. Lucilius lib. XXVI. — idem 420, 27 vis est celer impetus. Lucilius lib. XXVI. Romanus — proeliis. XLVI Non. 186, 29 viriatum dictum est magnarum virium. XLVII Non. 255, 6 crepare est sonare. Plautus — Vergilius — Te-

49 flacitam *Ald.*, flaticam *libri.* — inpuram, *ita B*, inpura *L* 1; impura G. — modum *L* 1, *B*. 50 taetrum *add. M.* — monstrificabile *v.*, mortificabile *cdd.* 51 aures *G.* — irrigarier *idem.* 52 tete *M*, te *v.*; *ap. Festum haec tantum superant* meo gr. . . . — quae (quaenam 355) vox gressui meo remoram facit *om. rel. thes. n. Lat.* 53 at *M*, ut *v.*, *om. cdd.* 420. — vei *M*, vel *L* 1, *G* 420, ac *B;* vi et *cdd.* 437, *v.* — proeliis *B* 420, *G* 437 *et utr. l. L* 1; praeliis *G* 420. 54 in quo *cdd.*, *praepos. del. M.* 55 bellum *M*, bello *cdd.* 56 Viriatho *Lchm. comm. Lucr.* 329, viriato *Nonius.* — Anibale *G.* 57 Popili *M*, (Popilli *Luc. ed. Turic. praef.* 32; *Lchm. comm. Lucr.* 329), Pompili *G*, *L* 1, *Gen.* (n *m.* 2)

XLVIII [26] β

veterem historiam inductus studio scribis ad amores tuos.

XLIX [10] α

–⏑–⏑ ut, si eloviem facere per ventrem velis,
sudor se omnibus distento corpore expirat viis.

L [VI, 6] β*

–⏑–⏑–⏑ si hic vestimenta elovit luto,
adeo risum magnum inprudens ac cacinum subicit.

LI [30]

munifici comesque amicis nostris videamur viri.

LII [4]

ad libertinus Tricorius, Syrus ipse ac masticias,
quicum versipellis fio et quicum conmuto omnia.

LIII [60]

quandoquidem reperti magnis conbibonum ex copiis.

rentius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVI. XLVIII Non. 330, 13 induci delectari. Lucilius lib. XXVI (lib. XXVI om. A). XLIX Nonius 38, 26 s. v. expirare — Lucilius lib. III — idem XXVI. — idem 103, 32 eloviem (cdd. eleviem) purgationem. Lucilius lib. XXVI ut — velis. L Non. 103, 29 elevit maculavit. Lucilius lib. XXVI (ita Sc., lib. VI cdd.; cf. et Kettneri lib. scholastici quem memorabo in notis ad l. XXX pg. 16). LI Non. 23, 10 munes (ita docti; mones cdd.) aput veteres dicebantur non largi (v. nonam largiatia (larg[a]itia G) ignota erat), sed consentientes ad ea quae amici velint. Pacuvius Duloreste: animumque * * * Sallustius in Iugurtha: nam etiamtum largitio multis ignota erat (cdd. animum quae tum largitio multis ignota.erat); munificus nemo putabatur nisi pariter volens. Lucilius lib. XXVI. LII Non. 38, 6 versipelles dicti sunt quolibet genere se commutantes. Lucilius lib. XXVI. LIII Non. 38, 11 conbibones (combibones docti, conviviones Bamb., G, L 1 m. 1, idem 2 convivones) conpotores (conpotatores Bamb.) a bibendo dicti. Lucilius lib. XXVI.

---

58 hisī *G*. 59 si *om. cdd.* 103. — eloviem *M*, eleviem *cdd.* 103, *idem* 38 eluviem. — ventum *scripti* 103. 60 sudor se — expirat *M*, curare — expiret *cdd.* — viis *v.*, vis *scripti*. 61 elovit *M*, elevit *cdd.* 62 adeo *M*, ab eo *v.* — inprudens ac cacinum *M*, ad cac[h]hinnum inprudens *G*, ad chacinum inprudens [N *m.* 2] *L* 1. 64 tricosus *Scal.*, *sine causa.* — Sirus *cdd.* — ad *idem*, ac *Scal.* — masticias *scripti*, mastigias *v.* 65 commuto *G*. 66 reperti *M*, repperi *libri*; *fortasse* res periit. — combibonum *v.*, convivorum *scripti.*

LIV [39]

facile deridemur; scimus capital esse irascier.

LV [2]

ad enim dicis, clandestino tibi quod conmissum foret
neu muttires quicquam neu mysteria ecferres foras.

LVI [70]

cribrum in cerniculum, lucem in laternam, in telam licium.

LVII [8]

depeilassere aliqua sperans me ac deargentassere,
decalauticare, eburno speculo despeculassere.

LVIII [40]

pars difflatur vento, pars autem obrigescit frigore.

LIX [57]

lutrarum exactorem Albanum et fulgoritorem arborum.

LIV Non. 38, 14 capital dictum est capitis periculum. Plautus — Lucilius lib. XXVI. LV Non. 38, 18 clandestino (clamdestino Bamb., L 2 et m. 1 L 1) est abscondite. Lucilius lib. XXVI. — idem 248, 31 s. v. committere — Lucilius lib. XXVIII — idem lib. XXVI (XX VI G). LVI Non. 88, 26 cribrum. Lucilius lib. XXVI. LVII Non. 97, 6 depeilassere (ita M, depeculassare Lugd. 67, depoculassere G, L 1, L 2) ac deargentassere et decalauticare (dedauticare Lugd. 67). Lucilius lib. XXVI. LVIII Non. 97, 10 difflare est flatu disturbare. Plautus — Lucilius lib. XXVI. LIX Non. 110, 16 fulgorivit (fulgurivit G), fulgorem fecit vel ful-

---

68 at 38 *G et m.* 2 *L* 1. — dixi *vel* dixti *Dp.* — clamdestino *L* 1 *m.* 1 *utr. l.*, *G*, *Gen.* 248. — commissum *libri l. utr. exc. Gen.* 69 neu mittere *cdd.* 38; ne *id.* 249. — muttiris *L* 1 248. — quicquam *G*, *L* 1 248; 38 *G et* 2 *m. L* 1. — nec *cdd.* 248. — misteria *idem* 38. — ecferret *L* 1 38; haec ferres 248 *Gen.*, *L* 1, ferres ec *sed notis additis corr. G ib.* 70 in cerniculum *M*, incerniculum *v.* — lucem *M*, lucernam *cdd.* — in laternam *v. c. Dousae;* in lateram *Bamb.*, *L* 2, in laterem, *super* re *add.* N *sed quod sit deletum*, *L* 1, in laterem *G.* — tellam *L* 2, in telam *om. Bamb.; ceterum suavius sonabit* in laternam lucem. 71 depeilassere *M*, depeculassere *L* 1, depoculassere *G.* — *fortasse* meme (.a *m.* 2). 72 decalluticare *L* 1. — despeculassere *M*, depeculassere *libri.* 74 lutrarum *M*, luporum *cdd.* — exactorem *Lips.*, exauctorem *scripti.* — malvanum *idem*, Albanum *M.* — fulgoritorem *M*, fulguritatem *L* 1, fulgoritatem (v) *G.*

LX [11]

curet aegrotum, sumtum homini praebeat, genium suum
defrudet, li parcat – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

LXI [XXVII, 22]

mordicus petere aurum ec flamma expediat, e caeno cibum.

LXII [18]

rediisse ac repedasse ut Romam bitat gladiatoribus.

LXIII [35]

non idcirco extollitur nec veitae vegrandi datur.

LXIV [41]

paucorum, atque hoc pacto si nil gustat inter nundinum.

LXV [9]

agere in iaciundo siqueis vineis actis opust,
primum id dant operam, ut quam primum appellant – – – ⏑ –́

mine afflavit. Naevius — Lucilius lib. XXVI. LX Non. 117, 29 genium parsimoniam. Terentius — Lucilius lib. XXVI. LXI Non. 138, 21 mordicus lib. XXVI (ita G, L 1, L 2, Bamb., edd. ante Basiliensem XXVII) Lucilius. LXII Non. 165, 13 repedare. Lucilius lib. XXVI. LXIII Non. 183, 30 vegrande valde grande (ita G, L 1; vegrandi valde grandi mg. G). Lucilius lib. XXVI. — idem 297, 30 ecferre edere provehere. Vergilius — Lucilius lib. XXVI. LXIV Non. 214, 24 nundinae — masculini. Lucilius lib. XXVI. LXV Non. 238, 23 appellere (appellare libri) est adplicare. Afranius — Lucilius lib. XXVI (lib. XXVI om. A). — idem 243, 29 actum admotum. Vergilius — Lucilius (in L 1 add. m. 2) lib. XXVI agere — opust. — idem 327, 24 iacit facit. Lucilius

---

75 egr. *L* 1. — sumtum *libri*. 76 li *M*, ali *v*. 77 ec *M*, et *cdd.* — e ceno cibum *G*, *L* 1; eccenobum *Bamb.*, eccenobum *L* 2. 78 rediisse *M* 440, redisse *cdd.* — repidasse m. 1 *L* 1. — Romam *v.*, Roma *L* 1, *G*. — bitat *Scal.*, vitet *cdd.* 79 hiccirco *B* 297. — extollitur *om.* nec *cdd.* 297. — veitae *M*, vitae *libri* 183, 297 velite *G*, *B*, *L* 1. — velgrandi *G. ib.* 80 paucorum, o *ex* a *facto G.* — nihil *cdd.* — inter nundinum *Turn.*, internundino *libri*. 81 agere; *ita omnibus locis libri*. — iaciundo *G* 238, *rel.* iaciendo (iacendo *L* 1, *Gen.* 243). — siqueis *M*, 238 siquod est in *A*, *m.* 2 *L* 1 (*m.* 1 siquo e. i.), *G sed deleta* d; 243 *cdd.* siquostu; 327 siquost *Gen.*, *B; ita et L* 1 *m.* 1, *id.* 2 siquo est; siquo est *G.* — vinis *libri* 243. — opust; *ita Gen. in marg.*, *nec non m.* 1 *L* 1 327, *ubi id.* 2 opus est; *ibid. G*, *Gen. m.* 1 opus est, *B* opus; opost *cdd.* 243; *idem* 238 opus.

LXVI [47]

malis vesceist lautum e mensa, pure, capturos cibum.

LXVII [15]

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ non tu multitudinem
tuorum, quam in album indidistei, conficis dextra tibi.

LXVIII [XXVII, 36]

trado ergo alias nummo porro, quod mihi constat carius.

LXIX [XXV, 3]

idcirco omnes evasuros censent aegritudinem.

LXX [1]

homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt.
ducunt uxores, producunt, quibus haec faveant, liberos.

LXXI [25]

sin autem hoc vident, bona semper petere sapientem putant.

lib. XXVI (XXVII B et m. 1 Gen.) agere — opust. LXVI Non. 253, 33 capere accipere. Verg. — et — Terentius — Lucilius lib. XXVI. — idem 337, 10 lautum mundum. Lucilius lib. XXVI. LXVII Non. 268, 33 conficere colligere. Terent. — M. Tullius — et — Lucilius lib. XXVI. LXVIII Non. 272, 23 constat valet consistit. Lucilius lib. XXVI (XXVII Iun.). LXIX Non. 294, 2 evadere est liberari. Sallust. — Verg — Lucilius lib. XXVI (XXV Ald., Iun.). LXX Non. 360, 21 offerre invenire. Lucilius lib. XXVI (XXVII B; lib. XXVI om. A) homines — uxores. — idem 372, 31 producere instituere. Terentius — Lucilius lib. XXVI ducunt e. q. s. LXXI Non. 367, 8 petere cupere, appetere. Vergilius — Lucilius lib. XXVI.

---

83 vesceist *M*, necesse *cdd.* 253, necesse est *idem* 337. — lutum *L* 1, *G* 253. — purae *libri* 253. — capturos *M*, capturus *G* *loco utroque*, *L* 1 *priore* captivus *cum ras. post* i. 84 tu *docti*, te *cdd.* 85 indidistei *M*, indidita (indita *L* 1 *m.* 1) *cdd.* — conficis dextra tibi *M*, dextera conficis ibi *cdd.* (dextra conficis tibi *iam alii*).

86 ego aliis *D.* — numero (mo) *G*; minimo *Ald.*, *D.* — *puto* mi. 87 evasuros *v.*, cursuros *cdd.* — censentę gritudinem *B.* 88 moles tiam *m.* 2 *G*, modostiam *prius* *L* 1. — aerumnam *A*, *L* 1, ęrumnam *B*, erumnam *G.* 89 ducunt uxores *om. A.* — quibus *om. B.* — faveant *M*, faciant *G*, *L* 1; faciunt *B.* — *fortasse* quibu' cum haec faciant. 90 putant *docti*, et putant *cdd.*

LXXII [51]

quod is intellegebat nosse me rem, ad paucos rettuli.

LXXIII [3]

ferri tantum, si roget me, non dem, quantum auri petit.
si secubitet, sic quoque a me quae roget non impetret.

LXXIV [46]

cum stadio in gymnasii duplici corpus siccassem pila.

LXXV [45]

tuam probatam mi et spectatam maxume adulescentiam.

LXXVI [13]

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – si miserantur se ipsi, vide,
causam illorum superiore conlocarit ne loco.

LXXVII [38]

qui sex menses vitam ducunt, orco spondent septimum.

LXXVIII [XXV, 4]

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ Arabus artemo.

LXXII Non. 381, 21 referre significat perferre indicare. Verg. — Lucilius lib. XXVI (XXXVI L 1). LXXIII Non. 382, 31 rogare poscere. Lucilius lib. XXVI. — idem 366, 19 petere significat possere. Verg. — Lucilius lib. XXVI ferri — petit. LXXIV Non. 394, 28 siccum exercitum. Lucilius lib. XXVI. LXXV Non. 437, 12 probatum et spectatum (expectatum L 2) eo distant, quod spectatum (eo d. q. sp. add. Me, om. cdd.) vis maioris est. LXXVI Non. 499, 26 accusativus pro genètivo. Lucilius lib. XXVI (huc revocavit M; v. legitur hoc frgm. v. 18 s. l. dativus pro accusativo). LXXVII Non. 525, 20 quotiens per accusativum casum annos vel dies loquimur, iuges annos vel dies significamus; quotiens per dativum per intervallum, interiectis aliquibus annis vel diebus. Vergilius — Plautus — Turpilius — idem — Vergilius — Cicero — idem — Sallustius — Lucilius lib. XXVI. — Idem 283, 17 s. v. ducere — Lucilius lib. XXX — ducere trahere. Lucilius lib XXVI (ducere trahere e. q. s. om. cdd., add. M).
LXXVIII Char. 99 s. v. Arabis — quid ergo si sic declinavit ut Plautus in Bacchidibus *** et in Poenulo 'Arabus murrinus odor' [Arabus], Lucilius XXVI (XXVI M, XXV cod.).

---

91 his *B.* — intellegebat *docti*, intellegebar *cdd.* — nosse *D*, posse *scripti* (posse posse *sed deleto posteriore G*). — me rem *add. M.* — haud *L* 1 *m.* 2, *G*, aut *B*, *Gen.* — retuli *cdd. exc. Gen.*
93 secubitet *G*, *B*, secubit et *L* 1. — sic *Fruterius*, si *cdd.* — rogat *Guil.* 94 gymnasii *M*, gymnasio in *cdd.* — siccassem *in mrg. add. m.* 2 *G.* — pila *v.*, pilas *scripti* (*sequitur* s). 95 mi *M*, mihi *libri.* — exspectatam *L* 2, *idem* maxime *et* adulescentiae. 97 *ordinem verborum constituit M; cdd.* ne illorum causa (causam *docti*) superiore loco conlocavit (collocavit *G*; non locavit *Bamb.*; conlocarit *M*). 98 qui sex menses vitam ducunt *om. cdd.* 283. — Orpo *idem* 283.

LIBER XXVII.

I [4] a

re populi salutem fictis versibus Lucilius,
quibu' potest, inpertit totumque hoc studiose et sedulo.

II b

sospita, inperti salute et plurima et plenissima!

III [18] a

quodsi observas hominem, qui pro commodo et regno audeat.

IV [14] b

proferat iam ergo ordo voster scelera, quae in se admiserit.

V [32] a

cum sciam nil esse in vita proprium mortali datum,

VI [39] b

iam, qua tempestate vivo, chresin ad me recipio.

VII [8] c

nulli me invidere, non strabonem fieri saepius
deliciis me istorum – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

I Non. 308, 20 fingere componere (leg. comere). Verg. — M. Tullius — Lucilius lib. XXVII item — inpertit. — id. 37, 28 sedulum significat sine dolo. Lucilius lib. XXVII salutem e. q. s. — idem ib. 21 inpertire est participare et partem dare. Lucilius lib. XXVII quibus — inpertit. II Nonius 472, 15 inpertit (impertit G). Lucilius lib. XXVII. III Non. 360, 7 observare captare (captare in m. add. m. 1 G). IV Non. 374, 22 proferre palam facere. Lucilius lib. XXVII. V Non. 361, 26 proprium rursum significat perpetuum — Lucilius satyrarum lib. XVII — M. Tullius — Afranius — Lucilius lib. XXVII. VI Non. 407, 28 tempestas tempus. Sallustius — Lucilius lib. XXVII (XXVI L 2, Bamb.). VII Non. 27, 2 strabones sunt strabi (strambi Bamb., L 1, L 2, G) quos nunc dicimus.

---

1 re *M*, item *L* 1, item *erasa ante* t l *G*. — salute et *cdd.* 308. — factis *L* 1 37. 2 imperat *B* 308; impertit *ubique G* (*etiam v.* 3). 3 sospita, inperti salute *Lchm. c. Lucr.* 116; et *add. M;* sospitat inpertit salutem *cdd.* 4 commodo *in ras. B.* — audeat *Iun.*, gaudeat *G*, *B*, *L m.* 2, *idem* 1 gaudeas. 5 iam ergo ordo voster scelera *M* 34, ergo iam vester ordo scelera *G*, *L* 1; *in hoc fuerat antiquitus* scelera ordo *sed m.* 1 *ut vid. corr.;* scelera *om. B.* 6 nihil *cdd.* — datum *v.*, datum est *cdd. cum B*, *Gen.* 7 chresin *Lchm. prooem. lect. aest. univ. Berol. a.* 1851 *pg.* 5, certe sine *G*, *L* 1, *L* 2, *Bamb.;* sine *post illud* ad me *locatum in Turicensi*; certe finem *Palatinus.*

VIII [17] d

ceterum quid sit, quid non sit, ferre aequo animo ac fortiter.

IX [44] e

re in secunda tollere animos, in mala demittere.

X [2] a

cocu' non curat caudam insignem esse hillai, dum pinguis siet.
sic animum quaerunt amici, rem parasiti ac ditias.

XI [1] b

in bonis porrost viris, si irati seu cui propitii
sunt, diutius ut eadem una maneant in sententia.
[nam cum benignitate sollicito propositos].

XII [21] c

tamen aut verruca aut cicatrix naevis papulae differunt.

Varro — Lucilius lib. XXVII. VIII Non. 302, 21 ferre pati. Vergilius — Lucilius lib. XXVII (lib. XXVII om. A) — Varro (ita Gen., B, animo rell.) proelio caprino περὶ ἡδονῆς IX Non. 286, 4 demissum (dimissum cdd.) humile, miserandum, abiectum. Vergilius — Lucilius lib. XXVII (lib. XXVII om. A). X Non. 331, 9 insigne utile necessarium. Lucilius libro XXVII. XI Non. 463, 7 propitios et homines placatos vetustas dici (ita Bamb., v. d. v.) voluit, Lucilius lib. (L. l. om. cdd., addid. docti) XXVII. XII Non. 284, 28 differre

---

c m. 2
10 cęterum *B.* — quid sit 31 *M*, quidquid sit *L* 1, quicquid sit *rel.* — quasi non *A.* — ferre *Bouterw. quaest. Lucil.* 29, fere *L* 1, fero *G*, *A*, *B*; ferro *prius Gen.*; *fortasse* fero ego. — ac fortiter *om. A;* et *pro* ac *B ut videtur* (*nisi Basiliensem indicari voluere*) *testantibus edit. Bas.*, *silente Hageno.* 11 animos et *cdd.*; *del. illud* et *quod m.* 2 *add. in L* 1 *e praec. sive ins. v. irrepsit M* 31. — demittere *v.*, dimittere *scripti* (r *in ras. A*). 12 caudam *G*, claudam *L* 1, claudus *B*, *Gen.* — hillai *M*, illam *cdd.* — sic et *B.*
13 an. qu. am. *M* 34, amici animum quaerunt *cdd.* — parasti aut *B.* — ditias *M*, divitias *v.* — *post* divitias *add. cdd.* aut, *delerunt docti.*
14 bonis *Iunius*, vonis *libri.* — propiti *L* 1 *m.* 1. 15 diutius ut *M*, didiutius *G*, vi (ut *v.*) diutius *L* 1, *L* 2. — *quae uncis inclusa addidi, ea lacunosa aperte et corrupta et a metro abhorrentia alterius auct. esse puto.* 17 aut *Me*, aliti *G*, *L* 1, aditi *Gen.* — naevis *M*, medius *cdd.* — papulae *v. c. Dousae*, papule *scripti.* — *G* differ.

XIII [XXII, 1] d

ut mercede quae conductae flent alieno in funere
praeficae, multo et capillos scindunt et clamant magis.

XIV [3] e

facit idem quod ili, qui inscriptum e portu exportant clanculum,
ne portorium dent _ ᴗ _ ᴗ _ _ _ ᴗ _

XV [46] a

ego enim a, perficiam, ut me amore expediam? _ _ _ ᴗ _

XVI [XXVI, 65] b

illo oculi deducunt ipsi, atque animum spes illuc rapit.

XVII [20] c

cum pacem peto, cum placo, cum adeo et cum appello meam.

XVIII [24] d

cum mei me adeunt servoli, non dominam ego appellem meam.

XIX [43] e

ad metuis porro, ne aspectu et forma capiare altera.

distare. M. Tullius — Lucilius lib. XXVII. XIII Non. 66, 31 praeficae dicebantur apud veteres, quae adhiberi solent funeri mercede conductae, ut et flerent et fortia facta laudarent. Plautus — idem — Lucilius lib. XXVII (ita M, XXII cdd.). XIV Non. 37, 17 portorium dicitur merces, quae portitoribus datur. Lucilius lib. XXVII. XV Non. 296, 22 expedire utile esse. Terentius — Lucilius lib. XXVII (ita G, B; [XX]VII L 1). XVI Non. 289, 10 deductum delectatione ductum. Vergilius — Lucilius lib. XXVII (ita L 1, Gen., XXVI G). XVII Non. 237, 25 aditus interpellatio. Terentius — Vergilius — Lucilius lib. XXVII. XVIII Non. 238, 21 appellare est familiariter respondere. Lucilius lib. XXVII. XIX Non. 253, 21 capere decipere

---

18 ut *add. M.* 20 ili *M*, illi *v.* — clamculum *m.* 1 *L* 1. 21 portitorium *idem.* 22 ah *M*, an *cdd. cum B; omittit Madvigius.* — perficiam *Madvigius*, pereiciam *libri.* — amare *idem*, amore *ed. Lucil. Turicensis.* — *vetus codex Dousae* ego enim aut pueritiam aut me amare expediat dictis. — *interrogandi signum posui.*

23 illo *Iunius*, illoc *scripti.* 24 apello *G*, *Gen.* 25 cū [m]ei *G.* — servoli; servuli *G*, servili *suprascr.* u *L* 1. 26 ad *L* 1 *m.* 1, *Gen.*

XX [47] a

viginti domi an triginta an centum cibicidas alas.

XXI [42] b

quanti vellet quantum canicai ad pultem ec maconis manu.

XXII [26] a

nec, si paulo minus usurast magna adiutatus diu,

XXIII [29] b

certa sunt, sine detrimento, quae inter sese conmodent.

XXIV [31] c

parcat illi malu', cui prosit, cui fidem esse existimet.

XXV [16] a

quodsi paulisper captare atque observare haec volueris,

XXVI [XXVI, 22] b

rem cognoscas simul et dictis animum adtendas postulo.

XXVII [27]

modo sursum, modo deorsum, tamquam colus cernui.

circumvenire. Vergilius — Lucilius lib. XXVII. XX Non. 88, 7 cibicidas (ita Iun., tibicidas cdd., sed sub littera c capitis secundum alphabeti ordinem dispositi). Lucilius lib. XXVII (XXVIII L 2). XXI Non 88, 16 canicas veteres furfures esse voluerunt. Lucilius lib. XXVII. XXII Non. 477, 26 adiutatur pro adiutat. Pacuvius — Afranius — Lucilius lib. XXVII. XXIII Non. 275, 12 conmodare (ita L 1 m. 1, rell. commodare) est mutuari. Lucilius lib. XXVII. XXIV Non. 370, 26 parcere servare. Vergilius — Lucilius lib. XXVII. XXV Non. 275, 19 captare capere. Lucilius lib. XXVII. XXVI Non. 238, 7 s. v. attendere — Lucilius lib. XXVIIII — idem lib. XXVII (lib. XXVII om. A). — idem 275, 21 cognoscere est audire aestimare. Lucilius lib. XXVI. XXVII Non. 20, 33 s. v. cernuus — Lucilius satyrarum lib. III — Vergilius — Lucilius (satyrarum add. cdd.) lib. XXVII. — idem 200, 14 s. v. collus — Luci-

---

27 a *L* 2, *fortasse* aut. — an c. *M*, vel c. *cdd.* — cibicidas *Iun.*, tibicidas *scripti.* 28 quantum canicai ad pultem ec *M*, quam canicas a pulte (apud te *G*) et *cdd.* — magonis *G.* 29 usurast *M*, usuras et *v.* 30 detrim̃to, rim̃ *in ras. B.* — conmodent, *ita L* 1 *m.* 1, commodent *B*, *G.* 31 malus *B*, *Gen.*, maius *L* 1, *G.* — magi' *docti.* — prosit *M*, possit *B*, *Gen.*, *L* 1; possiṇt *G.* — existimet *M*, extiment *B*, eximent *G*, *L* 1. 32 adque *mutat. in* atque *B*, atque *G*, *L* 1. — ħ *B.* 33 cognoscat *libri* 275. — anim' *B* 275. — adtendas *pars potior libr.* — postula *idem* 238. 34 rursum *L* 1 20, *item* diorsum, *sed utrumque corr. m.* 2. — *fortasse* devorsum. — collus *scripti* 200. — *idem ib.* cernis.

XXVIII [9]

ile contra omnia inter plures sensim et pedetemtim it foras,
nequem laedat _ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ _ _ _ _ ᴗ _

XXIX [13]

paulo hoc melius quam mediocre, hoc minu' malum quamst pessumum.

XXX [25]

insanum vocant, quem maltam ac feminam dici vident.

XXXI [19]

quae pietas? — monogrammi quinque adducti pietatem vocant.

XXXII [12]

ardum, miserum, atrum adque infelix lignum sabucum vocant.

XXXIII [5]

_ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ tu Lucilium
credis contenturum, cum me ruperim, summa omnia
fecerim ima _ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ _ _ _ _ ᴗ _

lius satyrarum lib. VII — idem lib. XXVII. XXVIII Non. 29, 3 pedetemtim (ita L 1; pedetemptim G, L 2), et pedepressim dictum est caute quasi lenta et tarda itione. M. Tullius — Lucilius lib. XXVII. XXIX Non. 29, 25 mediocritas medium dici voluit M. Tullius — Lucilius lib. XXVII. XXX Non. 37, 7 maltas (altas G, multas L 2) veteres molles adpellari voluerunt, a Graeco quasi μαλθακούς (ita quidam ap. Bentinum, malacus cdd.). Lucilius lib. XXVII. XXXI Non. 37, 11 s. v. monogrammi — Lucilius lib. II — et XXVII (vicesimo VII G, L 1). XXXII Non. 74, 20 ardum pro aridum. Lucilius lib. XXVII (XXVI G). XXXIII Non. 88, 9 contenturum (add. contentum Bamb., L 2, fort. recte). Lucilius lib. XXVII

---

35 ile *M*, ille *v.* — pedetemtim *G*, *L* 1. — it *add. M.* — foras *Bouterwekius quaest. Lucil. pg.* 21, foris *libri.* 36 ledat *L* 1. 37 homelius *L* 1. — quamst pessumum *M*, quam ut opes summum *G*, *L* 1 (pessumum *iam alii*). 38 insanum, *fortasse* infamum. — multam *G.* — vident *D*, videt *cdd.* 39 invocant *v. c. Dousae.* 40 miserum, atrum *M* (miserulum *idem* 353), miserrimum *cdd. pr. Harl. in q. e.* miserinum. — atque *G*, *L* 1 *m.* 2. — lignum *Iun.*, signum *scripti.* — sabucum *idem*, sambucum *v.* — vocant *Iun.*, vocat *libri.* 42 382 contemtum *L* 1, contemptum *G*, contentu *Gen.*, *B.* — cum eruperint *Gen.*, *B ib.*; cum me ruperint *cdd. rel. l. utr.*, *excepto quod G* 382 rumperint; ruperim *Iunius.* 43 ima *add. M* 28.

XXXIV [40]

etsi maxime quod spero mutuom hoc mecum facis.

XXXV [10]

nescis, ubi
Graeci, ubi nunc Socratici charti? — quidquid quaeris,
petiimus.

XXXVI [15]

potius quam non magnum messem, non probam vindemiam.

XXXVII [XXVIII, 10]

in concedere unum atque in eo dare quod spectatur manus.

XXXVIII [41]

— ⏑ primum qua virtutei servitutem excluserit.

XXXIX [37]

metuo ut fieri possit, ego quom vivo, ab Archilocho excido.

XL [23]

at quod animum induxit semel et utile omnino putat.

— idem 382, 18 s. v. rumpere — Lucilius lib. XXX — idem lib. XXVII (XX^{V}II tum I eras. G). contenturum e. q. s. XXXIV Non. 138, 18 mutuum pro mutuo. Lucilius lib. XXVII. XXXV Non. 196, 17 chartam (cartham L 1) generis feminini. masculini Lucilius lib. XXVII. XXXVI Non. 213, 32 messem generis feminini. masculino Lucilius lib. XXVII. XXXVII Non. 269, 32 concedere credere vel consentire (consistere B, Gen.). Terentius — Lucilius lib. XXVII.
XXXVIII Non. 301, 13 excludere liberare (revocare B). Lucilius lib. XXVII (^{XX}VII L 1). XXXIX Non. 301, 16 excidere dissentire. Lucilius lib. XXVII. XL Non. 330, 11 inducere instituere confirmare. Lucilius lib. XXVII (XXVI B, Gen.; lib. XXVII om. A).

44 mutuum *cdd.* 45 nescis *Lipsius*, nec sic *v.* 46 Greci *G.* — carthi *L* 1. — quicquid *id. m.* 2, *G.* — quaeris, petiimus *M*, quaeritis perimus *scripti.* 47 magnum messem *Aldus*, *qui perperam add.* esse; magnum esse *G*, *L* 1. — probam vindemiam *Iun.*, proba vindemedia *G*, probavi indemedia *L* 1. — non magno messe, non proba vindemia *Me contra Nonii lemma.*

48 ^{u}num *G.* — atque, *post* at *ras. in B.* — quod spectatur *M*, quo superatur *B*, *G*, *L* 1. 49 quia *puncto add. m.* 2 *ut esset sive* qua *sive* qui a *L* 1. — virtutei *M*, virtute *G*, *L* 1, *Gen.*, virtutem *B.* — servitutem *v.*, servitute *cdd.; in L* 1 *ult. littera supra add. m.* 1.
50 ego quom vivo *M*, ergo quo *G*, *L* 1; ego vivo *Gen.*, *B.* — Arciloco *cdd.* — excidere *Gen.*, *B.* 51 at *M*, ad *D*, aut *libri.* — utile; *ita A*, *B*, *Gen.*, ut ille *L* 1, *G.* — putavit *A.*

XLI [6]

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – – nam hic quidem
reditum talem portendebant neque alia in re offendere.

XLII [45]

rerum exploratorem mittam, miserum mendicum petam.

XLIII [33]

fuimus pernices, aeternum id nobis sperantes fore.

XLIV [35]

si non tamen ad te hoc redibit, tu hoc carebis conmodo.

XLV [38]

quam non solum devorare se omnia ac devorrere.

[XLVI] [34]

[lignum caedat, pensum faciat, aedis vorrat, vapulet]

XLI Non. 358, 28 offendere laedere. M. Tullius — Lucilius lib. XXVII. XLII Non. 366, 28 petere sequi. Vergilius — Lucilius lib. XXVII. XLIII Non. 368, 14 pernix (per^{n}vix G) significat celer. Vergilius — Lucilius lib. XXVII. XLIV Non. 384, 25 redire referri revocari. Lucilius lib. XXVII (l. XXVII om. A). XLV Non. 420, 3 verrere ferire pervertere. Verg. — Lucilius lib. XXVII. XLVI Non. 271, 27 caedere (cedere cdd.) excidere. Verg. — Lucilius lib. XXVII (ita L 1, Gen.; lib. XXVI G; lib. XXVII om. B). — idem 420, 7 verrere mundare. Titinius — Lucilius lib. XXVII (ita L 1, B, Gen., lib. XXVIII G, lib. XXVII om. A).

---

53 re *D*, mare *cdd. cum B*, *Gen.; idem add. statim* ulla (ulula *alt.* u *punctis not. L* 1), *del. M* 386. 54 rec$^{r\ m.\ 1}$um *L* 1, rem cum *B*. — *idem* expilatore, expilatorem *Gen.*, explicatorem *L* 1, ex (*ras. duarum fere litt.*) pli (i *in ras.*) ratorum *G; corr. Me.* — mittam *etiam B.* 55 nobis *docti*, vobis *cdd.* 56 hoc ad te *B*. — ad te tu (*sed del.*) *G*. — *idem* redivit ^{tu}. — redibit *Me*, redivit *cdd.* — tum *Gen.* — commodo *G*, *A*, *B*. 57 a^{c} *B*. — devorrere *M*, deverrere *v*. 58 cedat *cdd.* 271 *et A* 420. — pensum faciat *om. idem cum A* 420. — aedes *B* 271, edis *ib. G*, *L* 1, edes *A* 420. — vorrat *M*, varrat *G loco utroque*, verrat *reliqui*, *excepto quod* verret 271 *m.* 1 *B*. — ac vapulet *scripti cum A* 420.

LIBER XXVIII.

I [XXVIII, 4; XXVIIII, 1] a

'quapropter certumst facere contra ac persequi,
et nomen deferre hominis'. — 'hoc cum feceris,
cum ceteris reus una tradetur Lupo.' —
'non aderit'. — 'ἀρχαῖς hominem et στοιχείοις simul
privabit; igni cum et aqua interdixerit,
duo habet στοιχεῖα'. — 'ad superat anima et corpore.
γῆ corpus, animast πνεῦμα'. — 'posterioribus
στοιχείοις, si id maluerit, privabit tamen.'

II [13] b

minitari aperte, capitis dicturum diem.

III [XXVIII, 65] c

habes omnem rem, timeo ne accuser ⏑ –

IV [16] d

submittas alios, siquos possis, censeo.

V [22] a

adde eodem tristis ac severos philosophus.

I Non. 289, 25 deferre celatum prodere. Lucilius lib. XXVIII (XXVIIII L 1, Gen.) quapr. — hominis. — Probus ad ecl. 6, 31 pg. 18 ed. Keil. si ergo caelum pro igni acceperimus, superest ut in eo quod ait 'spiritus intus alit' aerem dictum praesumamus. hic est etiam qui nobis vivendi spirituum commeatum largitur. hoc illud et Ennius appellavit in annalibus — item Lucilius in XXVIII satirarum: hoc cum e. q. s. — coniunxit haec frgm. Iacob. Beckerus m. Rh. V, 42. II Non. 280, 9 dicere denuntiare. Lucilius lib. XXVIII. III Non. 318, 17 habere audire. Lucilius lib. XXVIII. IV Non. 390, 3 submittere, subdere, subponere. Lucilius lib. XXVIII (lib. XXVIII om. A). V Non. 410, 3 tristis doctus. Varro — Lu-

---

1 ac *M*, hac *cdd.;* haec *ed. Luc. Turic.* 2 feceris *scripti.* 4 et stoechiis *P*, et stoechiisque *V.* 5 privabit *ed. princ.*, privabitur *VP.* — eum igni et *ed. princ.* 6 stoechia *V*, *P.* — ad superat *vel* superest *M*, adfuerit *cdd.* 7 γῆ *Duebnerus*, tum *V*, uti *P.* — πρευμα *V.* 8 stoechiis *VP.* 9 minutari *L* 1, minitare *v. c. Dousae.* — aparte *G.* — captis *v. c. Dousae.* 10 accusser *prius Gen.* 11 submittas *ABL* 1 summitas (*non* summittas) *G.* — posse *v. c. Dousae.* — censeas (*seq.* s) *libri praeter A*, *qui om.*, *corr. Dp.* 12 tristes ac severos philosophos *v. c. Dousae;* tristis ac severus philosophus *rell.*

VI [3] b

Polemonem amavit, morte huic trasmisit suam
scholen quam dicunt

VII [XXVII, 48] c

eidola atque atomus vincere Epicuri volam.

VIII [1] a

concedat homini id quod velit, deleniat,
corrumpat prorsum ac nervos omnis eligat.

IX [11] b

vel si alio opus sit, fore, si hinc aliquo cesseris.

X [31] a

Lucili, si in amore inritaris tuo.

XI [VIII, 15] b*

amicula aspera atque praecox ⏑ ⏑ ⏑

cilius lib. XXVIII. VI Non. 414, 12 trasmittere (ita m. 1 L 1; transmittere rel.) tradere (ita Iun., trahere cdd.) derelinquere. Lucilius lib. XXVIII. VII Non. 478, 28 volam pro velim. Lucilius lib. XXVIII (XXVII Iunius, D). VIII Non. 278, 8 delenitus est mente alienatus. Plautus — Lucilius lib. XXVIII (lib. XXVIIII B) concedat — eligat. — id. 269, 24 concedere dare vel permittere. M. Tullius — Vergilius — Terentius — Lucilius lib. XXVIIII concedat — deleniat. — idem 301, 9 eligere defetigare. Lucilius lib. XXVIIII (ita et B) corrumpat e. q. s. IX Non. 250, 33 cedere (concedere L 1) recedere (cederere del. ultimis duabus litt. G qui et ante m. 1 cederere). Lucilius lib. XXVIII (lib. XXVIII om. A). X Non. 31, 21 s. v. inritare — Lucilius satyrarum lib. I — Terentius — Vergilius — Sallustius — Lucilius lib. XXVIII. XI Non. 150, 15 praecox et praecoca, quod est inmatura. Ennius — Lucilius lib.

---

13 Polemonem amavit *Iun.*, Polemon (Polemo *B*, *Gen.*) et amavit (etiam aūt *B*) *cdd.* — morte *Lchm. comm. Lucr.* 170, mortem *libri.* — trasmisit *M*, transmisit *v.* 14 scholen *Lchm. l. m.*, scotlem *G*, *L* 1; scolem *B*, *Gen.* 15 eidola *Me*, etdola *cdd.* — acomus *L* 1, *L* 2. 16. 17 278 *cdd.* vult *et* prorsus (*qui G scripsit*, *voluerat prius* prorsum). — 301 prorsus ad *cdd. cum B.* — prorsum *rest. M* 419. — ueruos *G*, necvos *B*, *Gen. m.* 1. — 278 deligat *G.* 18 opus, us *in ras. A.* — fores hinc *Gen.*, *A*, *non G*, *L* 1. 19 inritaris tuo *M*, inritarit suo *v.;* irritarit *G; cf. quae notavimus ad I*, 27. 20 amicula *v. c. Dousae*, anicula *v.* — *post* praecox *add. cdd.* est fuga, *quae petita ex ultimis verbis fragmenti Varroniani*, *quod legitur ap. Non.* 156, 31, *intellexit Palmerius.*

XII [XXVII, 49] c*

Hymnis, velim tete id quod verumst credere.

XIII [epodis hymnis pg. 438] d*

Hymnis, sine eugio accipi me ac destina.

XIV [32] a

utrum anno an horno tete abstuleris a viro.

XV [35] b

vitam ac fortunas cui concrediderim meas.

XVI [48] a

nil parvo huic pensi. haut litteras doceas lutum.

XVII [36] b

cui saepe mille inposui plagarum in diem.

XVIII [42] c

⏑ – aquam te in animo habere intercutem.

XIX [XX, 8]

ephebum quendam, quem vocant parectaton.

XXVIII (ita M, III v., VIII Iun.). XII Non. 275, 4 credere est fidem habere dictis vel factis. Lucilius lib. XXVIII (ita M; XXVII cdd. plerique, XXVI G). XIII Non. 107, 30 eugium media pars inter naturalia muliebria. Lucilius [in epodis] (l. XXVIII add. M). XIV Non. 121, 7 hornum ipsius anni. Lucilius lib. XXVIII. XV Non. 275, 7 credere (redere G) fidei conmittere. Lucilius lib. XXVIII (lib. XXVIII om. A). XVI Non. 36, 31 pensum significat exaequatum; quod sine inclinatione sunt quae penduntur. Lucilius lib. XXVIII (XX octavo L 1). XVII Non. 496, 13 genetivus casus positus pro accusativo. Titinius — Plautus — Lucilius satyrarum lib. VII — Turpilius — Lucilius lib. XXVIII. XVIII Non. 37, 2 aqua intercus, hydropum morbus, quasi aqua inter cutem. Lucilius lib. XXVIII. XIX Non. 67, 11 s. v. parectatoi — Lucilius lib. VIIII — idem XXVIII (XXVIII M m. Rh. XXIV, 246; vicesimo tuum cdd.).

---

21 hiemis (ymnis) *G;* hynnis *B*, *Gen.*, *om. A.* — tete *M* 30, te *v.* 22 accipi me *add. M.* 23 tete *M*, te *v.* 24 crediderim *AB*, *atque ita D;* cum crediderim *Aldina.* 25 nihil *scripti.* — parvo huic *M*, parvi ac *v.* — haut *M*, uti *cdd.* — litteras *ed. Luc. Turic.*, littera *scripti.* 26 cu *ed. Basiliensis operarum errore.* — imposui *G*, *L* 2. — imposui mille *D.* 27 te *om. G.* 28 efoebum *cdd.* — quendam (amo *m.* 2) *G.* — praeutacton (*ut in Varronis frgm.* praeutactae), *sed punctis notatum et infra m. antiqua add.* parectaton *L* 1.

XX [12]

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ hinc a me ilicet
anu' russum ad armillum ´ – ⏑ – – – ⏑ –

XXI [34]

praeterea haec subsiciva, si quando voles,
opera! ⏑ – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

XXII [45]

fulmentas sene vis atque anu subducere?

XXIII [XXVII, 7]

⏑ – ⏑ – vasa ec fenestreis in caput
deiciam qui prope ad ostium aspiraverint.

XXIV [17]

ne hoc faciat atque ex hac is erumna exeat.

XXV [27]

primo redundat aurum ac thensauri patent.

XXVI [29]

pueri praeterea nostris quo subeant iubet.

XX Non. 74, 13 armillum Lucilius lib. XXVIII. XXI Non. 175, 21 subsicivum (subsicium L 1 m. 1, L 2, Lugd. 67, Bamb.) secundum, sequens. Lucilius lib. XXVIII. XXII Non. 206, 25 fulmentum — feminino. Lucilius lib. XXVIII. XXIII Non. 288, 28 deicere dicitur mittere. Vergilius -- Lucilius lib. XXVIII (ita M, XXVII v.). XXIV Non. 296, 16 exire, evadere, liberari. Lucilius lib. XXVIII (XXVI^{II} G). XXV Non. 384, 18 redundare abundare superesse. Lucilius lib. XXVIII (XXVIIII B, lib. XXVIII om. A). XXVI Non. 403, 26 subire succedere (cf. comm.). — Vergilius — Lu-

---

29 a me *D*, ad me *cdd.* — ilicet *M*, hinc licet *v.* 30 rursum *G et ex corr. L* 1. 32 opera *Dp*, operam *libri.* 33 fulmentas sene vis atque anu *M*, fulmentas eneis (aeneis *G et ita L m.* 2) atque aeneis *cdd.* 34 vasa *M*, has *v.* — ec fenestreis *M*, et fenestras *G*, *L* 1 *m.* 1, et fenestris *id. m.* 2 *cum Harl.* 35 deiciam *Gen.*, *v. c. Dousae*, *non L* 1 *qui h. cum G* deiciunt. — hostium *scr.* 36 *f.* utque. — erumna *G*, *L* 1, ęrumna *B.* — is erumna exeat *M*, erumna exeatis *cdd.*

37 primo *om. A.* — redundat *idem*, redundant rel. — a^{u}rum *A.* — tensauri, *m.* 2 *mut. in* thesauri *L* 2, tensauri *transfixa* n *Gen.*, thesauri *vel* tesauri rel. 38 quo *M*, qui *v.*

XXVII [XXVI, 12]*

ad cui? quem febris una atque una ἀπεψία,
vini inquam cyathus unus potuit tollere.

XXVIII [XXVI, 42]*

praetreito tepido glutinator glutino.

XXIX [26]

quid sic balistas iactas centenarias?

XXX [21] a

'piscium magnam atque altilium vim interfecisti'. — 'at nego'.

XXXI [46] b

nec parvo catillo pretio _ ⏑ _ _ _ _ ⏑ _

XXXII [37]

sarcinatorem esse summum, suere centonem optume.

XXXIII [9]

Socraticum quidam tyranno misse Aristippum autumant.

cilius lib. XXVIII. XXVII Non. 406, 23 tollere occidere (occidi, cidi in ras. G, hoccid L 1, L 2). Lucilius lib. XXVIII (ita M, XXVI v.). XXVIII Non. 491, 29 glutino pro glutine. Lucilius lib. XXVIII (XXVIII M, XXVI v., XXVII L 2). XXIX Non. 555, 24 balistae (ballistae L 1, ballistae L 2), saxa maiora et gravia quibus iaciuntur. Lucilius lib. XXVIII. XXX Non. 330, 29 interficere, consumere (consummare B.), finire. Lucilius lib. XXVIII (Lucilius in marg. m. 1 add. G.; lib. XXVIII om. A.).

XXXI Non. 365, 28 pretium dicitur quod re empta datur. Vergilius — Terentius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIII. XXXII Non. 175, 33 sarcinatorem sutorem (ita L 1 m. 2, L 2, Bamb., excepto quod in hoc est sartinatorem, sarcinator om. vocabulo altero G, L 1 m. 1). Lucilius lib. XXVIII. XXXIII Non. 237, 3 autumare (auctumare m. 1 L 1) est dicere. Pacuvius — idem —

---

40 *fortasse* vini quem cyathus. — cyathus *ms. Casaub.*, hiatrus *rell. cdd.*, hiatus *v.* 41 praetreito *M*, praeterito *cdd.*, praetento *al. ap. Dousam.* — glutino *v.*, glutinor *scripti.* 42 qui *L* 2. — sic *Turnebus*, sit *L* 2, fit *v.* — balistas *G*, ballistas *L* 1, ballistas *L* 2. — iactas *docti*, iactans *cdd.* — centinarias *m.* 1 *L* 1.
43 gnam *G.* — at *M* 34, id *alii*, ut *cdd.*; ut n. *om. A.* 44 catillo *Me*, catullo *cdd.*; *fortasse* nec parvo catulum pretio _ _ _ ⏑ _.
45 centunem *L* 1. 46 Socraticum *Iun.*, Socratium *G*, *L* 1, Socratum *Gen.*; Socratem *Lchm. comm. Lucr.* 170, *qui trimetros constituit.* — quidam *fortasse dativus.* — quidam *Lchm.*, quidante (d *supra*) *G*, quid dante *L* 1, *Gen.* — misse *Lchm. ib.*, misisse *G*, misisse *Gen.*, *L* 1.

XXXIV [18]

quid me fiet, siquidem nunc vis te inprobis conmittere?

XXXV [19]

conmovet se nusquam neque conmittet, ut pereat sibi.

XXXVI [14]

⏑ ⏑ nullo honore, di! sepultu', nullo funere.

XXXVII [XXVII, 50]*

in re agenda ipsa reidicula iactat adque alia adserit.

XXXVIII [40]

prospiciendum ergo in senectam iam nunc adulescentiaest.

XXXIX [43] *α*

quare pro facie, pro statura Acciu' status?

XL [XXVII, 30] *β**

si facie facies praestat, si corpore corpus.

Lucilius lib. XXVIII. XXXIV Non. 248, 23 conmittere coniungere, sociare. Lucilius lib. XXVIII (lib. XXVIII om. A). XXXV Non. 248, 31 conmittere facere. M. Tullius — Vergilius — Lucilius lib. XXVIII. XXXVI Non. 320, 25 honor sepultura. Vergilius — Lucilius lib. XXVIII (ita B; XXXVII G; XXVII L 1, Gen.). XXXVII Non. 328, 3 iactare ambitiosius gloriari. Vergilius — Lucilius lib. XXVIII (ita M, XVIII cdd.). XXXVIII Non. 492, 21 senecta (cdd. senectam) pro senectute. Vergilius — Lucilius lib. XXVIII (lib. XXVIIII L 2). XXXIX Non. 226, 24 statura generis feminini. Lucilius lib. XXVIII. XL Non. 371, 12 praestare antecellere. Vergilius — Sallustius — Terentius — M. Tullius — Luci-

---

47 nunc *Vahlenus*, non (no [N] *Gen.*) *cdd.* — improbis *A*, *B*, *G.* — committere *libri.* 48 commovet *libri.* — committet *L* 1, *Gen.*, commi[t]tet *G.* 49 di! sepultu' *M*, displetu *cdd.* 50 in re, iure *v. c. Dousae.* — reidicula *M*, radigla *m.* 1 *L* 1, ridicula *G*, *B.* — iactat *Iun.*, id *cdd.* — atque *G*, *B.* — alia *add. M* 427, *om. v.* — adserit *M*, adseret *B*, adsederet *G*, *L* 1. 51 senectam *Dp*, senecta *cdd.* — *post* senecta *una vel duae litterae erasae in G.* — iam *add. M* 37. — adulescentiaest *M ib.* adulescentia (aduliscentia *L* 1 *m.* 1) est *libri.* 52 *illud* status *diremptum a verbis Lucilii novi lemmatis initium exhibent G*, *L* 1. 53 si facie f. pr. *M*, si facies pr. facie *v.*, si facies praestat *cdd. pr. L* 1, *in quo est m.* 1 restat, *m.* 2 prestat.

XLI [6] α

ut si progeniem antiquam, qua est Maximu' Quintus,
qua varicosu' vatax ◡◡–◡◡–◡◡–◡

XLII [28] β

consilium patriae legumque oriundu' rogator.

XLIII [25]

sed fuga fingitur. ut timido pede percitu' vadit!

XLIV [5]

omnia vescatis manibus leget, omnia sumet,
crede mihi: presse ut dicam, res auferet omnis.

XLV [44]

–◡◡– quaeque aspectu sunt spurca et odore

XLVI [XXVIII, 38]

tantae se emporiis merces et faenera tollent.

[XLVII] [cf. not. ad inc. 118]

[hic scurra, hic carcer, carcer vix carcere dignus]

lius lib. XXVII (XXVIII M, XXVII v.). XLI Non. 25, 14 vatax et varicosus (ita legend., cdd. vatrax et vatricosus) pedibus vitiosis (viciosus L 2). XLII Non. 383, 10 rogare instituere. M. Tullius — Lucilius lib. XXVIII (ita M, XXVII cdd.). XLIII Non. 308, 27 fingere parare. Lucilius lib. XXVIII (lib. XXVIII om. A). XLIV Non. 395, 32 sumere est accipere tollere. Vergilius — Sallustius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIII. — idem 332, 25 legere surripere significat — Vergilius — Turpilius — Lucilius lib. XXVIII o. v. m. l. XLV Non. 394, 15 s. v. spurcum — Lucilius lib. XI — idem lib. XXVIII (lib. XXVIII om. A). XLVI Non. 406, 30 tollere est elevare. Vergilius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIII. [XLVII] Merula pg. 253 ed. Enn. ex Calpurnii grammatici libro inter iterationis exempla protulit hoc: optime Lucilius satira XXVIII de fure Callonio hic e. q. s.; quae conficta sunt ex inc. libr. frgm. 107 cum recordatione eorum quae leg. XXVIII, 44 et IIII, 3. conferenda quae dixit Lawickius in dissertatione quam adtuli in notis ad XXIII 2.

---

55 vacax qua varicosus v. *cdd.*, vacax *om. v.* — vatrax *v. c. Dousae et ita pr. m. Harl.* 56 oriundis orator *B*; oriund progator *G*; pro.gator (.pa *m. 2*) *L* 1, rogator *Gen.* 57 ut *add. M.* — tumido *A*, *B*, *Gen.* — pede percitu' vadit *M*, vadit pede percitus *v.* 58 vescatis *L* 1 *m.* 1 396, viscatis *rell.* — leget.(omnia) *G*, sumet *add. docti*, *om. cdd.* 59 ut dicam, res *supplevit M*, *om. v.* 60 aspecto *A.* 61 tantae se *M*, tanti se (n *m. 2*) *G*, *L* 2, tati se *L* 1. — emporiis *Palmerius*, temporis *cdd.* — merces et faenera *M*, montes et faetera *scripti.*

LIBER XXVIIII.

I [60] a

deletionem nostri ad unum exercitus.

II [13] b

sic inquam veteratorem lum, vetulum lupum,
Annibalem acceptum. – ⏑ – – – ⏑ –

III [62] c

hoc tum ille habebat et fere omnem Apuliam.

IV [61] d

detrusu' tota vi deiectu'que Italia.

V [6] aα

sic Socrates amorem in adulescentulis
meliore paulo facie signat nilque amat.

VI [7] bβ

et amabat omnes. nam discrimen non facit,
quei signat linia alba – – – ⏑ –

I Non. 97, 4 deletio Lucilius lib. XXVIIII. II Non. 240, 8 accipere decipere. Lucilius lib. XXVIIII (XXXIIII G, lib. XXVIIII om. A). III Non. 317, 26 habere tenere occupare. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIIII om. A). IV Non. 288, 32 deicere praecipitare. M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII. V Non. 405, 11 signare est designare, ostendere. Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIIII om. B). VI Non. 282, 17 discrimen rursum separatio a discernendo — Sallustius — Vergilius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII. — idem 405, 15 signare discernere separare. Lucilius lib.

---

2 scinquam *L* 1, *non G*, *A*, *B*, *Gen.;* scin inq. *Franck. II*, 25. — illum *v.*, lum *M.* — vetum *B m.* 1. 3 Hannibalem *A*, *B*, *Gen.* 4 [h]oc *A.* — Apuliam *A*, *B*, *G*, *L* 1. 5 detrusu' *M*, detrusus *Me*, [e m. 2] detrursus *L* 1, dtrursus *G*, det rursus *Gen.* — deiectu'que *M*, deiectaque *cdd.* 6 sic *G*, si *L* 1, *B.* — Socrates in *cdd.*, *del.* in *docti.* — amorem *M* 30, amore et *cdd.* — adulescentilis [u] *G.* 7 factę *B.* — signant *idem.* — nilque amat *M ib.*, nihilque amaret *scripti.* 8 amauat *m.* 1 *L* 1. — nam *Iun.*, ut *Gen.* 282, nam ut *cdd. rell. l. utr.* 9 quei *M*, neque *cdd.* — linia, *ita* 405 *G*, *L* 1, *B; ubi* lima *A;* linea 282 *G*, *L* 1.

VII [55] γ

quid? quas partiret is pro doctrina boni?

VIII [XXVIII, 15] δ

quae cum cognoris, vitam sine cura exigas.

IX [add. ad l. XXX pg. 440] a

Gell. n. A. VI, 3, 28: recte inquit (Tullius Tiro) hoc vitio dat Lucilius poetae Euripidae, quod, cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret, quod ipse ante de nece eius consilium cepisset, Meropa fratris uxor hisce adeo (ita Hertzius, ad libri) eum verbis eluserit:

εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὥς σὺ φῄς, κτείνειν πόσις,
χρῆν καὶ σὲ μέλλειν, ἕως χόλος παρῆλθεν.'

at hoc enim, inquit, plane stultitiae plenum est, eo consilio atque ea fini facere velle aliquid, uti numquam id facias, quod velis.

X [56] b

ut si id quod concupisset non aptus foret.

XI [XXX, 17] aα

⏑–⏑– cui fiderem vitai meai
ἐπίτευγμα, ecpendi longe opera ante alia omnia.

XXVIIII (lib. XVIIII G, B, L 1, om. A) nam e. q. s. VII Non. 472, 11 partiret pro partiretur. Lucilius lib. XXVIIII. VIII Non. 291, 13 exigere significat agere. Plautus — Vergilius — Terentius — Lucilius lib. XXVIIII (XXVIII Aldus, Iun.). X Non. 234, 22 aptus significat adeptus. Accius — Pacuvius — Lucilius lib. XXVIIII.
XI Non. 339, 9 longe etiam valde. Vergilius — M. Tullius —.

---

10 is *M*, *sive* res, ipse *cdd.* — pro, per *Bamb.*, *L* 2. — bona *idem.* 11 quae *add. M.* — cum, con *m.* 1 *B*, cu *cum parte litterae* m *in ras. L* 1. — cognoris, *ita L* 1 *m.* 1, cognoveris *idem* 2, *G*, *B*. 13 *χρῆν Valckenarius*, *χρὴ v.* — *ἕως docti*, *ὡς cdd.* — *χόλος M probante Nauckio*, *χρόνος v.* 14 foret *add. Dp.* 15 fiderem *M*, ubi derim *G*, *L* 1, derim *B*, *Gen.*. — vitai meai *M*, in vita meae *B*, *Gen.*, inutia meae *G*, *L* 1. 16 *ἐπίτευγμα Iun.*, epiteoma (tegma *m.* 1) *G*, epitegma *L* 1, epigma (ta *m.* 1) *B*, epitagma *Gen.* — ecpendi *M*, apelli *B*, apepelli *rel.*

XII [40] bβ

favitorem tibi me, amicum, amatorem putes;

XIII cγ

cuius sei in periclo feceris periculum.

XIV [2] dδ

habeas quoque animo mi admodum causam gravem
fore, quae me ab ullo commodo abducat tuo.

XV [4] ε

Apolost numen, qui te antiquis non sinet
deliciis maculam atque ignominiam inponere.

XVI [39] a

colligere auxilium, tametsist indigna ut feram.

XVII [3] b

quam mi ille quantumst inter humanum genus
ferumque interse coniugat, communicat!

XVIII [8] c

⏑ – ⏑ – ⏑ tu qui iram indulges nimis,
manus a muliere abstinere melius est!

Lucilius lib. XXVIIII. XII Non. 110, 23 favitorem (ita v., fabitorem cdd.) fautorem (fautorem add. docti, om. libri). Lucilius lib. XXVIIII. XIII Non. 364, 5 periculum experimentum. Sisenna — M. Tullius — Terentius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII. XIV Non. 315, 29 grave necessarium. Lucilius lib. XXVIIII. XV Non. 24, 2 ignominia est nominis nota. M. Tullius — Lucilius libro XXVIIII. XVI Non. 303, 10 ferre adferre. Vergilius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII. XVII Non. 36, 9 coniugare (coniungere v.) copulare; dictum est a iugo. Lucilius lib. XXVIIII. XVIII Non. 325, 32 indulgere augere. Lucilius lib. XXVIIII.

---

17 fautorem *Bamb.*, *non L* 2. — amatorem, *fortasse* et Mentorem. 18 sei *M*, se *B*, *Gen.*, si *rel.* — periclo *M*, periculo *v.* 19 habeas quoque animo mi *M*, habeasque (habeasquae *B*) animo mihi *cdd.* — grave *G*, *L* 1; grau(*ras.*)um *Gen.*; gratum *et* 20 forte *B.* 21 numen *et* deliciis *docti*, nomen *et* delicis *libri.* 22 imponere *G.* 23 colligare *L* 1, *non G*, *B.* 24 mi ille *M*, mihi *cdd.* 25 rerumque *idem*, ferumque *Mc.* — coniugat *Bentinus*, coniungat *v.* 27 manu *B.* — a m. abst. *docti*, abst. a m. *cdd.*

XIX [10] a

amicos hodie cum inprobo illo audivimus
Lucilio advocasse – – – ⏑ –

XX [XXVIII, 41] b

Chremes in medium, in summum eirad Demaenetus.

XXI [59] c

urguet gravido saepius culpa tua.

XXII [70] d

⏑ – ⏑ – ⏑ 'quis tu homo es?' — 'nemo sum homo'.

XXIII [46] e

nemo hos ancipites ferro effringat cardines.

XXIV [47] f

vecte atque ancipiti ferro effringam cardines.

XXV [XXVIII, 30] g*

malo hercle vostro confectores cardinum!

XXVI [XXVIII, 24] h*

agite agite, furei mendacei argutamini!

XIX Non. 74, 10 advocasse pro vocasse (provocasse G, L 1). XX Non. 331, 4 ire accumbere. Lucilius lib. XXVIIII (XXVIII Gen., B, L 1). XXI Non. 418, 3 urguere est premere, cogere. Verg. — et — Lucilius lib. XXVIIII (in B fuit prius XXXIIII). XXII Char. 75 antiqui — nemo dicentes, quasi minus significaret ne homo, et homo addebant ut Ter. — et Lucilius XXIX (XIX coni. Lindem., ceterum nemo est add. cd.) ideo dixit. XXIII Non. 245, 10 anceps duplex. Lucilius lib. XXVIIII. XXIV Non. 245, 17 anceps acutum ex utraque parte. Lucilius lib. XXVIIII. XXV Non. 268, 31 conficere frangere. Lucilius lib. XXVIIII (XXVIIII M, XXVIII v.). XXVI Non. 239, 14 argutum audax malitiosum. Lucilius lib. XXVIIII (ita M,

---

28 *illud* hodie *add. L* 1, *G*, *edd. Iun.*, *Dousae*, *Merceri; om. operarum errore Basiliensis.* — improbo *G.* 30 Cremes *G.* — eirad *M*, ire ad *vel* iread *cdd.* (*in B* d *supra add.*). — *eidem* Demenetus. 31 urget *G*, *B*, *m.* 2 *L* 1 *et Gen.* (*ita et in lemm.*). — tua tua *G.* 32 *quae secuntur in cd. Char. lacunis deprav. et ita fere suppl.* atque item de dis dicitur *nihil ad Luc. pert.* 33 aucipite *Dp*, ancipiti *Bentl. ad Hor. c. III*, 26, 7. 35 h^{er}cle, h *in ras. B.* — vestro *cdd. cum D.* 36 furei *M*, fures *G*, *L* 1, furi, *corr. in* fures *B.* — mendacei *scripsi concinnitatis ergo*, mendaci *G*, *B*, mendati *L* 1.

XXVII [XXVIII, 2] i*

oratione facere conpendi potes,
solvi dum salvo tergo a tergino licet.

XXVIII [XXVIII, 28] k*

pervade et transi vel da quam ob rem transeas.

XXIX [37] l

'Gnato, quid actumst'? — 'depilati omnes sumus'.

XXX [66] m

insulta miserum tu quoque in me! ‒ ◡ ‒

XXXI [XXVIII, 39] n

verum tu quid agis? interpella me, ut sciam.

XXXII [53] o

cum ipsi in lutum descendant, cum alios detrahant.

XXXIII [45] p

crus lapide (nil est) caedam, si te offenderit.

XXVIII v.). XXVII Non. 414, 5 terga dorsa. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII (ita M, XXVIII cdd.). XXVIII Non. 278, 29 da dic. Verg. — etiam — Terentius — Lucilius lib. XXX — et lib. XXVIIII (XXVIIII M, XXVIII scripti). XXIX Non. 36, 27 depilati dictum pavefacti (rarefacti v.). Lucilius lib. XXIX. XXX Non. 330, 20 insultare iniuriosius aliquid dicere. Lucilius lib. XXVIIII. XXXI Non. 330, 32 interpellare adire conmonere * * * interpellare dicere docere (v. ducere; in A est i. a. c. vel dicere). Lucilius lib. XXVIIII (XXVIII L 1, Gen., B; libri notam om. A). XXXII Non. 288, 10 detrahere extrahere. Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIIII om. A). XXXIII Non. 358, 23 offendere est percutere. Turpilius — Lucilius (Licilius m. 1 L 1) lib. XXVIIII.

---

37 conpendi *L* 1, compendi *rel.* — potes *Gen.*, postes *L* 1, postes *B*, potest *G*. 38 solvi *v.*, salvi *cdd.* — in tergo *idem cum L* 1, *in quo tamen* in *add. m.* 2; *del. praepos. Turnebus.* — a tergino *M* 31; et in tergino *G*, et tergino *L* 1, *Gen.; in B legitur* et salvi non; *duplex* in *irrepsit ex praecedente* in tergum. 39 pervade *M*, persuade *v.* 40 Gnatho *Me*, nato *cdd.* 41 tu *docti*, te *cdd.* — insultat miserum te quoque Muti *ms. Fabri.* 42 quod *B.* — me *om. AB.* 43 luctum *prius fuit in B.* — discendant *m.* 1 *L* 1. — tum *A.* — detrahunt *G et ita Harl. ex corr.* 44 nihil *scripti.* — caedam *ed. Luc. Turicens.*, credam *B*, *G*, *L* 1.

XXXIV [22] q

primum ex advorso siquod est cenaculum,
quo recipias te – ⏑ – – – ⏑ –

XXXV [XXVIII, 23] r

caede ostium, Gnato! urguent, instant! periimus.

XXXVI [XXVIII, 47] s*

coicito te intro ac bono animo es! – – ⏑ –

XXXVII [43] t

quod te intromisi, gratiam referas mihi.

XXXVIII [68]

subplantare aiunt Graeci – – – ⏑ –

XXXIX [48]

hiemem unam quamque carpam – – – – ⏑ –

XL [38]

Non. 287, 8 distrahere est vendere. Lucilius lib. XXVIIII * * * dividant differant dissupent (ita Gen., v. dissipent) distrahant (distrah[a]ent G).

XLI [54]

huc, alio cum iter haberet, praeteriens venit.

XXXIV Non. 384, 5 recipere revocare (vocare B). Lucilius lib. XXVIII. XXXV Nonius 272, 8 caedere frangere. Verg. — M. Tullius — Lucilius (om. AB) lib. XXVIIII. — idem 417, 32 urguere insistere. Lucilius lib. XXVIII. XXXVI Non. 506, 23 es pro esto. Lucilius lib. XXVIIII (XXVIIII M, XXVIII v.). XXXVII Non. 381, 33 referre reddere. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII. XXXVIII Non. 36, 4 subplantare (supplantare Bamb.) dictum est pedem subponere. Lucilius XXVIIII. XXXIX Non. 252, 11 carpere celeriter praeterire. Vergilius — idem — Lucilius (Lucretius G) lib. XXVIIII. XLI Non. 318, 20 habere dirigere. Lucilius lib.

45 proximo *B.* — adverso *GB*, *non L* 1, *Gen.* — siquod; *ita nulla mut. facta L* 1 *cum ceteris.* — cenaculum *G*, caenaculum *L* 1, *B*, *Gen.* 46 quo; *sic B cum reliquis.* — recipias te *vel* recipiare *M*, recipiat te *v.* 47 hostium *l.* 272 *et B*, *Gen.* 417. — grato *cdd. l. priore; post. B*, *L* 1 gnato, Gnatho *G; gnate mscr. Iun.* — urgent, instant *M* 440; *scr.* 272 urgere istam, 417 urge restant; urguere, urgue *Gen.*, *L* 1 *utr. l. m.* 1. — periimus *cd. Iun.* 417; perimus *rel.* 48 coicito *Lchm. com. Lucr.* 136; coici *G*, *L* 1 *m.* 1; conici *L* 2 *cum m.* 2 *L* 1; conice *v.* 49 intromissi *B.* — referas *Dp;* refer[a]t *G*, referat *L* 1. 50 supplantare aiunt, Graeci ὑποσκελίζειν dicunt *Ald.*, *Iun.*, *D.* 52 huc *Me*, hunc *B*, *G*, *L* 1; hoc *libri Merceri.* — hab[er]et *G*,

XLII [18]

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – cohibet domi
maestus se, Albinus repudium quod filiae
remisit – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

XLIII [44]

tum illud ἐπιφωνεῖ, quod etiamnum nobilest.

XLIV [64]

deum rex avertat verba obscaena – – ⏑ –

XLV [50]

adde alios omnes meo periclo ex ordine.

XLVI [17]

⏑ – ⏑ – ⏑ etsi retinere hunc voles
spe longius te producturum et diutius.

XLVII [49]

pluteos excutiet tectaque et testudines
reddet ⏑ – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

XXVIIII. XLII Non. 350, 29 maestum triste miserandum. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII (XXVII[II m. 1] G) cohibet — Albinus. — idem 383, 19 remissum missum. Lucilius lib. XXVIIII. XLIII Non. 351, 23 s. v. nobilis — Lucilius satyrarum lib. VII. — Varro περὶ αἱρέσεων — Accius — Terentius — Vergilius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII. XLIV Non. 357, 11 obscaenum (ita Mercerus, obscenum v.) significat et vitabile. Accius — Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIIII om. A). XLV Non. 364, 2 periculum est salutis discrimen. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII. XLVI Non. 372, 22 producere dicitur longius ducere. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII. XLVII Non. 381, 7 reddere facere. Lucilius lib. XXVIIII

---

53 cohibet (*non* cohibet) et *cdd.* 350. — *ib.* domina maestus *G et ita sed ut a pr. m. fuerit* domina aestus *L* 1; omnia aestus *Gen.* 56 ἐπιφωνεῖ *M vel* ἐπεφώνει, epifoni *G*, epitofoni *L* 1, est epifoni *B;* ἐπιφώνει *Dp.* — etiamnum *idem*, etiamtum *v.* 57 rex avertat *Turnebus*, rixa vertat vertat *cdd. cum B sed alterum* vertat *in Harl.. a. m.* 2 (vertat ver[n]tat *A*). — obscaena *Me*, obscena *v.* 58 periclo *D*, periculo *cdd. cum B.* 59 huc *B.* 60 spe *M*, si *v.* 61 excutiet *M*, excutet e *in* i *mut. G*, excutit *A*, *B*, *L* 1. 62 retdet *corr. in* reddet *A.*

XLVIII [20] a

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – certum scio
esse ita ut dicis, nam mihi erant de illo explorata omnia.

XLIX [69] b

– ⏑ – ⏑ dissociata aeque omnia ac nefantia.

L [5] c

deierat enim se scribse et post non scributurum. redi in consortionem.

LI [26] d

quid mihi proderit, quam satias iam omnium rerum tenet?

LII [XXIII, 1] e*

cupiditas ex homine cupido et stulto numquam tollitur.

LIII [41] aα

– ⏑ – ⏑ ut nunc hac re mihi opem atque auxilium offeras.

LIV [28] bβ

perge, amabo, ac si potes face dignam me ut vobis putem.

(lib. XXVIIII om. A). XLVIII Non. 294, 20 explorare probare. M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIIII om. A). LXIX Non. 489, 14 s. v. nefantia — Lucilius lib. sat. III — idem lib. XXVIIII. L Non. 196, 11 consortium neutri generis. [consortionem] feminini Lucilius lib. XXVIIII (XXVIIII G, XVIIII L 1). LI Non. 172, 6 satias pro satietas. Accius — Varro — Sallustius — Lucilius lib. XXVIIII. LII Non. 436, 30 cupiditas et cupido diversa sunt; nam cupiditas levior est. Lucilius lib. XXVIIII (ita M, XVIIII G, L 1, Me; XXVIII ed. princ., XXIIII sive XXIX Ald., XXIII Bentinus, Iun., XXX ed. a. 1480). LIII Non. 360, 23 offerre adferre (solus G efferre). Lucilius lib. XXVIIII. LIV Non. 369, 29 putare aestimare. Ter. — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII.

---

65 dissociata *Oehlerus ad Varr. σκιαμαχίας frgm.* 4, dissociat *scripti.* — atque *idem* (*L* 1 ad[t]que), aeque *Fruterius.* — an *G*; ac nefantia *om. Bamb. Leid.* 2. 66 se scribse *M*; scribse *add. m.* 2 sis *L* 1.; scripsisse *G.* — scribiturum *G*, scrbturum (*non* scributurum) *L* 1. 68 satiasti *m.* 2 satias te *L* 1. — tenet facta *cdd.*, *del. Bentinus* (*irrepsit* facta *ex fine Sallustii verborum quae praecedunt*). 69 et *M*, ex *v.* 70 ac re mihi *in ras. B;* hacrem ihi *Gen.*; *fortasse* acrem.

71 ambo *B.* — ac [si] *G.* — potest *B.* — *malim* fac.

LV [52] c γ

– ⏑ – ⏑ surge mulier! duc te! — filum non malum.

LVI [36] d δ

ni rediret ad se atque illam exterminaret miserulam.

LVII [XXVII, 11] e ε

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – facio cito.
ad lenonem venio, tribus in libertatem milibus
destino ⏑ – – ⏑ – – ⏑ – – ⏑ – – – ⏑ –

LVIII [XXVIII, 49] ζ*

Hymnis, ego animum sic induco, quo tua ab insano auferas.

LIX [32] a

age nunc summam sumptus duc atque adde alieni aeris simul.

LX [31] b

eodem una hic modo aeris iam rationes subducent suas.

LV Non. 313, 12 filum oris (ores libri) liniamentum. Lucilius lib. XXVIIII. LVI Non. 27, 8 exterminatum est praeter terminos missum. Lucilius lib. XXVIIII. LVII Non. 289, 29 destinare emere. Lucilius lib. XXVIIII (ita L 1 et ut videtur Gen., XXVIII G). LVIII Non. 330, 9 inducere persuadere. Lucilius lib. XXVIIII (videnda quae notata sunt infra). LIX Non. 283, 27 ducere volvere pertractare. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII. LX Non. 399, 11 subducere (ita v., subdere cdd.) supputare. Terentius — Lucilius

---

72 surrge *B.* — multer *L* 1 *m.* 1. — duc te *M*, ducte *B*, *Gen.*, ducite *G*, *L* 1. 73 ni *L* 1, non *G.* — *fortasse* utque. — exterminaret v., exterminare *cdd.* — miserulam *M* 353, miseram *scripti.* 74 cito *add. M.* 76 destino *Acidalius*, destiner *cdd.* 77 XXVIIII Hymnis *M*, XXVIII ighymnis *L* 1, *Gen*, XXVIII Ighymnis *B*, XXVIII gemis (*lineolis inductis del.*) hymnis *G;* XXVIII Hymnis *v.* — *fortasse* sic animum. — quo *M*, quod *v.* — tu, *Gen.*, *L* 1, *om. B; fortasse* te. — aut inferas *L* 1. 78 aeris *v.*, aeri *cdd.* — adde alieni aeris simul *M*, ae. s. ad. al. *scripti.* 79 una *M*, uno *v.* — hic *L* 1, *Gen.*, *codex Tornesianus*, *lib. vet. Dousae*, hi G. — aeris iam rationes *M*, errationes *cdd. pler.*, rationes *l. v. D.* — subducent *docti*, subduceret *G*, *L* 1, *Gen.*, subducet *liber vetus Dousae.*

LXI [30] c

haec est ratio perversa; aera summai subducta inprobe.

LXII [63]

verum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio.

LXIII [35]

in me illis spem esse omnem, quovis posse me emungi bolo.

LXIV [67]

primum Chrysi cum negat se gnatam -- redere.

LXV [33]

Chironeo et non mortifero adfectus vomicai volnere.

LXVI [23]

in gymnasio ut schema antiquom spectatores retinerit.

LXVII [21]

aetatem istuc tibi laturam bellum, si hoc bellum putas.

(satyrarum add. G, non L 1) lib. XXVIII. LXI Non. 74, 4 aera numeri nota. Lucilius lib. XXVIIII. LXII Non. 30, 22 exordium est initium; unde et vestis ordiri dicitur, cum instituitur detexenda. Vergilius — M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII. LXIII Non. 36, 17 emungi ex manifesta significatione manat. Lucilius lib. XXVIIII (ita, non XXIX G, L 1). LXIV Non. 171, 4 signatam (integram m. 2 add. Leid. 1) virginem vetustas voluit dicere (signatam integram om. rel. Bamb., L 2). LXV Non. 186, 26 vomica concava loca, vetustate exesa. LXVI Non. 225, 2 schema — neutro. Naevius — Lucilius lib. XXVIIII. LXVII Non. 248, 7 bellum est ut plerumque pugna. bellum elegans (ita AB, L 1 m. 1, eligans v.), melius prudens.

---

80 haec *v.*, hoc *cdd.* — perversaera *L* 1. — summai *M*, summa [a *m.* 2] et *L* 1, sū [ma *m.* 2] et *G*; summae *Scal.* — improbe *G*. 81 verum *Me*; virum *L* 1, *G*; utrum *Iun.*, *D*. 82 in me illis *Fruterius*, in mellis *cdd.*; *fortasse* in me lis. — possem emungi volo *l.*, *corr. Carrio.* 83 primum *D*, primam *cdd.* — crisicum *idem*; Chrysi cum *Scal.*; Chrysae cum *Iun.* — se gnatam *Me*, signatam *Nonius*. — redere *L* 1, *G*; *sed in hoc prius fuerat* redire. 84 Chironeo *Dp*, tyroneo *cdd.* — vomicai *M*, vomica et *v.* — vulnere *docti*, vulnera *scripti.* 85 gymnasio *v.*, gemnasio *cdd.* (*L* 1 *m.* 1 gemnaseo). — scema *L* 1. — antiquom *M*, antiquo et *G*, antiquo est *L* 1. — *idem* peccatores. — retinerit *M* 29, retineres *libri.* 86 stuc *B*, *Gen.* — laturam et (*quod ex praecedente* aetatem *ortum*) *cdd.*, *del.* et *M*.

LXVIII [XXX, 76]*

et circum volitant ficellae, turdi, curati cocis.

LXIX [34]

mango, non magna mercede est, magno quod conduxeris.

LXX [XXX, 21]

omnia alia in quibus ecferimur rebus, ne ego multis loquar.

LXXI [58]

unde domum vix redeat vixque hoc exuat se – ⏑ –

LXXII [4]

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – – non prius
tollas quam Tulli animum ex homine atque hominem ipsum interfeceris.

LXXIII [42]

vos interea lumen adferte atque aulaea obducite.

LXXIV [XXVIII, 33]

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ anno vertentei dies
tetri, miseri ac religiosi – ⏑ – – – ⏑ –

Lucilius lib. XXVIIII. LXVIII Non. 274, 10 curatum cum dilectu (delectu G) apparatum. Lucilius lib. XXIX (ita M, lib. XXX v.). LXIX Non. 274, 14 conducere est sicuti usu. Lucilius lib. XXVIIII. LXX Non. 298, 2 efferre extollere. M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII (XXX Ald. Iun.). LXXI Non. 300, 10 exui liberari. Lucilius lib. XXVIIII. LXXII Non. 330, 23 interficere occidere. Lucilius (supra add. m. 1 in G) lib. XXVIIII. LXXIII Non. 360, 28 obducere aperire. Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIIII om. A). LXXIV Non. 379, 8 religio metus vel sollicitudo. Varro — Lucretius — Vergilius — Terentius — Lucilius lib. XXVIIII (ita G, B,

---

87 ficellae *M*, ficetulae *cdd.* — tdi (ur *m.* 2) *L* 1, turdis *m.* 1 *B.* — curati cocis *M*, curatis coci *L* 1, *B*, *Gen.*, curatis soci *G.* 88 mango *M*, magno *v.* — est *add.* *M.* — cumduxeris *sed m.* 1 *corr. B.* 89 haec ferimur *L* 1 *et m.* 1 *Gen.*, efferim' *B.* 91 non prius *M*, prius non *cdd. cum B.* 92 ex nomine *idem*, ex homine *ed. Lucil. Tur.* 93 adferte *G*, aufferte *L* 1, auferte *A*, *B*, *Gen.* — aulea *cdd.* 94 vertentei *M*, vertente *B*, *G*, *L* 1.

LXXV [25]

hic me ubi vidit, subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – – – – ⏑ –

LXXVI [29]

hoce venisset unum ad morbum illum homini vel bellissimum.

LXXVII [inc. 101]*

Persium non curo legere: Laelium Decumum volo.

LXXVIII [15] a

cum manicis catulo collareique, ut fugitivom, deportem.

LXXIX [57] b

nec ventorum flamina flando suda secundent.

Gen., XXVIII L 1). LXXV Non. 472, 5 palpatur. Lucilius lib. XXVIIII. — Festus 210 pedes pro pediculis. sic Plautus — et Livius — et Lucilius: ubi me vidit, caput scabit, pedes legit. — eadem sed additis perperam in principio Titinii verbis pedicosus squalidus habet Paulus 211. — hunc exscripsit auctor thes. nov. Lat. auct. classic. a Maio ed. VIII, 400, cuius nugas afferre non vacat. LXXVI Non. 527, 25 vel pro etiam est. M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII (XXVIII Bamb., L 2). LXXVII Cicero d. or. II, 6, 25 nam ut C. Lucilius homo doctus et perurbanus dicere solebat neque se ab indoctissimis neque a doctissimis legi velle, quod alteri nihil intellegerent, alteri plus fortasse quam ipse; quo etiam scripsit P. n. c. l. (hic fuit enim, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus): L. d. v., quem cognovimus virum bonum et non inlitteratum, sed nihil ad Persium. — huc pertinere putat Corradus quae leguntur in epist. ad Att. XVI, 11, 1: perstringam (M. Antonium) sine ulla contumelia Sicae aut Septimiae; tantum ut sciant παῖδες παίδων sine vallo Luciliano eum ex Gai Fadi filia liberos habuisse. — ibi ille v. L. id ipsum significari existimat quod Lucilius neque a doctissimis neque ab indoctissimis sua legi voluerit. sed ibi sillo Gron. verba obscura necdum satis expedita. LXXVIII Non. 36, 24 collare est vinculi genus, quo collum adstringitur. Lucilius lib. XXVIIII. LXXIX Non. 31, 14 sudum dictum est quasi seudum (cdd. semiudum) ut est aer post pluvias serenus et liquidus. Vergilius — Plautus — Lucilius lib. XXVIIII.

---

96 ubi *abest a L* 2, *Bamb.* — videt *Nonius.* — scauit *L* 116. 97 pedes legit *om. Nonius.* — *in thes. nov. Lat. haec sunt* hispedicosis ubi me vidit, caput abscondit, pedem contraxit. 98 hoce venisset *M*, hoc invenisset *cdd.* 99 Decumum *cdd. aliquot*, Decimum *Erlangensis.* 100 catulum *ms. Fabri.* — collareique *M*, collareque *cdd.*, collarique *v.* — fugitivum *G*, *L* 1, fugitivus *liber Fabri.*

LXXX [12] a

hic corpus solidum invenies, hic stare papillas
pectore marmoreo.

LXXXI [24] b

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ubi erat κοπιῶσα,
eiecere istum abs te quam primum et perdere amorem.

LXXXII [14] α

ad non sunt similes neque dant. quid sin dare vellent?
acciperesne? doce.

LXXXIII [16] β

quei et poscent minus et praebebunt rectiu' multo
et sine flagitio.

LXXXIV [XXVIII, 27]

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ non tu
contraheris? volgi inperiis versere necessest,
nec sine permitie ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡

LXXXV [51]

paulisper comedent iam haec sese ut polypus ipsa.

LXXX Non. 391, 24 stare erigi (in G fuerat prius erigere) prominere. Lucilius lib. XXVIIII (XXVIII G, Gen., XXVII B, lib. XXVIIII om. A). LXXXI Non. 300, 18 eiectum dictum exclusum. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIII B). LXXXII Non. 290, 2 docere dicere. Lucilius lib. XXVIIII. LXXXIII Non. 313, 15 flagitium periculum. Lucilius lib. XXVIIII. LXXXIV Non. 153, 17 permities (permitiis L 1) periculum exitium. Lucilius lib. XXVIIII (XXVIII G). LXXXV Non. 220, 3 polypus generis feminini. Lu-

103 papillas *A*, papyllas *rel.* 105 ibi *L* 1, *Harl.*, *Gen.*, *B.* — erat κοπιῶσα *M*, eratscopios *G*, *L* 1 eratscopiose *B*, *Gen.* 106 eiecere, *ita L* 1, eiecere *factum ex* eicere (*ita Gen.*) *Harl.*, ecicere *B*, eiccere *del. priore* c *G.* 107 ad *L* 1 *m.* 1, *Gen.*, at *G*, *B.* — sin *M* 398, sint *cdd.*: si *Me.* 108 acciperesne *ms. Fabri*, acciperisne *G*, *L* 1 *m.* 1, acceperisne *id.* 2, *B.* 109 quei et *M* 28, quiete *libri.* — poscent *Dp*, poscente *v.* — praebebunt *idem*, praebunt *scripti.* 111 non *M*, nunc *cdd.* 112 contraheris *Me*, contravenis *scripti.* — volgi inperiis (inpiis) versere necessest *M*, (versere necesse *iam Me*), vel qui in nuptiis velse sencces te (vel se se neges te *G*) *libri.* 113 permitiae *idem.* 114 comedent iam *ed. Luc. Turicensis* (*et* comedendi *verbum invenerat Scal.*), cuimedemtia (cuimedemptia *G*) medem *cdd.* — sese *M* 32, se *v.*

LXXXVI [11]

praeterea ut nostreis animos adtendere dictis
atque adhibere velis.

LXXXVII [XXVIII, 20]

heic tum conventus tela insidiasque locavi.

LXXXVIII [19]

‒ ⏑ ⏑ ‒ ⏑ ⏑ ‒ ⏑ ⏑ ‒ ⏑ ⏑ ventrem alienum
maestum fovere ex molito hordeo uti cataplasma.

LIBER XXX.

I [63] a

quoi sua conmittunt mortali claustra Camenae.

II [28] b

quantum haurire animus Musarum ec fontibu' gestit.

cilius lib. XXVIIII. LXXXVI Non. 238, 7 adtendere est intendere. M. Tullius — Accius — Lucilius lib. XXVIIII (lib. XXVIIII om. A). LXXXVII Non. 271, 19 convenire interpellare. M. Tullius — Lucilius lib. XXVIIII. — idem 340, 25 locare parare. Lucilius lib. XXVIII. LXXXVIII Non. 311, 20 fovere est nutrire provehere. Vergilius — Lucilius lib. XXVIIII. — idem 350, 31 maestum enectum (innectum L 1) fame. Lucilius lib. XXVIIII.

Non. 249, 11 conmittere credere permittere. II Non. 317, 6 gestire est cupere. Lucilius lib. XXX (lib. XXX om. A). — idem 319, 14 haurire significat exhaurire vel implere. Lucilius lib. XXX

---

115 nostreis *M*, nostros *cdd.;* nostris *v.* — adtendere (attendere *G hic ut in lemm.*) de re *scripti*; adtendere *A*, *qui reliqua omittit.* 117 heic *M* (hic *Iun.*), haec *scripti.* — tu *idem* 271. — tale *v. c. D.*, *G* 340, — insidiasque *v.*, insidiisque *G*, *L* 1 271, *in quo tamen m.* 1 *fuerat* insidisque (*ut in Gen. est*), insidiaeque *idem cum B* 340. — insidiaeque locari *Dp. fort. recte.* — locasti *al. ap. D.* 119 est (*id supra scr. m.* 1 *in L* 1) tum *G*, *L* 1, *B*, *m.* 1 *Gen.* (*m.* 2 *mestum*) 311; mestum *G B*, *Gen.* 350. — mamolito *L* 1, *B*, *Gen. m.* 1 350. — ordeo *B* 311. — cataplasmo *scripti ib.*

1 quoi *M*, quia *cdd.* — committunt *id. praet. L* 1 *m.* 1 (*ita et in l.*). 2 quanto *libri* 317; *fortasse* quam tum. — aurire *G* 319 *et ita superscr.* h *L* 1 *loco utroque.* — animos *A B* 319, animas *G*, *L* 1. — ec fontibu' *M*, e fontibus *L* 1, *G* 317, *ubi in A B*, *Gen. est* et fontibus; 319 *G*, *L* 1 *exhibent* et fontia, *A*, *B*, *Gen.* ea fontia.

III [31] c

et sua perciperet retro rellicta iacere

IV [29] d

et sola ex multis nunc nostra poemata ferri.

V [15] a

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ sicubi ad auris
fama tuam pugnam clarans adlata dicasset.

VI [92] b

multis indu locis sermonibu' concelebrarunt.

VII [24] c

quantas quoque modo erumnas quantosque labores
exanclaris ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

VIII [40] d

et saevo ac duro in bello multo optimus hostis.

IX [58] e

haec virtuti' tuae atque artis monumenta locantur.

X [36] f

si liceat facere et iam hoc versibu' reddere quod do.

(lib. XXX om. A). III Non. 326, 32 iacet sordet neclectus est. Lucilius (Licilius L 1) lib. XXX. IV Non. 303, 19 ferre laudare. Lucilius lib. XXX (XX ut vid. B). V Non. 287, 28 dicare, indicare, nuntiare. Lucilius lib. XXX. VI Non. 274, 33 concelebrare divulgare (divulgare sive diffamare Lipsius, diuamare libri), dictum a celebritate. Lucilius lib. XXX. VII Non. 292, 7 exanclare etiam significat perpeti. Ennius — Accius — idem — Lucilius lib. XXX. VIII Non. 388, 13 saevum dicitur inmite. Vergilius — Lucilius lib. XXX. — idem 285, 4 durus nocens. Vergilius — Lucilius lib. XXX. IX Non. 340, 20 locare constituere. Vergilius — Lucilius lib. XXX. X Non. 278, 29 da, dic. Vergilius — Terentius — Lucilius

---

3 percipere retro relicta (c m. 1) *cdd.* (relignta *L* 1); *corr. Gulielm.*

5 auris *v.*, auri *cdd.* 6 claram *idem*, clarans *Lipsius.* — adlata *Gifanius*, adlatam *B*, *L* 1, *Gen.*, illatam *G;* alata *Lipsius.* — dicasset *in ras. B.;* dicassit *Franckenius II*, 48, 8 ęrumnas *B*, *non G*, *L* 1. — quotque *Dp.* 10 ut *pro* ac *l.* 285. 11 haec virtuti' tuae atque *M* 439, virtutis haec tuae *cdd.* 12 et iam *v. c. Dousae*, etiam *rel.*

XI [62] g

et virtute tuae et caris conducere chartis.

XII [33] h

summatim tamen experiar rescribere paucis.

XIII [59] i

heis te versibus interea contentu' teneto.

XIV [37] a

sicut te, quem aequae speciem vitae esse putamus.

XV [47] b

gratia habetur utrisque, illisque tibique simeitu.

XVI [96] c

quodque adeo fuerint, qui te temsere superbei.

XVII [51] a

quid dare, quid sumpti facere ac praebere potesset.

XVIII [20] b

quid verost, centum ac ducentum possideas si
milia, – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

lib. XXX. XI Non. 274, 20 conducere convenire (ita B, Gen., L 1, convertere G). XII Non. 296, 2 experiri temptare. Vergilius — Terentius — Lucilius lib. XXX. XIII Non. 263, 32 contentus dicitur, cui res etiam parva abunde est. Vergilius — Terentius — Lucilius lib. XXX. XIV Non. 173, 21 speciem specimen vel exemplar. Lucilius lib. XXX. XV Non. 175, 15 simitu simul. Lucilius lib. XXX. XVI Non. 180, 2 temnere, contemnere. Lucilius lib. XXX. XVII Non. 484, 26 sumpti pro sumptus. Plautus — Turpilius — Lucilius lib. XXX. XVIII Non. 493, 31 s. v. sescentum.

---

13 e virtute *B*. — tuae *M*, tua *v*. — caris *M*, claris *v*. — cartis *B*, carthis *L* 1. 14 experiare scribere *B*, *Gen.*, experire scribere *L* 1. 15 his *Gulielmus*, et is *cdd.* 16 sicut *Lchm. c. Lucr.* 106, siculi *cdd.* — quem aequae — esse putamus *Dp*, *libri* qui ea quae — putamus esse. — *fortasse* te quem aequae speciem vitae esse putamu' secuti. 17 illisque tibique *Iun.*, illisquae sibiquae *cdd.* — simeitu *M*, simetu, i *ex* e *facto m.* 2 *L* 1, simitu *G*. 18 quotque *Scal.* — *fortasse* fuerunt. — te tempsere superbi *Dp*, temnere superbum *cdd.*, *ut tamen in L* 1 n *postea sit additum.* 19 sumti *L* 1. — hac praehere *L* 2. — potesset *M*, potissit *D*, potisset *cdd.*
20 ac, *fortasse* aut; atque *Bouterwekius quaest. Lucil.* 10. — si *om. Harl.*, *L* 1, *L* 2, *Bamb.* 21 milia *M*, milium *v*.

XIX [19] c

Maximu' si argenti sescentum ac mille reliquid.

XX [42] a

sed tamen hoc dicas quid rest, si noenu molestumst:

XXI [50] b

quid servas, quo eam, quid agam? quid id adtinet ad te?

XXII [49] c

quid tu istuc curas, ubi ego oblinar adque voluter?

XXIII [70] d

ec vestimentis maculosis. tu aspice, sis, te.

XXIV [71] e

quem sumptum facis in lustris, circum oppida lustrans!

XXV [69] f

quem scis scire tuas omnes maculasque notasque.

Lucilius lib. XXX — idem lib. XXX. XIX Non. 493, 31 sescentum pro sescentorum. Lucilius lib. XXX. XX Non. 143, 33 noenum pro non (noni L 1). Lucilius lib. XXX. XXI Non. 387, 25 servare sollicite et suspiciose observare. Lucilius lib. XXX (lib. XXX om. A). XXII Non. 420, 21 volutari (voluter cdd. praeter A in quo est volutare) dicitur volvi. Lucilius lib. XXX (lib. XXX om. A). XXIII Non. 350, 6 maculosum sordidum inmundum. Lucilius lib. XXX (lib. XXX om. A). XXIV Non. 335, 28 lustrare dicimus et scortari, a lustris. Plautus — Lucilius lib. XXX (lib. XXX om. A). XXV Non. 350, 10 macula turpitudo. M. Tullius — Lucilius lib. XXX. — idem 354, 20 nota dicitur probrum. Lucilius

---

22 argenti *L* 2, *Bamb.*, argentis *L* 1, *G.* — ac mille *om. Bamb.*, *L* 2. — reliquid, *ita Bamb.*, *L* 1; reliquit *G.* — *cet. cf. quae in app. crit. notavimus ad* XXX, 63. 23 rest *Lchm. comm. in Lucr.*, est *cdd.* — si; ị *L* 1. — nenu *Iunius*, noenum *scr.; ut tamen in L* 1 *fuerit prius* naenu. 24 id *om. A*, *B*, *Gen.* — attinet *B*, *G*, *L* 1. 25 istunc *A*, *B*, *Gen.* — atque *G*, *A*, *B*, *Gen.*

26 ec *M*, haec *cdd.* — tu aspice, sis, te *M*, tum aspice iste *G*, *L* 1, *B*; *om. haec verba A.* — haec maculosis cum vestibus aspicit ipse *liber antiquus Dousae.* 27 sumptum *A*, sumptu *G*, *L* 1, *B.* — lustis *A*, lus^{r}tis *G.* — opida *Gen.* 28 vis *A* 354; sci^{r} *L* 1 *l. utroque.* — omnes *om. B* 354. — maculas 350 *G*, *B*, *Gen.*; *etiam in L* 1 que *m.* 2 *additum.* — ^{n}uotasque *G* 354.

XXVI [34] g

aque tuis factis saevis et tristibu' dictis.

XXVII [30] h

nunc, Gai, quoniam incilans nos laedi' vicissim.

XXVIII [60] i

producunt me ad te, tibi me haec ostendere cogunt.

XXIX [55] k

haec tu me insimilas nonne ante in corde volutas?

XXX [41] l

quo tua tu laudes, culpes? non proficis hilum.

XXXI [53] m

gaudes, cum de me ista foris sermonibu' differs.

XXXII [54] n

et maledicendo in volgi sermonibu' differs.

XXXIII [25] o

– ⏑ uti pecudem te asinumque ut denique nasci
praestiterit!

lib. XXX (lib. XXX om. A). XXVI Non. 388, 21 saevum durum. Vergilius — Lucilius (m. 2 add. L 1) lib. XXX. — id. 409, 7 triste crudele inmite. Vergilius — Lucilius lib. XXX. XXVII Non. 124, 32 incilare est increpare vel inprobare. Accius — idem — Pac. — Lucilius lib. XXX. XXVIII Non. 373, 5 producere foras ducere. Ter. — M. Tullius — Lucilius lib. XXX. XXIX Non. 420, 23 volutare cogitatione perquirere. Vergilius — Lucilius lib. XXX. XXX Non. 121, 3 hilum breve quoddam. Lucilius lib. XXX. XXXI Non. 284, 12 differre — Vergilius —. differre (addidere docti) diffamare divulgare. Lucilius lib. XXX. XXXII Non. 284, 18 differre dividere vel scindere. Vergilius — Terentius — Vergilius — Lucilius lib. XXX. XXXIII Non. 371, 24 praestat utile est. Vergilius — Lucilius

---

29 aque *M*, 388 aquae *B*, *Gen.*, *ib.* itque *L* 1, idque *G*; itaque *cdd. cum L* 2, *Bamb.* 409. — *ib.* suis *pro* tuis *L* 2, *Bamb.* — sevis factis *cdd.* 409, factis saevis (saevus *B*, *Gen.*) *id.* 388. 30 nun^{c} *G.* — gat *L* 1. — vicissem *idem.* 32 insimilas *ita cdd. cum. B.* 33 quo tua tu *M*, quod tua *cdd.* — lades *G*, *L* 1. 34 *puto* fori. 35 vulgi *M*, multis *cdd.* — mult. serm. *om.* in *Gulielm.* 36 te *Guilelmus*, tu *cdd.; ceterum in G est* tua simumque ut dentique; *illud* dentique *etiam in L* 1, *Gen.*, *B legitur;* tu *habet in rasura B.*

XXXIV [93] a

insperato abiit, quem una angina sustulit hora.

XXXV [inc. 20] b*

nos esse arquatos? surgamus, eamus, agamus!

XXXVI [94] a

clinas consternit nobis vetu' restibus aptas.

XXXVII [48] b

culcitulae accedunt privae centonibu' binis.

XXXVIII [81] a

nemo istum ventrem pertundet delicietque;
ut veniatque videbis ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

XXXIX [1] b

illo quid fiat, Lamia et Pytho oxyodontes
quod veniunt, gomiae illei vetulei, inprobei, ineptei?

lib. XXX. XXXIV Non. 35, 9 angina genus morbi eo quod angat; et Graece συνάγχη (synancea L 2, synantea L 1, synanca G) appellatur. Lucilius lib. XXX. XXXV Non. 35, 12 arquatus morbus dictus, qui regius dicitur, quod arcus sit concolor de virore, vel quod ita stringat corpora, ut in arcum ducat [quod] 'nos' e. q. s. — Quod e superiore v. huc illatum del. Iun. Lucilio tribuit hexametrum Bentinus, l. XXX adscripsit Kettnerus observ. crit. ad Varronis scripta et glossaria quaedam Latina quas Halis Saxonum edidit 1868, pg. 16. XXXVI Non. 234, 31 s. v. aptus — Lucilius satyrarum lib. X — idem lib. XVI — Varro — M. Tullius — Sallustius — Lucilius (Licilius G) lib. XXX. XXXVII Non. 35, 19 privum est proprium unius cuiusque; unde et res privata. Lucilius lib. XXX. XXXVIII Non. 277, 16 delicere est inlicere. Titinius — Lucilius lib. XXX (Lucilius lib. XXX e. q. s. huc revocavit M; in libris leguntur in fine lemmatis delica, quod secundum est ab illo delicere). XXXIX Non. 117, 33 gomiae (gemiae cdd.) gulosi. Lucilius libro XXX.

---

38 abiit *Iun.*, abit *G*, *L* 1. — anguina *G*. — sustulit; abstulit *Iun.* 40 clinas *M*, unus *v.* — nobis *Palmerius*, novis *cdd.* — pestibus *L* 1. — aptas *M*, aptus *scripti.* 41 culcituae *L* 1, cultitulae, t *priore lineola deleto et supra scr.* c *G*. — accendunt *L* 1.

42 istum in *al. ap. Dousam.* — *post* istum *in G add.* im *sed radendo factum* in, *idque ipsum punctis notatum.* — delicietquae a *punctis notato m.* 2 *L* 1; *fortasse* delicietve. 43 ut veniatque *M,* ut via atque *Gen.*, uti via atque *G*, *L* 1. 44 Pytho oxyodontes *Sc.*, Pitto ixiodontes *cdd.* 45 gomiae illei *M*, gemiae illiae *L* 1, gemiae illi^{ae} *G*. — vetulei inprobei ineptei *M*, vetulae, inprobae (improbae *G*) ineptae *libri.*

XL [16] c

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – curate domi sint
gerdius, ancillae, pueri, zonariu', textor.

XLI [9] d

omnia tum endo muco videas fervente micare.

XLII [73] e

praeservit, labra delingit, delenit amore.

XLIII [101] f

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ conficit ipse comestque.

XLIV [56] g

ipso cum domino calce omnis excutiamus.

XLV [inc. 78] a*

pulchre invitati sumus acceptique benigne.

XLVI [38] b

serus cum ec medio ludo bene potu' recessit.

XLVII [5] c

scito etenim bene longincum mortalibu' morbum
in vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.

XL Non. 118, 9 gerdius. Lucilius lib. XXX. XLI Non. 347, 32 micare per vices sine ordine moveri. Vergilius — idem — Lucilius lib. XXX. XLII Non. 278, 4 delenitus delectatus. M. Tullius — Lucilius lib. XXX. XLIII Non, 81, 9 s. v. comest — Lucilius satyrarum lib. IIII — et XXX (XXX[ta m. 2] G, triginta L 1). — idem 269, 16 conficere consumere, finire. Terentius — M. Tullius — Lucilius lib. XXX. XLIV Non. 298, 28 excutere excludere, deicere. Vergilius — Lucilius lib. XXX (XXV B). XLV Non. 321, 18 invitari (invitare v.) significat repleri. Plautus — Lucilius (l. XXX tribuit M). XLVI Non. 157, 12 potus a bibendo (a b. m. 2 add. L 1). Lucilius lib. XXX. XLVII Non. 321, 18 s. v. invitare — Lucil. — Turp. — idem —

46 curate *ed. Luc. Turic.;* curare *cdd.* — si[Nt *m.* 2] *G.* 47 textor *v.*, tector *scripti.* 48 tumendo *B.* 49 preservit *m.* 1 *B.* — delingit *Turnebus*, delicit *v.* 50 se conficit *Dp.*, confecit *libri* 269. — comesque *idem* 81. 51 excu[ti]amus *G.* 52 sumus *add. Dp*, *om. cdd. cum A*, *B*, *Gen.* 53 serus *Dp*, secus *L* 1, sucus u *priore in* e *mutato m.* 2 *G.* — ec *M*, eo *G*, *L* 1 (*in hoc tamen prius fuisse videb.* et); e *Dp.* — *post* medio *add. cdd.* ac; *quod voc. ex dittogr. eius quod est* ec *provenisse puto; del. ed. Luc. Turic.; alii* ludo ac. 54 scito etenim bene *Muretus;* cito bene enim *L* 1, *B*, *Gen.;* cibo b. e. *G.* — longincum *L* 1, *Gen.;* longinquum *G*, *B.* 55 dapsiluisse *B.*

XLVIII [6] a

cuius voltu ac facie ludo ac sermonibu' nostris
verginis hoc pretium atque hunc reddebamus honorem.

XLIX [75] b

euplocamo digitis discerniculumque capillo.

L [72] c

iuratam se uni, cui sit data deque dicata.

LI [10] d

_ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ an equam te acrem atque animosam
Thessalam et indomitam frenis subigamque domemque?

LII [7] e

tune iugo iungas me apte et succedere aratro
invitam et glebas subigas proscindere ferro?

LIII [77] f

sed quid ego haec animo trepidantei dicta profundo?

Sallustius — Lucilius lib. XXX. XLVIII Non. 320, 21 honor praemium. Vergilius — Lucilius lib. XXX. — idem 366, 2 pretium pro praemio. Sallustius — Naevius — Terentius — Vergilius — Lucilius lib. XXX. XLIX Non. 35, 29 discerniculum acus, quae capillos mulierum ante frontem dividit, dicta a discernendo. Lucilius lib. XXX.
L Non. 287, 25 dicare tradere. M. Tullius — Lucilius lib. XXX.
LI Non. 401, 4 subigere (subicere G, L 1, m. 1 Gen., non B) mollire vel exercere. Vergilius — Lucilius lib. XXX. — idem 233, 13 anima iterum significat iracundum vel furiosum — Plautus — Accius — idem — Novius — M. Tullius — idem — Vergilius — Lucilius lib. XXX atque animosam e. q. s. LII Non. 401, 14 subigere cogere. Vergilius — Lucilius lib. XXX. LIII Non. 408, 6 trepidare metuere. Vergilius — Lucilius lib. XXX (Lucilius lib. manu poste-

---

56 vultu *scripti.* — ludis *libri* 366. 57 verginis; *ita L* 366 *et a pr. m.* 320 *ut et Gen.*; *etiam in G* 366 e *ex* i *factum;* virginis 320 *G*, 366 *Gen.*, *utr. l. B.* — reddimus *cdd.* 366. 58 diligitis *G.*
59 cuis tit *Gen.* — deque *Carrio*, adaequae *cdd. pr. ms. Fabri in quo est* atque. 60 equam te acrem *Turn.*, ego te acuam *cdd.* — adque *L* 1 401. 61 Thessaliam *libri* 233, Tessalam *idem* 401. — ut *legitur ib.* — indolitam *L* 1 *m.* 1, *Gen.* 233. — subigamque *scripsi*, subigantque *cdd.* 233, *idem* 401 subigam ante. — domentque *traditum* 233. 62 apte *M*, ante *v.* 63 invitam *Guilelm.*, invitum *cdd.* — glebas, *ita G*, *L* 1. — prosc$\overset{i}{e}$ndere *L* 1, *Gen.* 64 ahaec *L* 1. — trepidantei; trepidante *cdd.*, trepidanti *v.*

LIV [11] a

aut cum iter est aliquo et causam conmenta viai
bito apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.

LV [68] b

aut operata aliquo in celebri cum aequalibu' fano.

LVI [43] c

lanai opus omne perit, pallor, tiniae omnia caedunt

LVII [52] d

sic laqueis, manicis, pedicis mens inretitast,

LVIII [99] e

⏑ ⏑ – quandoque pudor ex pectore cessit.

LIX [84] f

est illud quoque mite malum, blandum atque dolosum!

LX [87] a

vir mare metitur magnum et se fluctibu' tradit.

LXI [8] b

continuo, simul ac paulo vementius aura
inflarit fluctus, erexerit extuleritque.

riore addit G in ras., XXX suprascriptum). LIV Non. 522, 19 aput (apud G, L 2, m. 1 L 1) ad. Lucilius lib. XXX. LV Non. 523, 9 operari est deos religiose et cum summa veneratione sacrificiis litare vel convivari. Pomponius — Afranius — idem — Vergilius — Lucilius lib. XXX. LVI Non. 272, 13 caedere consumere (ita v., conmiscere sive commiscere scripti). Lucilius lib. XXX. — idem 462, 24 pallorem vetustatem et neglegentiam Lucilius lib. XXX voluit dici posse. LVII Non. 350, 24 manicae quibus manus vinciuntur. Lucilius lib. XXX. LVIII Non. 250, 22 eedere significat secundum consuetudinem abire superatum et locum victori dare. Verg. — Lucilius lib. XXX. LIX Non. 343, 7 mitis est tranquillus et lenis. Verg. — Lucilius lib. XXX. LX Non. 350, 18 metiri (metire cdd.) est transmeare. Lucilius lib. XXX. LXI Non 297, 22 ecferre erigere le-

---

65 commenta *G.* — viai *Lipsius;* 66 uito *M*; viaut *G*, *L* 2, vi aut *L* 1. 67 operata *Gulielm.*, operat *v.* — in *om. G.* — lecebri *L* 2. 68 lanai *M*, lanae *B* 272, lana *rel. excepto quod* 462 *in L* 2 *leg.* luna. — fallor *cdd.* 272. — *ib. B m.* 1 periit *et* cedent; 2 perit *et* cedunt; cedunt *G* 272. — tiniac *utr. l. cdd.* 69 si *Gulielm.*, *Dousa.* — mens *om. B*, *Gen.* — irretita est *G*, *L* 1 *m.* 2, iur. e. *B*, *L* 1 *m.* 1. 70 quando quae *L* 1. — pudor *docti*, pudore *cdd.* 71 est *Dp*, et *cdd.* — mitte *B.* 72 et se *v.*, est *cdd.* — tradidit *idem*, tradit *docti.* 73 vehementius *cdd.* — aula *B.* 74 erexcrit *v.*, crexit *scripti.*

LXII [18] a

quin totum purges, devellas me atque deuras;
exultes et sollicites.

LXIII [19] b

inberbi androgyni, barbati moechocinaedi.

LXIV [12] c

inprobior multo, quam de quo diximus ante,
quanto blandior haec, tanto vementiu' mordet.

LXV [cf. not. ad XXX, 4] a*

Porphyr. ad Hor. ep. I, 1, 73—75 olim quod volpes aegrota cauta leoni respondit referam 'quia me vestigia terrent, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum': Luciliana (Lu^{li}ciana Mon., Luciana Paris.) sunt haec.

LXVI [2] b

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ leonem
aegrotum ac lassum ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡

LXVII [13] c

quae non spectandi studio sed ab omini' taetri
inpulsu ingressast ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡

vare. Vergilius — Lucilius lib. XXX. LXII Non. 300, 27 exultare est gestu vel dictu iniuriam facere. Lucilius lib. XXX. LXIII Non. 493, 26 inberbi pro inberbes (cdd. inverbi pro inverbis). Lucilius lib. XXX. LXIV Non. 327, 7 inprobum saevum. Verg. — et — et Lucilius lib. XXX (lib. XXX om. A). LXVI Non. 341, 5 lassum dicitur fatigatum. Lucilius lib. XXX. LXVII Non. 413, 7 taetrum (tetrum G) dicitur inluviosum, foetidum. Vergilius — idem

---

75 ^{to}tum *G.* — devellas *M*, debellas *G*, depellas *B*, delellas *L* 1, *Gen.* 76 et *add. ed. Luc. Turic.* — sollicite^{r} *in margine add. L* 1 *m.* 1*; ad* soll. *in mrg. adi. m. ant.* ad equites *in Gen.* 77 *ante pr. h. v. vocab. add. scr. illa* maximus si argento, *quae ex* 493, 32 *huc illata removit Cuiacius.* — inverbi *cdd.* — moechochinedi *L* 2 *et pr. m. L* 1; moechocinedi *G*, *L* 1 *m.* 2. 78 improbior *A*, *B*, *G.* — multo, o *ex* um *G.* 79 vehementius *L* 1, *B;* vehementer, *sed corr. in marg. G.* — quanto *e. q. s. om. A.* 82 spectans (expectans *G*) spectandi *cdd.; illud* expectans *sive* spectans *ex dittographia sequentis v. ortum removit Gulielmus.* — sed *idem, libri* se. — ad$^{t\ m.\ 2}$ *L* 1. — ominis *Gen.*, hominis *B*, *L* 1, hominibus *G.* — tetri *B*, *Gen.* 83 impulsu *cdd. praeter L* 1, *Gen.* — ingressast *M*, ingressus (*sequitur* t) *v.*

LXVIII [3] d

deducta tunc voce leo 'cur tu ipsa venire
non vis huc?' ⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑

LXIX [4] e

quid sibi volt, quare fit, ut introvorsus et ad te
spectent atque ferant vestigia se omnia prosus?

LXX [XX, 6] a α

inluvies scabies oculos huic deque petigo
conscendere ⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑

LXXI β*

conque tubernalem.

LXXII γ*

Porph. ad Hor. ep. II, 2, 93, 94: quanto molimine circum spectemus vacuam Romanis vatibus aedem: una pars orationis est divisa in duos versus (immo in duo verba) Lucilii (Lucii Mon.) more et antiquorum.

LXXIII [test. pg. 179] δ*

Auson. epist. 5, 35 sqq.:
invenies praesto subiuncta petorrita mulis.
 villa Lucani mox potieris aco.

— M. Tullius — Lucilius lib. XXX. LXVIII Non. 289, 15 deductum, deminutum, depressum (ita B, v. suppressum). Lucilius lib. XXX. LXIX Non. 303, 15 ferre dirigere ducere. Vergilius — Lucilius lib. XXX. — idem 402, 6 spectare dirigere. Lucilius lib. XXX. LXX Non. 125, 30 inluvies (illuvies G, inluviis L 2 et a pr. m. L 1) sordes. Vergilius — Lucilius lib. XXX (XX Iun.). — idem 160, 17 petigo genus morbi. Lucilius lib. XXX. LXXI Consent. 390 K, ubi de tmesi agit: quale est 'septem subiecta trioni' pro septemtrioni et — quo Lucilius (ita Cramerus, Lucius codex) in

84 deducta tunc *L* 1 *m.* 1; deductat hunc *G*, *B*, *L* 1 *m.* 2, *Gen.* — leo *om. G.* — tum *B*, *Gen.* 86 vult *scripti.* — fit *an* sit *in B exhibeatur* 303 *non satis constat;* 402 fit *idem in ras.* — introversus *cdd.* 303, intravorsus 402. — et ad te *Iun.*, ut ad te *cdd.* 303, aetate *idem* 402. 87 303 spectant *L* 1, *Gen.*, *B*, expectant *G.* — ferent *B*, *L* 1 *m.* 1 402. — se omnia *Gifanius*, omnia se *libri* 303, *idem* 402 sed omnia (omnino *B*). — prosus *m.* 1 *L* 1 303; prorsus *rel.* 88 125 inluies *L* 1; illuvies *G utroque l.* — deque petigo *Fruterius*, deinque *Iunius*, denique *libri utroque l.* — *idem* 125 spei *pro* petigo.

rescisso disces conponere nomine versum.
  Lucili vatis sic imitator eris.

hinc Eugenius Toletanus opusc. 23, 9 sq. postquam toto carmine ineptissime divisit voces:

pro tibi uti nostro veniat ex carmine fectus,
instar Lucili cogor disrumpere verba.

LXXIV [79] b

tritum et corruptum scabie et porrigini' plenum.

LXXV [26] c

hic in stercore humi stabulique fimo atque sucerdis.

LXXVI [67]

accipiunt reges, populus quibu' legibus exlex.

LXXVII [91]

– ⏑ ⏑ inde canino ori si ritu oculisque
involem ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

LXXVIII [97]

praestringat ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – splendore micanti.

LXXIX [32]

quo me hoc tempore, nugator, cognoscere non vis?

metro crebro utitur. LXXIV Non. 160, 20 porrigo (orrigo G) morbi genus. Lucilius lib. XXX. LXXV Non. 175, 12 sucerdae. Lucilius lib. XXX. LXXVI Non. 10, 12 s. v. inlex et exlex — Lucilius satyrarum lib. II — Varro — Lucilius lib. XXX. LXXVII Non. 32, 31 involare est inruere·insilire; aut a volatu aut a vola id est media manu dictum. Ter. — Lucilius lib. XXX. LXXVIII Non. 34, 29 praestringere dictum est non valde stringere, eludere (et claudere v., et laudere L 1.). Plautus in mil. glor. praestringat oculorum aciem in acie hostibus. Lucilius lib. XXX. LXXIX Non. 35, 23 nugator a (Me add.) nugis, turbator (nugistubator G). Lucilius lib. XXX (Luci-

---

97 tritum *M*, tristem *v.* — *ib. fortasse* correptum. — scauiae *m.* 1 *L* 1. 98 stabulique *Dp*, fabulisque *scripti.* 99 rēges *M*, leges *v.* 100 ori si *add. M.* — ritu *Aldus*, rito *cdd.* 102 *cdd.* pr. oculorum aciem in acie hostibus (in *add. L* 1) sp. m. *illa* o. a. i. a. h. *seclusit M* 32, *ultima tria verba iam Dp. idem adfirmat illud* praestringant *in veteribus libris Nonii esse.* 103 quo *M, nisi praestat ablat.* qui *vel* quei; quam *cdd.*

LXXX [46]

ironiam virtutes pro flagitiis dicebant. Lucilius. CIX Don. ad adelph. III, 1, 8 e re nata (herae natae edd. pr., Rom., Ven.) melius fieri haud potuit: sic proprie dicimus de his quae contra voluntatem nostram acciderunt, ut nunc vitium virginis. ergo e re nata ex vitio virginis. sic Lucilius (herae natae om. eis quae seq. pr., Rom., Ven.; sic Lucilius om. ms. Boend.). CX Don. ad eun. II, 3, 44 incurvos tremulus labiis demissis gemens: gemens ob continuam tussim. sic Lucilius. CXI Don. ad eun. V, 2, 60 dabit hic aliquam pugnam denuo. pro stupro ut — et — et Lucilius. — id. ad adelph. V, 3, 57 pugnaveris: magnam rem feceris. sic Lucilius. — idem ad adelph. V, 4, 5 vitam duram quam vixi: ἀρχαϊσμός, ut Lucilius: magnam e. q. s. CXII Don. ad. hec. III, 4, 26: imperite Terentium de Myconio crispum dixisse aiunt, cum Apollodorus calvum dixerit, quod proprium Myconiis est, ut Lucilius. CXIII Don. ad Phorm. I, 2, 3 lectum est; absolute. nam non dicit quid; utrum (quid aut verum edd. Rom., pr.) debitum an argentum lectum. Lucilius. CXIV Servius ad aen. IIII, 458 coniugis antiqui; aut prioris aut cari. quibus addita in cd. Bern. 172: Lucilius — antiquus ergo est, qui prae-

---

143 *om. Lucil. verba ms. Boend.* 144 hic e re nata *om. pr., Rom., Ven.* — sei ius *M*, sic eius *v.* — aut *pr., Rom.* — vir *add. M.* 145 triclinii *ed. pr., Rom.* — quidem *Rom.* 146 *v. add. nescio unde* perditu' Tiresia tussi; *om. edd. princ., Rom. et Ven.;* Tiresias *Bentl. epist. ad Millium pg.* 739 *ed. Dindorfianae;* Tyresias *iam Dp.* — grandevus *ed. Rom.* 147 vicinus *ed. princ., Rom. primo loco. — secundo eaedem cum Veneta* ocius *pro* o socii. 148 Myconi *v.*, Myconii *ed. pr., Rom., Ven.*

CXV [138]

scinde calam ut caleas ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

CXVI

Servius ad aen. VIII, 9: Diomedes postquam repperit ira Veneris a se vulneratae (add. Paris. 7929 revertens de Troia, om. Regin. 1674; ea verba aut spuria esse existimo aut collocanda post repperit sive Diomedes) uxorem (add. v. Aegialeam, om. Par. Reg.) apud Argos cum Cillabaro (Cillarabo Par.) ut Lucilius vel Cometa ut plerique tradunt (cum C. u. L. v. C. u. p. t. om. Regin.) turpiter vivere.

CXVII [144]

Servius ad aen. X, 184 et Pyrgi veteres: hoc castellum nobilissimum fuit eo tempore quo Tusci piraticam exercuerunt. nam illic metropolis fuit. — iam addita libro Par. 7929 haec: quod postea expugnatum a Dionysio tyranno Siciliae dicitur; de quo (qua cd.) Lucilius: scorta Pyrgensia (ita cd., non Pyrgentia; ceterum cui libuerit poterit facile hexametri finem efficere sic: Pyrgensia scorta).

CXVIII [112]

Servius ad aen. X, 532 gnatis parce tuis: parce autem est secundum antiquos serva, ut apud Lucilium et Ennium invenitur.

CXIX [154]

Serv. ad aen. X, 623 meque hoc ita ponere sentis: sane ponere facere, sicut (sic Regin. 1674) Lucilius Homerum secutus qui ait ἄλγε' ἔθηκεν i. e. fecit (male Dousa ipsa haec ἄ. ἔθ. Lucilii esse existimavit).

cedit eum qui praesens est. CXV Servius ad aen. VI, 1 classique — quod fiat de fustibus. calas enim dicebant maiores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad proelium, sicut Lucilius — i. e., o puer, frange (ita Ambros. 157, v. scinde) fustes et fac focum. unde etiam calones dicebantur. nam consuetudo erat militis Romani ut ipse sibi arma portaret et calo (om. cdd.) vallum. vallum autem dicebant calam (illa sicut — focum perperam h. l. adscripta leguntur in cdd.).

---

151 *post illud* scinde *add. edd.* puer, *quod irrepsit ex sequentibus verbum*, *om. Ambros. c.* 157 *et Guelf. I in quo est* scinde calam sū calas; *cet. cf. comm.*

CXX [29]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – velut ollim
auceps ille facit, cum inproviso insidiisque.

CXXI

facti suppudet.

CXXII [183]

sustineat currum ut bonu' saepe agitator equosque.

CXXIII [170]

Quintilianus instit. orat. I, 5, 56: taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque (verbis). nam ut eorum sermone utentem Vettium (ita Bambergensis m. 1 et Bernensis, Vetticium Ambrosianus et Argentoratensis, Bamb. m. 2, Vehetium Monacensis, Vectium vulgo ante Halmium) Lucilius insectatur, quemadmodum Pollio reprehendit in Livio patavinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam.

CXXIV [151]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – agrariu' mergus.

CXXV [9]

nam si tu fluctus undasque e gurgite salso
tollere decreris, ventum prius, Emathium tu
ventum, inquam, tollas t. c. q. i. l.

CXX cod. Par. 7929 Serv. ad aen. XII, 5, 6 saucius ille — leo: ille — rem similem (insignem Baehrensius) designat. Lucilius. CXXI schol. Veron. ad aen. VIIII, 373, pg. 101 K sublustri: Asper: — sub pro parum ponitur. Lucilius. CXXII Cic. ad Att. XIII, 21 quare facies ut ita sit in libro quemadmodum fuit. dices hoc idem Varroni, si forte mutavit. nec est melius quidquam quam, ut Lucilius (sic Malaspina, Lucullus libri). CXXIV Iulius Capitolinus in vita Pertinacis 9: avaritiae suspicione privatus non caruit cum apud vada Sabatia oppressis fenore possessoribus latius suos tenderet fines; denique ex versu Luciliano (ita v., Luciniano Bamb. Palat., Luciviano ed. princ.) a. m. est appellatus. CXXV Iulius Rufinianus de figuris sententiarum et elocutionis 26 ἐπαγωγή. fit ex rerum similium collatione vel argumento-

152 ollim *M*, olli *cd.*, olim *Dp.* 154 tu di . . . *in extremo versu addit Maius; se vero dubitasse num quid scriptum esset in parvo quod superesset spatio, praesertim cum reliqui quoque versus finem membranarum non tangerent, refert Keilius.* 155 sustineas *cd. Lambini et m.* 1 *Medic.* 156 agrarius *v.*, grarius *Bamb.*, *Palat.*, *ed. princ.*; aerarius *Salmasius.* 158 ventum *Stephanus*, venti *ed. princ.* — Haematium *eadem*, Emathium tu *docti.*

CXXVI [57]

non tangó quod avarus homost, quodque inprobu' mitto.

CXXVII [149]

Auson. epigr. 70, 7, 8:

perversae veneris postico vulnere fossor,
Lucili vatis subulo pullipremo.

CXXVIII [85]

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – atque omnes mandonum gulae.

CXXIX [68]

caput ut colo, sustentatur truncus coxendicibus.

CXXX [67]

sane ego a Metelli Roma tum repedabam munere.

CXXXI [80]

asparagi molles et viride cyma – – – ⏑ –

CXXXII [84]

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ si argenti indiges.

rum, salva tamen similitudine. rerum ut Vergilius — et Cicero — argumentorum autem ut Lucilius (Lucilius Dp, Lucius ed. pr.). CXXVI Iulius Rufinianus vel potius incertus auctor de schematis dianoeas 12 ἀντίφρασις est figura sententiae, cum quaedam negamus nos dicere et tamen dicimus, ut apud Lucilium. CXXVIII Non. 17, 13 manducones qui manduci dicti sunt, et mandones edaces. Pomponius — Lucilius. CXXIX Non. 94, 5 coxendicas coxas (ita Bamb., Lugd. 67; cocséndicas co[x *m. 2*]sas G, cocsendica coxa L 1). Lucilius. — ceterum conf. comment. CXXX Non. 165, 13 s. v. repedare. Lucilius lib. XXVI — idemque. CXXXI Non. 195, 4 cyma (cima libri) neutro ut Lucilius. CXXXII Non. 496, 13 genetivus casus positus pro accusativo. Titinius — Plautus — Lucilius — Turpi-

---

160 homo est quodque *Stephanus*, modo est neque quod *ed. princ.*, *quae et* improbus. — omitto *ed. pr.*, *corr. Dp.* 163 om̃s *G.*
164 caput ut *M*, caput *v.* — sustentatur truncus *M*, stemtatur (*ita L* 1, *L* 2, stemptatur *G*) truncus sustinetur a *libri.* — cocsendicibus *G*, *L* 1, *non L* 2. 165 sane ego a Metelli Roma tum *M*, sanctum ego a Metello (Met[e]ollo *G*) Romam (Romam *fuerat in v. proxime praec. Luc.*) *cdd.* 166 molles et; *ita L* 1, *id mutatum m.* 2 *in* molle set; molle sed *G.* — virde *L* 1 *m.* 1. — cima *scripti.*

CXXXIII [7]

quo facetior videare et scire plus quam ceteri,
pertisum hominum, non pertaesum dices erumnam genus.

CXXXIV [176]

Fest. 294 (cf. Isid. XVII, 7, 27): [suberies arboris genus] ex qua cortex [natatorius detrahitur]. Lucilius .... ti hibernacu[li].

CXXXV [70]

neque prodire in altum, proeliari hi sub vitei procul.

CXXXVI [116]

timeo ut memoriam retineas _ ◡ _ _ _ ◡ _

CXXXVII [71]

quod mihi commodum erat, ut uda vestimenta posueram.

CXXXVIII [74]

quin amplexetur qui volt, ego non sinam me amplectier.

CXXXIX [167]

Plin. nat. hist. VIII, 48 (74 ed. Bip.): crebrae papaveratae (papaveractae optimus liber Salmasii exerc. pg. 793,

lius. — Lucilius lib. XXVIII — idem. CXXXIII Festus 273 rederguisse, per e litteram, Scipio Africanus Paulli filius dicitur enuntiasse, ut idem etiam pertisum, cuius meminit Lucilius cum ait. CXXXV Paulus 311 sub vitei (vitem Paulus) proeliari (praedicare L 116) dicuntur milites, cum sub vinea militari pugnant. Lucilius. — ead. Fest. 310, sed ut haec tantum compareant — ri dicuntur — militari pug — que prodire — ul sub vite. CXXXVI Don. ad Ter. Andr. V, 4, 11 metuo ut substet hospes: ut, ne non. Lucilius. CXXXVII Don. ad Phorm. IIII, 3, 9 id cum hoc agebam commodum: commodum, tantum quod. Lucilius. CXXXVIII Priscianus 791 Lucilius (Lucius Carolir.) — amplexetur (amplectetur Lugd. Carolir., om. Sang.)

---

169 hominum *M*, hominem *cd.* — dices erumnam *M*, dicere ferum nam *cd.* (*fuerat antiquitus* dicere erumnam); dicere aerumnam est opus *Lchm.* 170 proeliari hi sub vitei procul *M*, proeliari procul sub vite (vitę *L* 116) *Paulus et ita haud dubie olim cd. Festi.* 171 timeo (*al.* metuo) *M*, tu iam *cd. princ.*, *Rom.*, tuam *Paris. et Ven.*; tuum *expressum est ap. Lindenbr.* — et memoriam ut retinebas *princ.*, *Rom.* 172 erat ut *Dp*, est aut *v.* — posueram *M*, reposueram *ed. pr.*, *Rom.*, *Ven.* 173 qui *Par.* 7496 *m.* 1. — amplectetur *Lugd.*, *Carol.*, *Sang.* — volt *M* 419, velit *cdd.* — qui — amplectier *om. Sang.*

papaveracae Salmas., paveratae Scaliger ad Cir. pg. 61 ed. a. 1595) antiquiorem habent originem, iam ab (ab Bouterwekius m. Rhen. a. 1866 pg. 349, sub cdd.) Lucilio poeta in Torquato notatae.

CXL [73]

homini amico et familiari non est mentiri meum.

CXLI [166]

similem habent lactucam labra comedente asino carduos.

* * *

ἀγέλαστος.

CXLII [Serrano]

serena caeli lumina et salsi fretus.

περιπλεκέσθω. CXL Lact. instit. VI, 18, 6 itaque viator ille verus ac iustus non dicet illud Lucilianum (illum Lucianum B) — sed etiam inimico atque ignoto existimabit non esse mentiri suum. CXLI Hieronymus epist. ad Chromatium, Iovinum et Eusebium (I, 340 ap. Mignium): accessit huic patellae (iuxta tritum populi sermone proverbium) dignum operculum, Lupicinus Sacerdos, secundum illud quoque de quo semel in vita Crassum ait risisse Lucilius — videlicet ut perforatam navem debilis gubernator regat et caecus caecos ducat in foveam. — idem ad Demetriadem (I, 1118): et M. Crassum semel in vita scribit risisse Lucilius. — idem adversus Rufinum IIII, 383: et imiteris aliquando Crassum, quem semel in vita dicit risisse Lucilius. — id. ad Demetriad. (IIII, 2, 792 ed. Ben.): et M. Crassum semel in vita scribit risisse Lucilius. — Cic. de fin. V, 30, 92 at hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius non contigit ut ea re minus ἀγέλαστος ut ait idem vocaretur. — id. Tusc. disput. III, 15, 31 nec vero ea frons erat, quae M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius. — Pseudoascon. in act. in Verr. I pg. 128 ed. Bait.; semel in vita risisse Crassum scribit Lucilius. — Plin. n. hist. VII, 19 ferunt Crassum avum Crassi in Parthis interempti numquam risisse, ob id Agelastum vocatum. — Amm. Marc. XXVI, 9, 11 Procopius — illius similis Crassi, quem in vita semel risisse Lucilius adfirmat et Tullius. — Macrob. saturn. II, 1, 6 neque ego sum nescius vos — nec Crassum illum, quem Cicero auctore Lucilio semel in vita risisse scribit, magnopere mirari. cf. et Sidon. Apoll. 24, 13. CXLII Non. 205, 23 fretum neutri tantum generis esse volumus — masculini Lucretius — Naevius

---

174 et *BR*, ac *v*. 175 lactucam labra comedente asino carduos *M*, labra lactucam asino carduos comedente *Hieronymus*. — labra, *puto* labia. 176 serena *Scal. ad Aus. p.* 295 *ed. Toll.*, serana *L* 1, saerana (ae *m.* 2 *fact. ex* a) *G*; Serrano *Iun.* — coeli *Ald.*, caecaeli *L* 1, caecili *G*. — lumina *M*, nomine *cdd.*; serena caeli momina *Lchm. comm. Lucr.* 413. — salsi *Sc.*, *Dp*, salis v.

CXLIII [46]

Tappulam rident legem concerae optimi.

CXLIV [IIII, 6]

quei thynno capto cobium excludunt foras.

DUBIA.

I

solus vero scit quid re atque quaestu conducat suo.

II

_ ᴗ ᴗ _ ᴗ ᴗ _ ᴗ [sepultum m]orte meroque.

III

_ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ _ ᴗ lena lenam deserit?

IV [inc. 189]

ructantur iuvenes et foedant omnia sputis.

— Ennius — Lucilius. CXLIII Festus 363 Tappulam legem convivalem ficto nomine conscripsit (f. carpsit) iocoso carmine Valerius Valentinus, cuius meminit Lucilius hoc modo. Cf. Paulus 362 Tappula (ita L 116, Tapulla v.) dicta est lex quaedam de conviviis. CXLIV Varro d. l. l. VII, 47 apud Lucilium — piscium nomina sunt eorumque in Graecia origo.

I Non. 274, 22 conducere utile esse. Lucilius (Lucilii nomen add. M m. Rh. XVII, 199, om. cdd.; ceterum praecesserat proxime v. Luc.).

II Festus 340 s. m. m. cum ait .... (Lucilii nomine explendam esse lacunam probabiliter statuit O. Muellerus) .... [d]e L. Terentio Tusci vici (vi cd.) [magistro significat] vivum (nium cd.) de saxo Tarpeio [desiluisse, cum eo v]enisset commissatum, quod [vini vi facere es]set coactus. III Barthius advers. 1748 ex lexico Terentii, in cuius fine referatur excerptum esse ex Donato et aliis priscis interpretibus (id ait se in Helvetia interiore ab homine erudito olim utendum accepisse) profert haec et talia: adiuvant sermonem ex abundanti addita, ut apud Terentium in adelphis: cum illam videbat praesens praesenti eripi. Virgilius: illum absens absentem auditque videtque. et Lucilius. IV Perottus c. cop. 972, 54 ad Mart. epigr. 116 [I, 87], 4 rutus rutationes quemad-

---

177 concerae *Scal.*, concere *lib. Polit.*, *Ursinus*. — optimi *O. Muellerus*, optini *lib. Polit.*, opimi *rel.* 178 quei *M*, quidem *Flor.*, quod *Paris.* 6142. — thinno *Flor.* — cobium *O. Muellerus*, corium *cdd.*

1 scit *M*, soli *libri*. — et questi (quaesti *G*) *idem;* atque quaestu *M.* 2 meroque *Sc.*, moroque *cd.* 3 lenam *Barthius.* 4 rutantur *Perottus.* — sputis omnia foedant *D.*

V [inc. 157]

Charis. 40: cum vero e vel i vel u terminatur ablativus singularis, um accipit et facit genetivum pluralis — invenimus tamen apud auctores etiam his contraria. nucerum enim Caelius dixit, Lucilius (Caecilius v. c. D.) naterum — cum rum syllabam numquam accipiat ablativus e littera terminatus nisi cum producitur ut ab hac re rerum.

Illud naterum habet vetus codex Dousae, idque ipsum libri Neapolitani scriptura indicari videtur, in quo nauerum sive nicterum vel nuccerum legere sibi visus est Keilius.

VI

5 Luciliades.

VII

non mihi si linguae centum sint oraque centum,
aerea vox.

VIII

Serv. ad aen. XII, 419: sciendum tamen Lucretium (ita Reginensis 1674 et Parisinus 7929) panaceam ubique salem dicere; unde possumus et hoc loco salem intellegere. — hic recte Lucretio Lucilium substituisse puto doctos; nam apud illum ne semel quidem panacea; hunc autem si non ubique, certe haud infrequenter per iocum dixisse salem panaceam,

modum superius (332, 41) diximus. Lucil. VI Servius sive Sergius qui dicitur explanationum in art. Donati l. I [gr. Lat. IIII, 527] Latina quae Graecae declinationis colorem duxerunt, Graecum quoque retinent accentum. quare ut Miltiades Asclepiades ita Luciliades (Lucidiades cd. Lavantinus, Lutiades Oxon., Keilius non recte Luciades) et Memmiades et Scipiades acuta, quamvis brevi, paenultima proferuntur. — in his cum illa Scipiades et Memmiades Lucilii ac Lucretii auctoritate nitantur, etiam Luciliades quin sit poetae veteris vix dubitandum. neque hercule cuiquam aptius adtribuetur quam ipsi Lucilio, cuius praeter exemplum supra adlatum etiam est illud prima Papiria Tuscolidarum, sive se indicavit seu liberos suos (quamquam de prole eius aliunde non constat) seu potius fratris qui avus extitit Magni Pompei. — ceterum sicut Scipiadas ita haud dubie dictus eidem nominativo casu Luciliadas. — quae alioquin extant exempla patronymicorum talium a Latinis nominibus deductorum collegi pg. 389 libri nostri. VII Serv. ad aen. VI, 625, 6 n. m. s. l. c. s. o. c. ferrea vox: Lucretii versus sublatus de Homero, sed ille aerea vox dicit. — et ad georg. II, 43, 44 ubi eadem recurrunt: Lucretii versus. sed ille aerea (ita Lchm., aenea v.) vox ait, non ferrea. — haec Lucilio tribuere nonnulli, Lucretii in lacuna post VI, 839 olim posita fuisse vult Lachmannus comm. pg. 399.

ut alibi catillonem dixit piscem qui Tiberis vesceretur stercoribus, minime abhorret a probabilitate.

IX

terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam.

X

quare da te homini; complectetur; mihi crede.

XI

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ferventia rapa vorare.

XII [inc. 178]

– ⏑ ⏑ – cuius non audebo dicere nomen?
quid refert, dictis ignoscat Mucius an non?

XIII. XIV.

praeterea videnda quae ad Hor. sat. II, 1, 22. 70 infra notabuntur.

IX Cic. de div. II, 64, 133 ut siquis medicus aegroto imperet ut sumat — potius quam hominum more cocleam dicere. — versum illum Lucilio tribuit Corpetus, haud absurde, cum videantur eo irrideri Pacuviana illa quae statim addit Tullius:

quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
brevi capite, cervice anguina, aspectu truci,
eviscerata inanima cum animali sono.

ea quibus testudo significatur tam sunt obscura, ut merito respondeant (testante aeque Cicerone) astici Amphioni qui fecit illa verba:

non intellegimus, nisi si aperte dixeris.

X Cic. ad fam. II, 8, 2 tantum habeto, civem egregium esse Pompeium et ad omnia, quae providenda sunt in re publica et animo et consilio paratum. quare e. q. s. haec Lucilii esse haud male suspicatus est Orellius. XI Sen. de morte Claudii Caesaris cap. 9: cum sit e re publica esse aliquem qui cum Romulo possit f. r. v., censeo uti divus Claudius ex hac die deus sit. — illa quae sunt 'ferventia rapa vorare' cum aperte sint poetica a Lucilio venisse suspicatur Buechelerus. nisi potius fuere Varronis. Ennium eandem rem tetigisse in annalibus idem statuit haud improbabiliter. de ea sic Martialis XIII, 16 'haec tibi brumali gaudentia frigore rapa quae damus, in caelo Romulus esse solet'. fuit certe cibus ille admodum usitatus Romanis, praesertim priscis. — vorare ut alibi 'durum molle voras fragmenta interfici' panis'. XII Iuv. sat. 1, 151 unde illa priorum scribendi quodcumque animo flagrante liberet simplicitas? 'cuius' e. q. s. Lucilio tribuit Dp.

11 audebo *M*, audeo *Iuvenalis*.

MAGIS SUSPECTA.

I [inc. 186]

non frustilatim nec minutatim dari.

II [cf. XVI, 10]

Varro d. l. l. V, 138: pilum quod eo far pisunt; a quo ubi id fit dicitur pistrinum — inde post in urbe Lucili pistrina, et pistrix. — haec ad poetam retulit Scaliger. et sane fatendum eum utroque vocabulo esse usum, XVI, 12, inc. 62. tamen dum considero verba Varronis, potius notam aliquam Lucilii nescio cuius in urbe Roma pistrinam tangi adsentior aliis.

III [147]

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – pergit capulare cadaver.

IV [inc. 20]

tum laterali' dolor, certissimu' nuntiu' mortis.

V

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – cameraeque caminis
exterritibus.

I Non. 112, 4 frustatim et frustilatim per frusta ut minutatim. Pomponius — saturarum. — de frgm. 1, 3, 6, 10 dict. in comm. III Fulgent. 564, 11 capularem dici voluerunt senem iam morti contiguum; sed et reos capulares dicebant, qui capulo digni forent. unde et Lucilius (Lucius Guelf. sec., Bas.) ait. IV Maxim. Victorinus 1963 Ennius quoque ait 'vita illa dignus locoque', quasi 'dignu locoque' dixerit. similiter Lucilius ait 'tum' e. q. s. pro t. laterali d. certissimu nuntiu m. permutanda inter se locis Ennii Luciliique nomina admodum probabiliter statuit Iacobus Beckerus ephem. Marb. a. 1849 p. 329. V Char. 43 camara dicitur (dicuntur Neap.), ut Verrius Flaccus adfirmat, non camera (camarum Neap.) per e. sed Lucretius — dicendo etiam cameram (camarum Neap.) dici posse ostendit. — eadem leguntur in excerptis orthographicis 2779. — eadem 'ex membranis' profert Barthius advers. 1693, ubi recte legitur camera, cameram. — in cd. Paris. 7530 haec sunt: camaram Flaccus, Lucretius cameram dixerunt. — haec Lucilii esse dixit Cramerus schol. vet. in Iuven. pg. 509; sed probabilius Lachmannus ad lacunam quandam libri sexti Lucretiani revocavit comm.

---

1 minutim *G et L* 1, *sed in hoc m.* 1 *superscr.* ta.

4. 5 camaraque caminis (*sive* cuminis) extritibus *Neap.*, cameris ex teretibus *exc. orthogr.*, *Barthius.* 5 exterritibus *corruptum.*

VI

nasum diductius quam pandius paulo vellem.

VII

nasum hoc corpusque scitum.

VIII

Barthius advers. 1706 ad Hor. ep. I, 17, 55: meretricis acumina saepe catellam, saepe periscelidem raptam sibi flentis: digna memoria est glossa in omnium antiquissimo quot mihi videre contigit exemplari reperta 'catella diminutivum est a catena dixitque catellam imitatione Lucilii'; cf. Non. 199, 10 catellae. diminutivum est catenarum; et dicuntur genere feminino. Caecilius Plocio: catellae.

IX

Serv. ad aen. I, 726: a lychno lucerna dicta est, unde et brevis est lu Lucilio ut Persio: dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae. — ita Fabricius, excepto quod omittit lu; v. unde et brevis est lu ut Iuvenalis. et versus quidem ille utique Persii; ceterum cum Thilonis copiae deficiant, utrum praeferam dubito, quamquam videtur sane ortum Lucilii nomen ex syllaba lu; versus tamen ille utique Persii. apud omnes autem satiricos invenitur lucerna.

X

alter Homerus.

399. VI in Pseudoprobi de nomine excerptis [gr. l. IIII, 212] haec leguntur: nasus hic an hoc nasum? antiqui neutraliter dicebant; itaque Lucretius 'nasum' e. q. s. VII inc. de dubiis nominibus [gr. lat. V, 584] nasum generis neutri ut Lucilius (ita Vindobonensis, Luculius Monacensis et Laudunensis). — haec verba, in quibus scitum de M. Hauptii coniectura posui (nam in scr. est scutum) num Lucilii sint, admodum dubito. nam iambica sive trochaica exempla Lucilii praesto fuisse auctori huius libelli abhorret ab omni probabilitate; dactylica illa ne esse statuas, ea re prohibere, quod productae brevis finalis ante duplicem consonam sequentis verbi nullum extat apud Lucilium exemplum: de qua re iam monui ad VIIII, 4: praeterea nihil frequentius in farragine ista relatis falsis auctorum nominibus. X Hieronymus comm. in Micham cap. 7 pg. 1549 ed. Bened.: sed et poeta sublimis (non Homerus alter, ut Lucilius de Ennio suspicatur, sed primus Homerus apud Latinos) varium, inquit, et mutabile semper femina.

FALSO ADSCRIPTA.

Non. 509, 4: disertim dicere plane palam Lucilio (Lucio Bamb., L 2; Cecilio ed. princ.) auctore possumus in Veliterna 'habui recte disertim'. — ibi verissime Bentinus cum Iunio et Mercero reposuit illud Titinius. videntur autem in hunc modum dispescenda verba:

hábui.
recté, disertim;
sive ita: habui. récte,
disértim.

II

Fulgentius 568, 22 ed. Merc. delenificus dicitur blandiloquus. unde et Lucretius comicus in nummularia ait (com. in n. a. om. Gudianus 335) 'nescio, quorsum eveniant mihi tua verba tam delenifica'. — ibi Lucilii nomen substituere Iunius et Mercerus; et dedisse puto ipsum Fulgentium; quoniam haud ita raro apud ultimae aetatis grammaticos Lucilius cum ceteris satiricis audit comicus. sed quis nugacissimi hominis curabit testimonium? — illud delenificus Plautus et Turpilius comici adhibuere.

III [inc. 188]

Graecia Sulpicio sorti data, Gallia Cottae.

IV

ad nonum hoc praecellit annum.

III hunc v. qui extat apud Isidorum or. I, 35, 3 supina neglegentia usi homines docti Lucilio tribuerunt, cum appareat esse ex Ennii annalium lib. X: nam pertinet ad P. Sulpicium Galbam C. Aurelium Cottam qui a. u. 554 fuere consules; e quibus alteri Macedonia evenit provincia, alteri Italia [Liv. XXXI, 4, 4; 6, 1]. sed mox Cottae ex s. c. mandatum ut aut ipse aut Q. Minucius praetor in Galliam quae rebellaverat exercitum duceret [Liv. XXXI, 11, 1, 2]. Graeciam quod pro Macedonia dixit Ennius necessitate metri coactus fecit: ceterum in Graecia non minus quam in ipsa Macedonia Sulpicio res fuit gerenda contra Philippum. IV Per. c. cop. 65, 46 praecello — significat differo.

V

magnam inde appiscatus infamiam.

VI

otium inertia pallor eum ad pauperiem redegit.

VII

ut arida saepe
torrent ad solem.

VIII

cum nimbo caelitus descendit Iuppiter.

IX

qui in hominem innocentem sic exultas.

X

timeo certe, ne mihi sit tristior.

XI

plangunt littora fluctus.

XII

vincit columbos osculis.

Lucilius. V Per. c. cop. 152, 22 adipiscor quod significat acquiro veteres appiscor dicebant. Lucilius. — videnda quae diximus quaest. Lucil. c. 2. VI Per. c. cop. 186, 59 pallorem etiam veteres pro vetustate et negligentia posuerunt. Lucilius. — cf. Non. 462 pallorem vetustatem et neglegentiam Lucilius lib. XXX voluit dici posse: lanai opus omne perit. pallor, tiniae omnia caedunt. VII Per. c. cop. 403, 53 aliquando (torrere) pro ignescere usurpatur. Lucil. VIII Perottus c. cop. 430, 52 ad Mart. epigr. 3 aliquando (ponitur nimbus) pro nube divina, qua dii solent in terras descendere. Lucilius. — hoc metrum, in quo vulgo fertur coelitus et Iupiter, indignum prorsus elegantia Lucilii. — videntur obversata esse Perotto Vergilii ferme haec [ecl. 7, 60; g. II, 325, 26] Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri; tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether coniugis in gremium laetae descendit. IX Per. c. cop. 654, 19 Lucilius qui — exultas, hoc est iniuriam facis. — cf. Non. 300, 24; 330, 20 s. v. exultare et ins. X Per. c. cop. 660, 33 nonnumquam (tristis) pro irato. Lucilius. — cf. ap. Non. 409 l. triste, ubi etiam Lucili quaedam sunt, quibus ex parte usus est Perottus. ibi etiam haec leguntur: tristis iratus (immo ingratus). Afranius epistola 'iactavit sese. — iactet. mihi erit tristior'. hoc exemplum Perotto obversatum esse existimem. XI Perottus c. cop. 976, 60 plangere aliquando pro percutere accipitur. Lucil — cf. Ov. her. 19, 121 me miseram quanto planguntur litora fluctu. XII Per. c. cop. 995, 36 ad Mart. epigr. 138 (I, 109), 2 tum in reconciliatione (columbarum) frequens exosculatio. Lucilius. — cf. Gallieni versus anthol. Lat. 232, 2 non murmura vestra columbae, brachia non hederae, non vincant oscula conchae.

XIII [inc. 111]

Mar. Vict. 31 G. videtur plurimis esse quintus communium syllabarum modus, qui apud Lucilium et veteres multos est frequentatus, ut correpta vocalis desinat in s et excipiatur ab alia consonanti vel vocali loco consonantis posita ut est illud 'quare etiam atque etiam, ut dico, est communi' voluptas'. et item 'efflantque elatis naribu' lucem'. haec Lucilio tribuenda nec testatur Victorinus nec potuit testari. — nam prius exemplum Lucretii est, posterius Ennii esse demonstrat Servius qui ad aen. XII, 115 lucemque elatis naribus efflant haec notat: Ennianus versus est ordine commutato. ille enim ait: 'funduntque elatis naribu' lucem'. — in his antiquitus fuisse scriptum illud 'efflantque' et Victorini testimonio et ipsius Servii verbis fit probabile.

XIV [inc. 155]

Char. 71: excipitur nix — licet veteres ninguis declinaverint, e quibus est Lucretius. — Lucretius e cd. Paris. 7530, qui excerpta ex Charisio continet, restituit Keilius; Lucilius est in Neap. — affert Keilius opinioni firmandae Servii ad aen. IIII, 250: nix nivis facit, sed verbum ninguit non hinc venit, sed ab eo quod est haec ninguis. sic Lucretius 'albas effundere ningues', cf. Lucr. VI, 736 et quae annotavit ibi Lachmannus.

XV

‒ actutum, voltis, emptast; noltis, non emptast ⏑ ‒

XVI

infantibu' parvis.

XV Diom. 381 apud veteres reperimus iuxta (om. cdd.) id quod nolumus noltis (non vultis libri) ut est in Aethrione (ita Iacobus Beckerus philol. IIII, 78, etherione cdd. Keilii) apud Caecilium (ita vir doctus in exemplari Lucilii Dousano; Lucilium cdd.) activum (ita fere scripti; corr. Mon. manu recenti) vultis e. q. s. XVI Diomedes 424 ubi docet s plerumque in metro vim consonantis amittere: apud Lucilium (Lucium Mon.). sed non magis hoc exemplum est Lucilii (nam legitur ap. Lucretium I, 186, ubi videnda annotatio Lachmanni) quam quae in re simili adferuntur a Mario Victorino 2472, de quo modo diximus.

XVII

erant et equorum inaurata tapeta.

XVIII [inc. 161]

Prób. cathol. 1450: po syllaba terminata producuntur: vappo vapponis; animal est volans, quod vulgo animas (alii ammas) vocant, lectum est apud Lucretium hos vappones. — hoc ad Lucr. III, 386 'nec plumas avium papposque volantis' rettulit Lindemannus; quod contra Lachmannus sibi quam recte grammaticus vappones adscripserit Lucretio liquere negat; mihi satis certum est perperam Lucilii nomen pro Lucretii substituisse Dousam cum plerisque, quoniam neque in catholicis Probi neque in institutis artium ulla certa mentio extat Lucilii. igitur grammaticum illum hic loci ut haud raro alias sive sua sive eorum quos sequebatur culpa lapsum existimo.

XIX

austerissimarum herbarum sucos exprimebat.

XX [inc. 77]

qua facere id possis nostram nunc accipe mentem.

XVII Probus gr. lat. IIII, 129 quaeritur ab eo quod dixit Lucilius (ita Vaticanus, Vindobonensis Vergilius) 'erant et equorum inaurata tapeta' qua de causa hoc tapetum facere pronuntietur. — verum nomen auctoris servavit is qui scripsit explanationem in Donatum gr. lat. IIII, 542; ubi legitur: item apud Livium: erant et equorum inaurata tapeta. id fragmentum iungendum cum illo quod affertur a Non. 194, 20 ex Livii nono: auratae vaginae, aurata baltea illis erant. et hoc quidem non magis quam quod legitur ap. Non. 368, 25 s. v. pullum historici esse Livii, ut creditum vulgo, monuit Hertzius ann. phil. a. 1862 pgg. 709 sq.; nec nos res fugerat. versus ita videntur esse reconcinnandi:

aurátaé vagínae, báltea aúráta
illís eránt et equórum índauráta tapéta.

baltea aurata scr. Hertzius, indaurata Fleckeisenus. — eod. quo Probi librarius lapsus est errore legitur v. ap. Non. 176, 13 Lucilius Aegistho; atque ita Bamb. 132, 31, qui et 473, 21 Lucilius Achille. — cet. quant. ad Probum videnda quae monuimus nota proxime sequente. XIX haec verba irato Apolline nata, quae adfert Probus nescio qui in institutis artium [gr. lat. IIII, 67] ut probet, si dis placet austeris dici, non austerus, cuius sint scriptoris nescio, Lucilii certe non sunt. quis porro credet homini, cui ne dactylica quidem Lucilii carmina afferuntur, adfuisse exempla ex trochaicis vel iambicis? — ceterum superlativum austerissimus etiam habes ap. Scribon. Larg. de compos. med. 142 vino austerissimo. XX hunc versum, quem adfert Acron ad Hor. sat. I, 4, 86, vetustissimi manuscripti auctoritate manifesto Lucilio tribui ait Dousa. sed in rel. l. simpliciter poetae tribuitur. et est ex primo aeneidos 678.

XXI

Acr. ad Hor. sat. II, 1, 22: Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem: nomina sunt luxuriosorum, quos in priore libro etiam [Lucilius] carpsit. — Lucilii nomen delevit C. F. Hermannus. additum id a scriba, quem fugeret adverbium etiam pertinere ad illud in priore libro.

XXII [inc. 171]

ad Hor. sat. II, 1, 30 ille velut fidis arcana sodalibus olim credebat libris haec leguntur adscripta ap. Acronem (eius verba secundum Cruquii damus exemplar): hoc Lucilius ex Anacreonte traxit et Alcaeo Sapphoque, Graecis lyricis, quos ait Aristoxenus (ita Dousa, Aristoxenes cdd.) libris propriis amicorum loco usos esse. — in his falso nomen Lucilii irrepsisse ex proximis 'dicitur enim suam vitam scripsisse in opere suo et non sibi pepercisse' apparet ex verbis Porphyrionis unde illa ducta: 'v. f. a. s.; Aristoxeni sententia est. ille enim in suis scriptis ostendit [Anacreontem et] Sapphonem et Alcaeum volumina sua loco sodalium habuisse. — v. p. v. d. t. v. s.; ita fit ut Lucilii vita tam clara sit per libros, quam si in tabula votiva ostendatur.'

XXIII

Acron. ad Hor. ep. II, 3, 237, 8: audax Pythias: quae ausa est eludere dominum suum; non dicit de Pythia Terentiana; sed apud Caecilium (ita Orellius, Lucilium cdd.) comoediographum inducitur ancilla per astutias accipere argentum a domino. nam fefellit dominum suum et accepit ab eo argenti talentum; fuit enim haec eadem meretricula rapax ut Thais, quae lucrum fecit.

XXIV [inc. 140]

Servius ad aen. I, 181, 2: Anthea siquem iactatum vento videat. item in Lucilio: et quem (rectius docti ecquem) Pamphilum quaeris? — quem vacat.

haec verba, quae trim. iamb. vel troch. septenariis discer-

penda, ab Auruncae alumno venisse credat Iudaeus Apella, non ego. nam etiamsi personae comicae in saturis Lucilii occurrunt, puta Gnato, Chremes, Demaenetus, nec minus pleraque in isdem per diverbia fuere disposita, tamen simpliciter iudicaturo similius longe veri videbitur ex comoedia aliqua haec esse petita, sicut habes apud Terentium in Andr. II, 4, 8 o Pamphile, te ipsum quaero. accedit firmandae suspitioni gravissimum illud, quod Servius alias nullam usquequaque iambicorum vel trochaicorum librorum Lucilii prodit peritiam. igitur haud cunctanter Caecilii nomen restituendum.

XXV

nec si te pectore vates
accipiam.

XXVI [inc. 72]

Servius ad aen. X, 564: tacitis Amyclis: tacitae Amyclae dictae sunt, quod periere silentio. hinc est quod ait Lucilius (unde Lucilius ait Paris. 7929) 'mihi necessest loqui; nam scio Amyclas (Amiclas Regin. 1674, Paris.) tacendo perisse' (ita cd. uterque). haec verba cum a numeris, sed maxime dactylicis plane sint aliena, ultro oritur suspitio Servium ut saepe alias lapsum memoria. adde gravissimum illud quod in scholiis Veronensibus ad Vergilii versum hoc notatur: Amyclis. ex proverbio [sum]ptum est, cuius Afranius meminit in Prodito 'deliberatumst non tacere amplius. Amyclas tacen[do p]erisse audio'. — quod cum ita sit, haut absurde statuit O. Ribbeckius in verbis Servii Luc. nomen pro Afranii errore positum, cetera autem prava memoria destructa esse. nempe exquisitius et rarius dicta illa deliberatum est non tacere vulgaribus ac de trivio petitis mutavit scholiasta. — ceterum a Servio non magis quam a plerisque citari iambica et trochaica Lucilii supra expositum.

XXV apud Servium eis quae notantur ad aen. VIII, 340 vatis fatidicae haec sunt addita in cdd. quibusdam 'Lucilius: nec

XXVII

ne oblimet.

XXVIII

Cicero orat. 48, 161: ita enim loquebamur 'qui est omnibu' princeps', non 'omnibus princeps'. — extitere qui Lucilii haec esse dicerent, sed sunt Ennii; cf. Vahl. ad Enn. ann. 68.

XXIX

Sisyphu' versat
saxum sudans nitendo neque proficit hilum.

XXX [inc. 181]

displiceo mihi nec sine summo scribo dolore.

si te pectore vates accipiam'; cf. d. r. m. 66. XXVII Philarg. ad georg. IIII, 136 oblimet. Lucretius (ita codex) pro obturet, obcludat. — haec Lucilio quidam addidere; ad lacunam VI I. Lucr. revocabat Lachmannus comm. pg. 399. enimvero et hunc et illos falli apparet. nam ista ne oblimet non Lucilii aut Lucretii, sed ipsius sunt Vergilii. itaque Lucretii mentio nisi orta est glossa marginali a lectore Servii memori addita, excidere haud dubie quaedam post illud Lucretius sive ante; quae qualis fuerint docet Servius, qui ad hunc ipsum locum haec notat: bene rem turpem aperte a Lucretio tractatam (fine l. IIII) vitavit translationibus. XXIX Cic. Tusc. I, 5, 10 dic, quaeso: num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, travectio Acherontis, 'mento summam aquam attingens enectus siti Tantalus' tum illud quod. — Non. 121, 3 hilum breve quoddam. Lucilius lib. XXX — Cicero Tusculanarum lib. I tum illud e. q. s. — idem 353, 6 niti est conari sub onere. Vergilius — Cicero Tusculanarum lib. II tum illud e. q. s. — haec Lucilio tribuit Iacobus Beckerus phil. II, 37; et sane similis hexametri exitus (modo sint illa quae supra posui dactylica!) invenitur libro XXX quo tua tua laudes, culpes? non proficis hilum. cuius memor fuit loci Beckerus. accedit quod l. III memoratur a Lucilio Tantalu' qui poenas ob facta nefantia pendit. sed ut haec ioco potius quam serio fuere dicta ab eo, ita probabilius statuetur sumpta illa non minus quam praecedentia de poeta aliquo tragico; hi enim serio mythos illos quos exornant carminibus propriis tueri existimandi erant Ciceroni, non Lucilius qui nec dis pepercit nec hominibus. — accedit quod versus alter ut non indignus omnino Lucilio ita durus admodum est et exempli pessimi. nec enim recte ap. Lucr. VI, 1199 scripsit Lachmannus quorum siquis vix vitarat funera leti. quae cum ita sint, verba illa potius anapaestis ita sunt dispescendi:

> Sisýphu' versat saxúm sudans
> niténdo neque profícit hilum.

numeri secundi versus, qui apte depingunt laborem Sisyphi ut apud Ennium:

> Iovis aram sanguine turpari.
> tectis caelatis laqueatis.

et similia alibi; quamquam potuit fieri ut memoria lapsus Cicero scriberet nitendo neque pro neque nitendo. XXX Cicero ad Att. II, 18 sed de republica non libet plura scribere. displiceo e. q. s. —

XXXI [inc. 148]

serenu' fuit.

XXXII [add. 2 pg. 440]

at magnum fecit quod verbis Graeca Latinis miscuit.

TESTIMONIA DE LUCILIO.

I [test. d. L. pg. 180]

Hieron. ad a. Abrahae MDCCCLXVIIII (ita Amandinus et Freherianus, MDCCCLXX rel.) Lucilius (Lucullus Freherianus) poeta nascitur. id. ad a. MDCCCCXV (praecedenti adscribunt libri praeter Amandinum) C. Lucilius (Lucius cdd., et ita quod vix credent nisi qui oculis viderint Schoenius) satyrarum scriptor Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis XLVI.

II [172]

Velleius Paterculus II, 9 de temporibus Scipionis Aemiliani postquam Afranii, Pacuviique et Accii mentionem iniecit: celebre et Lucili nomen fuit, qui sub Publio Africano Numantino bello eques militaverat.

III [178]

Gell. n. A. XVII, 21, 49 postquam Catonis Censorii et aequalium huius mentionem fecit, ita pergit: neque magno intervallo postea Q. Ennius et iuxta Caecilius et Terentius et subinde et Pacuvius et Pacuvio iam sene Accius clariorque tunc (tunc om. P, sunt m. 2 mutatum in fuit R) in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit.

haec fuere qui pro hexametro et vero Luciliano venditarent. sed neque Lucilii sunt ista et multo minus hexameter; cf. d. r. m. 337. — neque ob aliam causam verba poetae quidam sibi agnoscere sunt visi quam quod Cicero, ut ἐμφατικώτερον esset illud, quod in fine sensus collocavit, dolore, id ab adiectivo suo inmisso verbo segregavit, sicut haud raro fecit alibi. XXXI conf. quae notavimus ad IIII, 11. XXXII apud Iulium Rufinianum de fig. sent. et eloc. 6 leguntur haec: ἐξουθενισμός. figura haec fit, cum rem aliquam extenuamus et contemtam facimus ut apud Lucilium. ibi Gesnerus reponi iubet apud Horatium in Lucilium, Beckerus philol. V, 726 apud Horatium. vitium haud dubie ortum ea re quod in margine adiectum erat antiquitus pertinere Horatii illa ad Lucilium.

IV

Macrob. III, 16, 14: C. Titius, vir aetatis Lucilianae, in oratione qua legem Fanniam suasit.

V

codex Montepessulanus (non Sangallensis) schol. Iuv. ad sat. 1, 20 Auruncae; Lucilium (Lucium codex) satyricum dicit qui fuit Auruncus id est Tuscus. — ibi Tuscus idem quod Italus ut saepe apud extremae aetatis scriptores. — Probus Georgii Vallae ad h. l.: Lucillium dicit, ut sit Aurunca pro Italia synecdochicos posita. — reliqua quae ib. ex eodem affert Valla nugae merae.

VI [cf. 181]

P. ad H. II, 1, 75 infra Lucili censum: hoc ait 'etsi non sum eorum natalium, quorum Luc. fuit.' constat enim Lucilium maiorem avunculum (om. Mon.) Magni (add. M) Pompei fuisse. etenim avia Pompei Lucili soror fuerat. — Acr. ad eund. l. ideo quia fertur Lucilius maior (om. Paris. 7975) avunculus fuisse Pompei Magni. merito ergo et dives fuit. — idem ad 29 nostrum melioris utroque: fuit enim valde nobilis Lucilius, utpote qui esset Magni Pompei avunculus (avus v.).

VII

Velleius II, 29: fuit hic (Pompeius) genitus matre Lucilia stirpis senatoriae.

VIII [177]

Asconius in Ciceronis Pisonianam pg. 13 ed. Bait.: et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam (populum concessisse tradunt, inter quos Atticus in annale), quae postea dicitur Lucilii poetae fuisse.

[IX]

[Cic. de or. II, 7, 284: sed ex his omnibus nil magis ridetur, quam quod est praeter exspectationem; cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appi maioris illius, qui in senatu, cum ageretur de agris publicis et de lege Thoria et preme-

retur Lucilius ab eis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent, 'non est' inquit 'Lucili pecus illud; erratis' (defendere Lucilium videbatur): 'ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur'.]

X [181]

Acro ad Hor. sat. II, 1, 72: Scipio Africanus fertur intra domum tam civilis fuisse et carus Lucilio, ut quodam tempore Laelius circa lectos triclinii fugienti supervenerit, cum eum Lucilius obtorta mappa quasi feriturus sequeretur.

XI

Porphyr. ad Hor. sat. II, 1, 16 sq. attamen et iustum poteras et dicere fortem, Scipiadam ut sapiens Lucilius: si non potes res gestas scribere, at potes iustitiam et fortitudinem, ut Lucilius [Scipionis] fecit, qui vitam illius privatam descripsit, [Ennius vero bella]. — in his quod uncis seclusi Scipionis, est glosema pertinens ad illius. — postrema verba indigna esse Porphyrione existimo, quem tam ignarum fuisse rerum ut minorem Scipionem cum maiore confunderet, qualem sane finxere doctorum plerique Horatium, equidem haud facile adducor ut credam. — fatendum tamen etiam ap. Acronem Scipiadam dici illum qui Hannibalem revocatum ex Italia vicit; cf. et eius not. ad 72.

XII [171]

Cic. de or. I, 16, 72: ubi loquitur L. Crassus ad M. Scaevolam: sed ut solebat C. Lucilius saepe dicere, homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus quam volebat familiaris, sed tamen et doctus et perurbanus, sic sentio, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus eis artibus, quae sunt libero homine dignae perpolitus.

XIII [172]

Cic. acad. II, 32, 102: accipe, quemadmodum eadem dicantur a Clitomacho in eo libro quem ad C. Lucilium scripsit poetam, cum scripsisset isdem de rebus ad L. Censorinum, eum qui consul cum M'. Manilio fuit.

XIV [172]

auct. ad Herenn. II, 13, 19: C. (quidam libri Aulus) Caelius iudex absolvit iniuriarum eum qui C. (om. cdd.) Lucilium poetam in scaena nominatim laeserat. P. Mucius eum qui L. Accium poetam nominaverat condemnavit.

XV [171]

Cic. ep. ad fam. VIIII, 15: accedunt non Attici, sed salsiores quam illi Atticorum Romani veteres atque urbani sales — itaque te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et Laelios videre videor.

XVI [172]

C. Trebonius in Cic. ep. ad fam. XII, 16: in versiculis si tibi quibusdam verbis εὐθυῤῥημονέστερος videbor, turpitudo personae eius, in quam liberius invehimur, nos vindicabit. ignosces etiam iracundiae nostrae, quae iusta est in eiusmodi et homines et cives. deinde, qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis, quam nobis? cum, etiamsi odio pari fuerit in eos, quos laesit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.

XVII [173]

Hor. sat. I, 4:

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
atque alii, quorum comoedia prisca virorumst,
siquis erat dignus describi, quod malus ac fur,
quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
famosus, multa cum libertate notabant.
hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
emunctae naris, durus conponere versus.
nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;
garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
scribendi recte: nam ut multum, nil moror. ecce,

Crispinus minimo me provocat 'accipe, si vis,
accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
custodes; videamus uter plus scribere possit.'
di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
finxerunt animi, raro et perpauca loquentis:
at tu conclusas hircinis follibus auras
usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
ut mavis, imitare. beatus Fannius ultro
delatis capsis et imagine; cum mea nemo
scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,
quod sunt quos genus hoc minime iuvat, utpote plures
culpari dignos. quemvis media elige turba,
aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.
hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
vespertina tepet regio; quin per mala praeceps
fertur, uti pulvis collectus turbine, nequid
summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.
omnes hi metuunt versus, odere poetas.
'foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico,
et quodcumque semel chartis inleverit, omnes
gestiet a furno redeuntes scire lacuque
et pueros et anus.' agedum, pauca accipe contra.
primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
excerpam numero: neque enim concludere versum
dixeris esse satis; neque siqui scribat uti nos
sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
magna sonaturum, des nominis huius honorem.
idcirco quidam, comoedia necne poema
esset, quaesivere, quod acer spiritus ac vis
nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo

differt sermoni, sermo merus. 'at pater ardens
saevit, quod meretrice nepos insanus amica
filius uxorem grandi cum dote recuset,
ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
noctem cum facibus.' numquid Pomponius istis
audiret leviora, pater si viveret? ergo
non satis est puris versum perscribere verbis,
quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
quo personatus pacto pater. his, ego quae nunc,
olim quae scripsit Lucilius, eripias si
tempora certa modosque, et quod prius ordine verbumst
posterius facias, praeponens ultima primis:
non, ut si solvas 'postquam discordia taetra
belli ferratos postes portasque refregit',
invenias etiam disiecti membra poetae.
hactenus haec: alias iustum sit necne poema;
nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
magnus uterque timor latronibus; at bene siquis
et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?
nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli;
nec recito cuiquam nisi amicis idque coactus,
non ubivis coramve quibuslibet. in medio qui
scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes:
suave locus voci resonat conclusus. inanes
hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
tempore num faciant alieno. 'laedere gaudes',
inquit 'et hoc studio pravus facis.' unde petitum
hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum,
vixi cum quibus? absentem qui rodit amicum,

qui non defendit alio culpante, solutos
qui captat risus hominum famamque dicacis,
fingere qui non visa potest, conmissa tacere
qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
saepe tribus lectis videas cenare quaternos,
e quibus unus amet quavis adspergere cunctos
praeter eum qui praebet aquam; post hunc quoque potus,
condita cum verax aperit praecordia Liber.
hic tibi comis et urbanus liberque videtur,
infesto nigris; ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
lividus et mordax videor tibi? mentio siqua
de Capitolini furtis iniecta Petilli
te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos:
'me Capitolinus convictore usus amicoque
a puerost, causaque mea permulta rogatus
fecit, et incolumis laetor quod vivit in urbe;
sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
fugerit': hic nigrae sucus loliginis, haec est
aerugo mera; quod vitium procul afore chartis
atque animo prius, ut siquid promittere de me
possum aliud vere, promitto. liberius si
dixero quid, si forte iocosius; hoc mihi iuris
cum venia dabis: insuevit pater optimus hoc me
ut fugerem, exemplis vitiorum quaeque notando.
cum me hortaretur parce frugaliter atque
viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
'nonne vides, Albi ut male vivat filius utque
Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem
perdere quis velit.' a turpi meretricis amore
cum deterreret: 'Scetani dissimilis sis.'
ne sequerer moechas, concessa cum venere uti
possem: 'deprensi non bellast fama Treboni'
aiebat. 'sapiens, vitatu quidque petitu

sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si
traditum ab antiquis morem servare tuamque,
dum custodis eges, vitam famamque tueri
incolumem possum; simul ac duraverit aetas
membra animumque tuum, nabis sine cortice.' sic me
formabat puerum dictis, et sive iubebat,
ut facerem quid 'habes auctorem, quo facias hoc:' —
unum ex iudicibus selectis obiciebat; —
sive vetabat, 'an hoc inhonestum et inutile factu
necne sit addubites, flagret rumore malo cum
hic atque ille?' avidos vicinum funus ut aegros
exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit,
sic teneros animos aliena opprobria saepe
absterrent vitiis. ex hoc ego sanus ab illis,
perniciem quaecumque ferunt, mediocribus et quis
ignoscas vitiis teneor; fortassis et istinc
largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
consilium proprium: neque enim, cum lectulus aut me
porticus excepit, desum mihi. 'rectius hoc est.
hoc faciens vivam melius. sic dulcis amicis
occurram. hoc quidam non belle: numquid ego illi
inprudens olim faciam simile?' ... haec ego mecum
conpressis agito labris; ubi quid datur oti,
inludo chartis. hoc est mediocribus illis
ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
multa poetarum veniet manus, auxilio quae
sit mihi: nam multo plures sumus, ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

XVIII

Incerti auctoris:

[Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
defensore tuo pervincam, qui male factos
emendare parat versus, hoc lenius ille,
quo melior vir et est longe subtilior illo,

qui multum puerum et loris et funibus udis
exhortatus, ut esset opem qui ferre poetis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus. ut redeam illuc:]

XIX [173]

Hor. sat. I, 10:

nempe inconposito dixi pede currere versus
Lucili. quis tam Lucili fautor ineptest,
ut non hoc fateatur? at idem, quod sale multo
urbem defricuit, charta laudatur eadem.
nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cetera: nam sic
et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer.
ergo non satis est, risu diducere rictum
auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus;
est brevitate opus, ut currat sententia neu se
inpediat verbis lassas onerantibus aures,
et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
defendente vicem modo rhetoris atque poetae,
interdum urbani, parcentis viribus atque
extenuantis eas consulto. ridiculum acri
fortius et melius magnas plerumque secat res.
illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste,
nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
'at magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
miscuit.' o seri studiorum, quine putetis
difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
contigit. 'at sermo lingua concinnus utraque
suavior, ut Chio nota si conmixta Falernist.'
cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum
dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
scilicet oblitos patriaeque patrisque Latini,
cum Pedius causas exsudet Poplicola atque

Corvinus, patriis intermiscere petita
verba foris malis, Canusini more bilinguis?
atque ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
post mediam noctem visus, cum somnia vera:
'in silvam non ligna feras insanius, ac si
magnas Graecorum malis inplere catervas.'
turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
arguta meretrice potes Davoque Chremeta
eludente senem comes garrire libellos
unus vivorum, Fundani; Polio regum
facta canit pede ter percusso; forte epos acer,
ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.
hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
haerentem capiti cum multa laude coronam.
at dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
plura quidem tollenda relinquendis. age, quaeso,
tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
nil comis tragici mutat Lucilius Acci,
non ridet versus Enni gravitate minores,
cum de se loquitur non ut maiore reprensis?
quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
quaerere, num illius, num rerum dura negarit
versiculos natura magis factos et euntes
mollius, ac siquis pedibus quid claudere senis,
hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
ante cibum versus, totidem cenatus: Etrusci
quale fuit Cassi rapido ferventius amni

ingenium, capsis quem famast esse librisque
ambustum propriis. fuerit Lucilius, inquam,
comis et urbanus, fuerit limatior idem,
quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
perfectum traheretur, et in versu faciendo
saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint
scripturus, neque te ut miretur turba labores,
contentus paucis lectoribus. an tua demens
vilibus in ludis dictari carmina malis?
non ego: nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
men moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque!
ambitione relegata te dicere possum,
Polio, te, Messalla, tuo cum fratre, simulque
vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
conplures alios, doctos ego quos et amicos
prudens praetereo, quibus haec, sunt qualiacumque,
arridere velim, doliturus, si placeant spe
deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
discipularum inter iubeo plorare cathedras.
i, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

XX [175]

ib. II, 1:

'sunt quibus in satira videor nimis acer et ultra
legem tendere opus; sine nervis altera quidquid

conposui pars esse putat similesque meorum
mille die versus deduci posse. Trebati,
quid faciam, praescribe.' 'quiescas.' 'ne faciam, inquis,
omnino versus?' 'aio.' 'peream male, si non
optimum erat; verum nequeo dormire.' 'ter uncti
transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
inriguumque mero sub noctem corpus habento.
aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
praemia laturus.' 'cupidum, pater optime, vires
deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos
aut labentis equo describit vulnera Parthi.'
'attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.' 'haud mihi dero,
cum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci
verba per attentam non ibunt Caesaris aurem,
cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.'
'quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem,
cum sibi quisque timet, quamquamst intactus, et odit.'
'quid faciam? saltat Milonius, ut semel icto
accessit fervor capiti numerusque lucernis;
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
milia: me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
ille velut fidis arcana sodalibus olim
credebat libris, neque si male cesserat usquam
decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
votiva pateat veluti descripta tabella
vita senis. sequor hunc, Lucanus an Apulus, anceps:
nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,

quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
incuteret violenta. — sed hic stilus haud petet ultro
quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis
vagina tectus: quem cur destringere coner
tutus ab infestis latronibus? o pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
qui me conmorit (melius non tangere, clamo),
flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuci, quibus est inimica, venenum,
grande malum Turius, siquid se iudice certes.
ut quo quisque valet suspectos terreat, utque
imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
matrem: nil faciet sceleris pia dextera (mirum,
ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos);
sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
exspectat seu mors atris circumvolat alis,
dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit exsul,
quisquis erit vitae scribam color.' 'o puer, ut sis
vitalis metuo, et maiorum nequis amicus
frigore te feriat.' 'quid, cumst Lucilius ausus
primus in hunc operis conponere carmina morem,
detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
cederet, introrsum turpis: num Laelius et qui
duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen
ingenio offensi aut laeso doluere Metello
famosisque Lupo coperto versibus? atqui
primores populi arripuit populumque tributim,
scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.

quin ubi se a vulgo et scaena in secreta remorant
virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
nugari cum illo et discincti ludere, donec
decoqueretur olus, soliti. quidquid sum ego, quamvis
infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
cum magnis vixisse invita fatebitur usque
invidia, et fragili quaerens illidere dentem,
offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
dissentis.' 'equidem nihil hinc diffingere possum;
sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
iudiciumque.' 'esto, siquis mala; sed bona siquis
iudice condiderit laudatus Caesare? siquis
opprobriis dignum latraverit, integer ipse?'
'solventur risu tabulae, tu missus abibis.'

XXI [176]

Pers. sat. 1, 114:

secuit Lucilius urbem,
te, Lupe, te, Muci, et genuinum fregit in illis.

XXII [177]

Iuven. sat. 1, 19:
cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
si vacat ac placidi rationem admittitis, edam.

XXIII [177]

Iuv. sat. 1, 165:
ense velut stricto quotiens Lucilius ardens
infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
criminibus, tacita sudant praecordia culpa.
inde irae et lacrimae.

XXIV

Petron. cap. 4: sed ne me putes improbasse schedium Lucilianae humilitatis (inprobitatis, quod ortum est ex

praecedente improbasse, sed ead. m. in mrg. humilitatis Bernensis, improbitatis vel inprobitatis reliqui libri paene omnes), quod sentio et ipse carmine effingam.

XXV [177]

Martial. XII, 94, 7:

audemus saturas. Lucilius esse laboras.

XXVI [176]

Quintil. X, 1, 93: satura quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid quod tollere possis putat. nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis. multum eo est tersior ac purus magis Horatius et (nisi labor eius amore) praecipuus.

XXVII [176]

Quintil. instit. or. I, 8, 10: denique credamus summis oratoribus, qui veterum poemata vel ad fidem causarum vel ad ornamentum eloquentiae adsumunt. nam praecipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam et ceteros, qui sunt proximi, videmus Enni, Acci, Pacuvi, Lucili, Terenti, Caecili et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam iucunditatis.

XXVIII [177]

Tac. dial. de orat. 23: neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos isti, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt.

XXIX [178]

Gell. n. Att. VI, 14: et in carmine et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci χαρακτῆρας vocant; nominaque eis fecerunt ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. nos quoque quem primum posuimus uberem vocamus, secundum

gracilem, tertium mediocrem. uberi dignitas atque amplitudo est, gracili venustas et subtilitas, medius in confinio est, utriusque modi particeps. his singulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero, quae earum modum et habitum simulacris falsis ementiuntur. sic plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squalentes et ieiunidici pro gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus. vera autem et propria huiuscemodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

XXIX a

Fronto pg. 113 Nab.: in poetis autem quis ignorat ut gracilis sit Lucilius?

XXIX b

id. 62: partim scriptorum animadvertas particulatim elegantis, Novium et Pomponium et id genus in verbis rusticanis et iocularibus ac ridiculariis, Attam in muliebribus, Sisennam in lascivis, Lucilium in cuiusque artis ac negotii propriis.

XXX [180]

Diom. 482: satyra dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere conpositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. set olim carmen quod ex variis poematibus constabat satyra vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. — ex Diom. sunt petita quae leguntur scholior. Persii cd. Bernensi 665: satyra dicitur apud Romanos carmen maledicum et ad carpenda hominum vitia compositum, quale scripserunt Lucilius Horatius et Persius. at olim carmen quod e variis poematibus constabat satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius (Emilius cd.). — eadem fere in libris Horatii et Iuvenalis extare testatur Iahnius apud Reifferscheidium Suet. reliq. pg. 371.

XXXI [180]

Diom. 482: iambus est carmen maledicum — cuius praecipui scriptores apud Graecos Archilochus et Hipponax, apud Romanos Lucilius et Catullus et Horatius et Bibaculus.

XXXII [181]

Porph. ad Hor. sat. I, 3, 38 'amatorem quod amicae turpia decipiunt caecum vitia aut etiam ipsa haec delectant veluti Balbinum polypus Hagnae': Luciliana urbanitate usus in transitu amaritudinem adspersit.

XXXIII

Porph. ad Hor. ep. I, 19, 33 'iuvat — ingenuis oculisque legi manibusque teneri': hoc vel ad Archilochum refertur multa obscaena dicentem vel ad Lucilium (Lucillium Mon.), qui aeque multa spurca (ita scripsi; punices purcea Mon., ubi apparet illud punice nihil esse nisi dittographiam eius quod sequitur purce) conposuit.

XXXIV [181]

Acr. ad Hor. Sat. I, 1: satira istius (Horatii) inter Lucilii satiram et Iuvenalis est media. nam et asperitatem habet quam Lucilius et suavitatem quam Iuvenalis mixtam in suo carmine — at sciendum tamen est, quod satirarum carmen a primo omnium auctore Lucilio sit repertum, etiam ipsomet Horatio teste.

XXXV [179]

Euanthius de com. pg. XIII ed. Klotz.: cum poetae licentius abuti stilo et passim laedere ex libidine coepissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame componeret lege lata siluere. et hinc deinde aliud genus fabulae, id est satyra, sumpsit exordium; quae a Satyris, quos iocosos semper ac petulantes deos scimus esse, vocitata est; etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. haec satira igitur eiusmodi fuit, ut in ea quamvis duro et velut agresti ioco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. quod item genus comoediae multis offuit poetis, cum

in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in peius ac deformasse id (om. v.) genus stilo carminis. quod primus Lucilius novo conscripsit modo, ut poesin inde efficeret, id est unius carminis plurimos libros.

XXXVI [180]

Sidonius Apoll. c. 9, 266:
non Lucilius hic Lucretiusquest,
non Turnus, Memor, Ennius, Catullus,
Stella et Septimius Petroniusque.

XXXVII

Lyd. de magistr. I, 41: *Ῥίνθωνα καὶ Ἀσκήραν καὶ Βλέσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητάς, καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν. ἐξ οὗ [πρῶτος] λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτόν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι, σατυρικοὺς οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις, τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν· Ὀράτιος μὲν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρῶν· Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος, παρῆλθεν ἀμαυρόν. Τοῦρνος δὲ καὶ Ἰουβενάλιος καὶ Πετρώνιος αὐτόθεν ταῖς λοιδορίαις ἐπεξελθόντες τὸν σατυρικὸν νόμον παρέτρωσαν.*

XXXVIII

Porphyr. ad Hor. ep. I, 3, 1 'Iuli Flore': hic Florus fuit saturarum scriptor, cuius sunt electae ex Ennio, Lucilio, Varrone saturae.

XXXIX

Varro d. r. r. III, 2, 17: nonne item L. Albucius, homo ut scitis apprime doctus, cuius Luciliano charactere sunt libelli, dicebat in Albano fundum suum pastionibus semper vinci a villa?

XL

ap. Ausonium idyll. III cui titulus 'villula Ausonii' haec antiquitus et ab ipso ut puto Ausonio praefixa leguntur: de erediolo praefatio in prosa. cum de palatio post multos annos honoratissimus quippe iam consul redisset ad patriam, villulam quam puer (v. pater) reliquerat introgressus his versibus lusit Luciliano (ita docti, libri Luciano) stilo.

XLI

Auson. epist. 15, 1 sqq.:

o qui vetustos (v. venustos) uberi facundia
sales opimas, Tetradi;
cavesque, ne sit tristis et dulci carens
amara concinnatiŏ;
qui felle carmen atque melle temperans
torpere Musas non sinis;
pariterque fucas quaeque gustu ignava sunt
et quae sapore tristia;
rudes Camenas qui Suessae praevenis
aevoque cedis, non stilo.

XLII [178]

Suet. de ill. gramm. 2: Crates Mallotes — nostris exemplo fuit ad imitandum, hactenus tamen, ut carmina parum adhuc divolgata vel defunctorum amicorum vel siquorum aliorum probassent diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent —, ut Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus Lucili saturas familiaribus suis (ita Heusdius stud. crit. in Luc. pg. 46, epist. ad C. Fr. Hermannum 15, probante Ritschelio par. praef. XVII, familiaris sui scripti), quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.

XLIII [178]

Suet. de illustr. gramm. 14: huius (Curtii Niciae) de Lucilio libros etiam Santra (Santra v., cdd. satyra vel satura) comprobat.

XLIV

de Valerii Catonis qui maxime insolentias metri videtur mitigasse studiis Lucilianis quod extat testimonium iam supra attulimus.

XLV [inc. 134]

Gell. II, 24, 5: in quo erraverunt quidam commentariorum in Lucilium scribtores, quod putaverunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos aeris statutos.

XLVI

Hieronym. adv. Rufin. IIII, 2, 367 ed. Bened.: puto quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Vergilium, et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucilium (ita M 397 probante Bernhardyo hist. litt. Lat. pg. 513 ed. quartae; Lucretium v.), Flaccum, Persium atque Lucanum.

XLVII

anecdotum Parisin. pg. 137 Sueton. reliq. ed. Reifferscheidianae: notae XXI quae versibus apponi consuerunt — his solis in adnotationibus Ennii Lucilii (ita Bergkius, Lucii Paris.) et scaenicorum (scaenicorum M, historicorum v.) usi sunt Vargunteius (sic Bergkius, Varr$\overset{u}{o}$s cd.), Ennius, Aelius aeque et postremo Probus, qui illas in Virgilio et Horatio et Lucilio (sic Bernhardyus h. l. Lat. pg. 513 ed. IV, Lucretio v.) apposuit ut Homero Aristarchus.

XLVIII. XLIX

Hieronymi iudicia de Lucilio ex Horatii sat. l. pr. IV et X sumpta [t. d. L. pg. 180] afferentur in commentario.

COMMENTARIUS

IN

L U C I L I U M.

L. S.

Commentariis continuis scripta veterum illustrare etsi abhorret a more nostro, tamen facile praevidebam exiguam admodum fore utilitatem recensionis huius, nisi hac saltem occasione placita alioquin abdicarem. nam primum eorum, quae in verbis Lucilii novavimus, aliquando erat ratio reddenda. praeterea mirum in modum integerrima quaeque et apertissima quae non intellegerentur cum viderem coniecturis temptata, saepius necessitas orta est verba eius invertendi per paraphrasim aut alioqui doctorum confutandi fraudes. denique siqua ex lectione Latina vel Graeca memoriae inhaeserant, ubi facere videbantur ad reliquias librorum eiusdem illustrandas adiecimus.

C. Lucili; agnoscunt praenomen Cicero, Apuleius, Hieronymus, denique ut puto auctor librorum ad Herennium; nam vulgo in huius libris ubique audit *Lucilius.* — *Lucilius*, non *Lucillius;* illam enim nominis formam et membranarum et lapidum auctoritate adstrui iam initio commentorum notavit Dousa. quantum ad hos, Lucilii nomen habes inscr. lat. I 408, 721, bis 1430, denique *Lucil.* i. e. *Lucilianus* 1227: in codicibus longe frequentissima forma eadem, non ut sit probandum quod in editione Merceri legitur ubique Lucillius. — idem tamen a Graecis, sed eis aetatis serae, dicitur fere *Λουκίλλιος.* et fuit poeta nominis huius Graecus, cuius habes in anthologia carmina. fuit et Latinus auctor Lucilius Iunior, Senecae philosopho aequalis idemque amicus, cui plerique Aetnam carmen adscripsere. — ceterum nomen Lucili frequenter in libris scriptis grammaticorum per abbreviationem exaratur Lucil vel Lucl, transfixo ut plurimum *l* lineola curva. — idem tam saepe inversum fraude librariorum, vix Laevii ut magis. et omnium quidem frequentissime *Lucius* legitur pro *Lucilio,* sicuti e contrario e. g. *Lucilius Nerva* pro *Lucio Nerva* ap. Porph. ad Hor. Sat. I, 5, 27; ap. Non. 258, 6; 351, 22 *Lucilius Memmius*, *Lucilius Catilina;* ib. 334, 25 in verbis Varronis *Lucili Scipio* pro *Luciu' Sc.* — praeterea confusa cum huius nomina quae sunt *Lucretius*, *Lucillus*, *Lucullus*, *Lucanus*, *Licinius*, *Caecilius*, alia; quorum passim errorum exempla in apparatu critico invenies.

I, 1—3. praefatio. *aetheris* e. q. s. Enni Epicharmum et Euhemerum videtur tangere, quibus secutus Graecorum philosophos naturae rerum causas versibus Latinis exposuit. — *genitabile* h. e. *quod genuit;* ut ap. Lucr. I, 11 *genitabilis aura Favoni.*

2. postquam demonstravit favorem hominum maxime circa libros gravioris argumenti versari, iam ad sua transit, quae dubitat num lectores sint inventura.

credidere plerique totum versum 2 saturae primae Persii ex Lucilio translatum; is autem est talis:

'quis leget haec?' min tu istud ais? nemo hercule. 'nemo?'

sed recte Lachmannus in libello academico vere a. 1848 edito monuit verba scholiastae ut saepe de parte tantum priore versus accipienda. reliqua enim tam anguste scripta esse, ut ab ubertate Lucilii quam maxime differant. — nec maiorem habet probabilitatem quod nonnulli statuerunt ad primum versum Flacci 'o curas hominum! o quantumst in rebus inane' pertinere testimonium commentatoris: is enim et tristior est et magis sapit philosophum quam ut Lucilii esse possit, quamquam fatendum illa, quae proxime sunt addita, adicienda primi versus scholio post verba *laborare videt.*

3. haec num ad primum librum pertineant, non satis certum. sane illud *in primore libro* potest esse in initio totius operis sive priorum quinque et viginti voluminum; sed non minus recte de primis cuiusvis Lucilii librorum versibus intellegetur. — *in primore libro*; solent poetae circa prima maxime carmina esse curiosi; cf. d. r. m. 257. — ceterum traiectiones relativorum nimias in Luc. notavi alibi. — *has Aeli scriptas res ad te misimu', Luci;* sic placuit constitui haec quo et traiectio verborum minus solita efficeretur et gratia pararetur numeris. Lachmannus *has*, *Aeli*, *res ad te scriptas misimu' Luci*, durissima utique caesura. — sed scripsit fortasse Lucilius *has ad te scriptas res Aeli misimu' Luci. Luci — Aeli*, *L. Aelius Stilo Praeconinus*, de quo ita Suetonius: *instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus generque Aelii Ser. Clodius*, *uterque eques Romanus multique ac varii et in doctrina et in re publica usus.* fuit autem et ipse optimatium fautor. de eo plene egit Heusdius cuius sunt studia critic. in Lucil. libello cui titulus disquisitio de L. Aelio Stilone. — ceterum ad hunc etiam Caelius Antipater libros de bello Punico II videtur dedisse.

4—18. apparet aemulatum esse Lucilium, satirica tamen licentia, initium odyssiae. — imitati autem hoc deorum concilium saturis Menippeis Seneca et Martianus. — et exemplo Homeri cuius sane fuit studiosissimus Ennium in annalibus conventum deorum proposuisse sat probabilest, quem tamen minus recte VI volumen tali incohasse statuunt; quod quo firment non habent nisi illud

tum cum corde suo divum pater atque hominum rex
effatur (immo *ecfatur* i. e. *haec fatur*).

quae apparet verba dicta esse ad similitudinem Homerici [od. V, 289]

ὀχϑήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα ϑυμόν.

ceterum quae ad Lupum carpendum pertinerent, quoniam non satis comparebat cuinam potissimum deo essent tribuenda in ultimo collocavimus ordine.

5. iniuriam fieri et Lucilio et Luciano sat apertum. nam nec deos exagitarunt, sed falsas de dis narratiunculas, quae aut poetarum licentia aut superstitione vulgi sive fraude sacerdotum optinuerant, nec homines nisi aut ineptos aut impuros, hos quidem sicut solent viri boni apertis persecuti odiis. quod cum ita sit, iure meo videor mihi contendere et Lucilium et Lucianum meliores longe esse opinione, quam concepit de eis volgus. — ceterum Lucilio homini philosophiae studiis imbuto quam non placuerint vulgares Romanorum de dis existimationes, optime perspicitur praeclaro illo fragmento quod legitur 2 l. XV.

7. Iovem induci loquentem statuere docti, minus bene, cum vix umquam concilia deorum rege absente habita memorentur. ne ea quidem quae leguntur frgm. abhinc secundo sat probabiliter Iovi tribuas, qui ipse sese vix dicturus fuit *patrem optimum divom*. et haec cuius sint vix definias: quae initio ϑεῶν ἀγορᾶς fuere collocata nescio an tribui debeant Minervae propter exemplum Homericum. — *priore* dativus. *olim*, illo tempore. — *factum*, *vellem* satis commode addidit Lachmannus, quamquam plura excidisse probabilest.

8. hunc v. Scaliger priori frgm. praeponendum esse dixit; sed recte monet Franckenius I, 4, id ne statuas prohiberi addito adverbio *forte*, quo non uti possit is qui de re praeterita et prorsus immutabili loquatur, in qua nullae iam sint casus partes. et ipso illo *cum primis* videtur probari subiectum potius quam praegressum hoc frgm. alteri. itaque videtur is qui verba facit consilium superiore conventu captum reprehendere velle et emendare. — ceterum haec manca esse in fine apparet; nihil enim adest, quo priorum temporum reprehensio indicetur.

9. *pater optimu' divom* e. q s.; ita etiam *pater Tiberinus*, *pater Aeneas*, *pater Augustus*. nec vero in eis qui accesserunt dis substitit haec appellatio; sed saepe ad quosvis, qui sui memores alios fecere merendo, transfertur; sicut Epicurum allequitur Lucretius l. III *tu*, *pater*, *es rerum inventor*. — *siet ac dicatur*; ita in fragmento incerti libri *quantum habeas tantum ipse sies tantique habearis*.

10. *nec* non magis hoc loco positum pro *ne quidem* quam ap. Luc. VI [1213, 14]

atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.

Carneaden: auctor is academiae tertiae, de quo plurima Cicero in libris philosophicis; fuit a. 599 cum Critolao peripatetico et Diogene stoico ab Atheniensibus missus Romam; ubi hi sapientiae studium excitaverunt; plane ut grammaticae Crates Mallotes aliquot annis ante legatus et ipse

missus in urbem ab Attalo rege Asiae. illa occasione Lucilio illum notum factum existimem. et discipulus eius Clitomachus ad hunc ipsum dedit librum. — mortuus C. a. a. Ch. 129 vel 128.

11. frequens verbum *pausae* apud veteres Latinos. — ceterum recte rem egisse statuo eos, qui post illud *pausam* de coniectura addidere *facit.* ita enim dixit Ennius in annalibus *pausam facere ore* (alii *fecere*) *fremendi* et Plautus in Poenulo *ego pausam feci*, idem in Rudente *pausam fieri.* — nonnulli sic *haec ubi dicta*, *dedit pausam ore loquendi.* vix tamen credam omissum tali quidem condicione verbum auxiliare a Lucilio, quamquam sine offensione legitur apud Maronem aen. I, 81 *haec ubi dicta*, *cavum conversa cuspide montem impulit in latus.* ib. II, 791 habes *haec ubi dicta dedit;* et contra VI, 76 *finem dedit ore loquendi.*

13. *potissit;* Iuppiter sive Mars ut puto. — *quo populum adque urbem pacto;* ita libro V *quo me habeam pacto.* alioqui non sum nescius illa *quo pacto* velut formulae instar unum aequare verbum; cf. d. r. m. 224.

14. *herpestica* nom. plur. — ceterum conferenda Varronis illa e l. III de vita p. R. *quo facilius animadvertatur per omnes articulos populi hanc mali gangrenam sanguinulentam permeasse.* — *malum*, puto tangi ea vitia pop. Rom., quae origo fuere bellorum civilium.

15. cave credas illud *populus* subiectum esse verbi quod est *coniuret.* — coniurare hoc loco positum ut ap. Cic. pro Sulla 25 *Catilina contra rem publicam coniuravit* et ita saepius. ceterum haec verba ad Lupum spectare videri Dousae adsentior.

16. *infumam egestatem* non bene Lachmannus; nam nec satis concinne iunguntur illa *infumam turpem* et violentius aequo pro *honestam* repositum est *egestatem.* — *infamus* ut *inberbus.* — *infamem quaestum* Baehrensius.

17. *tempestatem hanc*, *hunc rerum statum;* similiter l. XXVII *iam qua tempestate vivo*, *chresin ad me recipio.*

18. Festus 314 *satura et cibi genus ex variis rebus conditum est et lex multis aliis legibus confecta. itaque in sanctione legum adscribitur 'neve per saturam abrogato aut derogato'. T. Annius Luscus in ea quam dixit adversus Ti. Gracchum 'imperium quod plebes per saturam dederat*, *id abrogatum est.'* sed melius puto Diomedis et Festi testimoniis ad explicandum versum Lucilii faciunt quae in editione principe Persii nec minus in cd. Monacensi leguntur de satura [pg. 241 ed. Iahn.], ubi haec sunt: *satyra item dicitur lex apud Romanos lata*, *quae fucatis verbis fallit* (ita Mon.) *audientes*, *ut aliud dicat*, *aliud vero significet.*

19. *in satyrarum I;* reponendum libri numerum sat apparet; quem ubi omittit Donatus, simplici Lucili nomine uti solet. — minus etiam dubium illud, quin Lucilius Hymnidis amicae suae ut ultimis V ita prioribus XX memoriam iniecerit (id enim infra adlato probabitur testimonio) sicut et pueri delicati pariter XXVIIII et VII vol. mentionem.

unde partem certe librorum priorum ordine aetatis intervallo haud ita magno post ultimos V scriptam esse apparet. — *ex facie florem delegeris;* ita saepe *florem aetatis carpere.* — *facies* hic ut alias ap. Lucilium pro *forma.* — Hymnidis etiam in prioribus libris Lucilii mentionem fuisse factam demonstrat versus ab incerto quodam explanatore Donati positus, quem quia ad eandem pertinet puellam statim subiunxi. quippe minime credibile grammaticum tam indoctum adferre quidquam ex l. XXX Lucilii.

20. haec possunt videri dicta de Hymnide. — praecesserat ut puta *haec forma.* — *Ledae;* cf. XVII, 1. — *Ἰξιονίης ἀλόχοιο,* ducta verba ex loco Homerico, il. XIIII, 315 sqq.

οὐ γάρ πώποτέ μ' ὧδε θεᾶς ἔρος οὐδὲ γυναικὸς
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι περιπροχυθεὶς ἐδάμασσεν.
οὐδ' ὁπότ' ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο.

21. *captando* i. e. delenieudo variis artibus.

22. *Lydorum opu' sordidulum omne;* ita l. XXX *lanai opus omne perit. pallor, tiniae omnia caedunt.*

23. *psilae;* glosae Labbaei *auleum ψιλή.* — deceptus ut haud raro corruptis codicibus Isidorus. — *amphitapoe;* sic scribi diu meditato visum mihi optimum. apud Nonium (nam Isidorum non curo) praeter ea quae in apparatu critico attulimus, legitur lib. VI Lucilii *amfitapoe,* sive *amfytape,* Varronis Manio *amfitabo.* et hoc quidem loco quin sit restituendum illud *amphitapo,* etsi nemo vidit, cum non possit dubitari, tutius erit etiam reliquis locis secundae declinationis formas reponere. qui Nonio Lucilioque tribuerint id quod est *amphitapae,* ei excusare poterunt simili metaplasmo dicta illa *parasita, lagoena, diota.* eaque forma usum existimo Vlpianum digest. XXXIIII, 2, 23, 2 *veluti togae tunicae palliola vestimenta stragula amphitapae saga reliquaque similia,* ubi vulgo fertur *amphitapa et.* — *vellis;* infra XXX, 48 *verginis;* ubi plura dicentur de forma illa.

24. describitur homo admodum deformis quem adspicienti mors et reliqua quae memorantur mala eveniant. ita lib. XV de Trebellio: *arcesit febris senium vomitum pus.*

25. sane ut *aetatem* et *faciem, faciem* et *vultum* copulare amat Luc.; ita et l. XXX, 48 *cuius voltu ac facie.*

26. nota res de cinaedis, quorum nomen quod Nonius vulgarem secutus errorem quamquam refragante quantitate primae *ἀπὸ τοῦ κινεῖν* volt repeti, in notae socordiae homine non mirabimur. Plautus in milite [III, 1, 74] *tum ad saltandum non cinaedus malacus aequest atque ego.* — ceterum apparet tangi hoc loco eum, qui minore usu rerum peritissimis se immiscuerit. — et fuit illa fortasse proverbialis dictio.

27. mirum fuisse qui hoc fragmentum l. VIIII quam I mallent ascribi et eo res grammaticas tangi putarent. — idem error infra notabitur in versu illo *servandi Numeri* e. q. s. — *i. c. q. h. q. p. d.;*

quam (litteram r) *canes irr. planius dicit quam homo;* conf. VIIII, 19. — *quam* antepositum in comparatione ut ap. Catull. 57, 8 *non hic quam ille magis vorax adulter;* ap. Sulpic. 7, 8 *ne legat id nemo quam meus ante velim;* cf. et Tib. I, 3, 9, 10. — *quam homo*, d. r. m. 307. — *inritata*, non *irritata;* nam nugatur Nonius.

28. *ad* pro *at*, ut saepe alibi. — *hoc* non satis comparet utrum ad *lustrum* pertineat necne.

30. recte se habere merendi verbi interpretationem, quam profert Nonius, Porphyrionis testimonio quod addidi satis evincitur.

32. ecce stuporem Nonii qui et hoc et sequente Lucilii fragmento ablativum putavit esse qui erat genetivus. — *cerebrum* facile post *primo* potuit excidere. — *cerebrum minui.* Ennius *saxo cere conminuit brum.* — *hoc* ut tam saepe in vetustis Lucilii libris scriberetur pro *huic*, ea causa evenisse existimem, quod antiquitus traditum erat *hoic*, quam agnoscit formam Mar. Vict. 11. — ita vulgato errore plurimis habes locis *quo* pro *quoi.* — *minuei* pro *minuendi;* fuerat antiquitus *minuen*.

33. *elephanteis*, cf. d. r. m. 390. — ceterum *miracla cient* est *mira opera edunt.*

35. *artaenae;* Paul. 21 *arytaenam sive artenam vas ab hauriendo sic appellabant.* — *arustaenae* pro *arutaenae*, ut ἀρυστήρ pro ἀρυτήρ.

36. Festus 330 *proverbium est in eas natum res, quae nullius impedimenti sunt, 'in scirpo nodum quaerere'.* — *Ennius: quaerunt in scirpo, soliti quod dicere, nodum.* — *insanus;* frequens *vulgus* masc. genere script. priscis Latinis; alibi tamen Lucilius adhibuit neutro. — *facessere; tollere, amovere, amoliri*, ut Plaut. Men. II, 1, 24.

37. *cleinopodas lychnosque;* pendet hic accusativus ex eis quae praecesserant ap. Luc. — ceterum his verbis vix dubium quin Ennii sive Pacuvii vel Accii derideatur consuetudo vocabulis Latinis substituendi Graeca, ut grandius quiddam sonet oratio. — et lychnos Ennius dixit in nono *lychnorum lumina bis sex.* — ad illud *cleinopodas* cf. aen. VI, 603—5:

lucent genialibus altis
aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
regifico luxu.

quem locum ex antiquo poeta expressum facilis erit consensio penes harum rerum peritos. et illud *regifice* dixit Ennius in Andromacha. *anti;* etiam Franckenius videtur incidisse in coniecturam eandem, sed statim ut abiceret; nam dicit II, 59 ἀντὶ plane vitiosum fore. qui magnus mihi erit Apollo, si demonstraverit, quid insit vitii in emendatione nostra.

II, 1. quod scripsimus *estque*, et sententia et metro cogente, cave credas audaciorem iusto eam esse mutationem. nam Nonium in lemmatis quae sunt *inpune* et *rapinator* eodem fonte usum esse, docetur

ea re quod utroque loco in Lucilii libro adferendo omittit illud *satyrarum.* — *rapister;* apte confertur Franckenio I, 9 *capistrum.* quod legitur 167 *rapinator*, librariorum, non Nonii culpa evenisse existimo; qui postquam id quod est *rapinator* Varronis exemplo adstruxerat recordatus etiam inusitatum vocabulum *rapister* haberi apud Lucilium id statim non monito lectore subiunxit. ita habes pg. 87 *aquantur* s. v. *copiantur*, 487 *Dardanus* s. *Argus*, similia passim alibi. — talia haud raro interpolando invertere librarii Nonii.

2. *nunc dico* satis probabiliter docti. ceterum commode affert Franckenius Ciceronis pro Cluentio [62, 175] illud *cum vagus et exul erraret atque undique exclusus.*

3. similiter Hor. sat. II, 3, 179 *praeterea ne vos titillet gloria, iure iurando obstringam ambo.*

4. *Nomentani*, cf. II, 5. — *exculpi* pro *exculpsi* (quae ipsa forma invenitur raro) ἀρχαϊκῶς ut *clepi* pro *clepsi.* Pacuvius Hermiona: *sermonem hic nostrum ex occulto clepit, quantum intellego;* cf. Herm. opusc. III, 119; dissentit Madvigius ad Cic. de fin. V 25, 74. sane in Pomponii maccis geminis prioribus illud *erepsti*, non *erepisti*, Nonii et Charisii librorum corruptelis videtur asseri: '*quin bono animo es*'*!* — '*video, erepsti primiter de pannibus*'. ubi ille, qui pariendi verbum perfecto 'parui' ditavit, nihil veniam praefatus scribit cum Vossio 'erepisti', nec intellexit haec per diverbium composita esse, ut alter alteri, qui illum quamquam in re desperata bonum iubet habere animum, exprobret eum non magis sapere quam puerum bimulum. *ecdicam, in publicum proferam*, pro *exdicam*, ut *ecferre ecscreare* sim.; ita habes in senatus consulto de Bacchanalibus *exdeicendum* et *exdeicatis.*

5. *qüi* positum ut VI, 21. Ennius Telepho: *qui illúm di deaeque mágno mactassint malo;* Cicero ad Att. IIII, 7, 1 *qui illi di irati.* videtur autem non reperiri pro utinam, nisi in formulis, quae aut bene aut male alicui imprecentur. — *Nomentane;* videnda quae dicentur infra ad Hor. sat. II, 1, 21. — *malum* generis neutri de homine malefico. ita alibi *lutum.* — *cercera;* quia id cum Santra repeteret L. ἀπὸ τοῦ καρκαίρειν.

6. *iniuriatum* cum synizesi. — glosae Labbaei *iniurio* ὑβρίζω. — ceterum fuit cum scribendum esse existimarem *iure iratum.* — *animamque elisisse illi;* Ov. metam. XII, 508 *vivacemque animam missis elidite silvis;* Apul. metam. VIIII, 38 *crebris ictibus impuram elidit divitis animam.*

7. *Hortensius;* idem puto, qui tangitur inc. lib. frgm. 38. id si ita habet, Postumium illum non Aulum Spuriumve Albinum, ex principibus civitatis, sed plebeiae sortis hominem fuisse existimabimus. — *cubare*, non recte de aegroto cogitat Dousa, cum sermo sit de mortuo eoque supposito.

8. *Moetinus*, qui apud Festum 154 et apud reliquos *Mutinus:* h. e. *Priapus.* — cf. de *Mutuno Tutuno* Salm. exerc. Plinianae pg. 219 et Muellerus quae notavit ad Festum et Paulum 155. — *ut lurcaretur*

lardum; Pomponius Syris *lapatium nullum utebatur, lardum lurcabat lubens.* — *fartim*, mirum placuisse Dousae quod Turnebus invenit *furtim;* nam aperte caret omni sensu. *fartim* adverbium Appuleium, qui eo post Lucilium primus utitur, ut innumera ex priscorum scriptorum monumentis repetisse apparet.

9. *farcto*, cf. Fest. s. v. *strufertarios* 294, Paulus s. v. *strufertarios* et *ferctum* 295 et 85. — *f. omnia sunt circum lata;* Maro aen. VI *idem ter socios pura circumtulit unda.*

11. tanguntur L. Hostilius Mancinus et Manius Manilius, qui bello Punico tertio a. u. c. 606 et 605 cum magno dedecore contra Carthaginienses rem gessere corrigente tamen eorum peccata P. Scipione. — *catax* ad *Hostilium* pertinet. — *permities* sive *permicies* paene ubique scriptum in libris Nonianis. 153, 17 habet L 1 *permitiis, permitiae, permitiis*, et ita per *m* G, sed primo loco ex *m* factum *n*. idem in margine *permities pernicies.* ib. pro lemmate in Bamb., L 2 leg. *permitiis*, in Lugd. 67 *permiciis.* 218, 32 est in L 1, G *permities, permitiemque, permities;* sed enim in G ubique radendo reposita *n*. — contra 486, 27 sine varietate scripturae videtur legi ter *pernici*, semel *perniciei.*

12. Naso l. II artis amatoriae:

sit gracilis, macie quae male viva suast.

— apparet *vix* non pertinere ad illud *monogrammo. monogr.*, lib. opt. *monogramo* traditur, quod dubitavi tamen recipere. — servavi sane ea quae sunt *Apolo, καλιπλόκαμον, καλίσφυρον*, sed haec non sine exemplo Graecorum, illud ut in nomine diu civitatem Romanam adepto. quare iudicium in medium relinquendum.

13. haec obscaene dicta (nam alii de vapulante putant agi) plerisque adsentior. — *natrix* de membro genitali ut graece ἔχις ὄφις; cf. et Priap. 82, 33. — ceterum id vocabulum prima aut saltim secunda longa efferendum asserunt lexica et repetendum a nando; quae erroris hic convincit versus. — *capitatum*, cf. Priap. 82, 5. 32. 37.

14. Aemilius ille quis fuerit, plane incertum.

15. *bulga* pro alvo mulieris ut lib. XXVI *ita uti quisque nostrum e bulgast matris in lucem editus.* ceterum ut 187 *vulgam*, ita 78 *bulgam* tuetur Nonius: nec enim socordiam eius mirabimur.

16. etiam hoc loco vehementer veremur ne nugetur Nonius: certe Afranii verba quae praecedunt longe aliter explicanda ac visum isti. ea ita scribenda censeo

servos ést mihi Nicásio;
scelerátus, curiósus; is cum filio
coiécerat nescíoquid de ratiúncula.

libri habent *ei coicere ad* (B *aut*); fuerat antiquitus *coicerad* (with *e* written above). neque enim aut perfectum *coici* mihi innotuit (nam Ribbeckius dedit illud *coicerat*) aut ditrochaeum aequans *nescioquid.* — ibi apparet *coicere*

dictum pro *conferre* vel *agere;* ut apud Afranium *causam coicere ad te volo.* — ap. Lucilium *coicere* idem esse existimo quod proicere.

17. *thoracia;* cf. Iuv. 5, 143 *thoraca*, ubi recte scholiasta *armilausiam prasinam.*

18. similiter dixit Ennius inc. c. frg. 10 *neque ut aiunt mu facere audent;* cf. et 8. alterum proverbium aeque dactylicum *mut non facere audet* testatur Appuleius apud Char. 214. — in scholiis Persianis ad 1, 119 haec leguntur tradita libro Monacensi: *proverbialiter dicitur dicimus* (v. *proverbialiter dicimus*) *muttum nullum id est nullum emiseris verbum;* ubi apparet scribendum: *mut tu nullum!*

19. *sole occaso*, ita antiquissimi pariter ac recentissimi scriptores haud raro; cf. Prisc. 869; d. r. m. 349. — de caesura huius v. videnda quae diximus ib. 369.

20. *fandam atque auditam*, ὕστερον πρότερον ut Lucr. V, 4 *qui talia nobis pectore parta suo quaesitaque praemia liquit.* — ceterum aperte Pacuvii versum ita est scribendus:

nilne a Troia adportat fandi?

etenim patiendi vim, non agendi h. l. habere verbum diserte testantur scholia.

21. nihil in his versibus inest quod indignum sit Lucilio; et usum esse Barthium hic illic libris scriptis qui post eum iam non comparuerunt sat constat. tamen cum alias haud raro homo teneatur fraudis manifestus, nos frgm. solo Barthio teste nisum uncis cludendum existimavimus. ea si sunt Barthii, ex ipso Horatii loco, qui totus conferendus est, finxisse dicendus est. — ceterum illud *tesqua* aliter explicat Acro ad Hor. l. m., cuius sunt haec: loca deserta et difficilia lingua Sabinorum sic dicuntur. inde et (vulgo *id est deserta et*) completa sentibus sic nominarunt. Porphyrio dicit loca aspera atque silvestria. proxime ad ea quae prompsit Barthius accedit commentator Cruquii: 'loca aditu difficilia et inculta ling. Sab. sic nominantur; unde quaevis loca deserta, invia et completa sentibus eo nomine vocantur.'

III, 1—45. iter Siculum. de hoc itinere egere Vargesius libello Sedini a. 1836 emisso quo Lucili fragmenta l. III disposita studuit explicare; Franckenius I, pgg. 10—18. — susceptum probabiliter statues ante a. u. c. 622 quoniam et maritimum fuit ut plurimum — quamquam Lucilium non magis quam Catonem et plerosque Romanorum talis appetentem fuisse credibile est — nec mentio viae Popillianae illo anno factae reperitur ubi expectes h. e. ubi spatium itineris futuri demonstratur. — ceterum quod dicit Porphyrio ad fretum Siculum non amplius pertinuisse iter, frgm. II refellitur. non solum sed cum amico iter illud fecisse Lucilium nec nisi animi relaxandi causa sat constat. sane plurima huius libri fragmenta ad argumentum quod dixi referri licet perfacili opera, ut tamen de ordine eorum minus res sit certa. itaque sic ea digessimus, ut primum quaecumque ad loca certa itineris

Luciliani referri posse viderentur deinceps poneremus, mox reliqua quae ad casus terrestres sive maritimos eiusdem spectarent.

2. verba sive Lucilii ad amicum sive huius ad illum quibus alter alterum ad societatem itineris invitat. — *freta Messanae — Regina moenia; tum Liparas, Phacelinae templa Dianae.* frequens asyndetis Lucilius, sicut omnes poetae prisci Latini. ea quia cultiore sermone multo minus optinuere passim addita copula deformavere librarii, ut in Ennii versu *regnúmque nostrum ut sóspitent supérstitent* qui leguntur 170, 13 et 176, 3 cdd. constanter tuentur illud *superstitentque.*

Regina; recte omissus spiritus in cod. Vat.; nam et in inscriptionibus *Regium* audit oppidum, non *Rhegium*; dixere de hac re Nipperdeius ad Tac. ann. I, 54, Fleckeisenus in libello de emendanda ratione orthographiae Latinae pg. 26; cf. et corp. inscr. Lat. I, 551. igitur non mirabimur quod Ovidius gignendi casu dixit *Regi*, non ut Lachmanno comm. Lucr. pg. 327 visum *Rhegi.* — de Diana Phacelitide videnda quae dixere Servius ad aen. II, 116 et Schneidewinus in libello de Diana Phacelitide et Oreste apud Reginos et Siculos, qui editus est Gottingae 1832.

3. item haec aut Lucilii aut amici eius quibus alter alterum cohortatur ad spatium itineris emetiendum ante ac definiendum.

viamque degrumabis, uti castris mensor facit olim; nota Lucilium frequentissimum fuisse comparationibus; quibus multum vigoris orationi eius accessit. — *ut — olim;* ita Plautus initio militis *curate ut splendor meo sit clupeo clarior, quam solis radii esse olim quom sudumst solent* et Hor. sat. prima *ut pueris olim dant crustula blandi doctores*; cf. et Lucr. VI, 148. — sic alibi *quondam.* — ceterum tam saepe usus est Lucilius loquendi formula illa, paene ut suspicer necessitate metrica, quo dactylum quinto pedi conpararet, adeo eam placuisse.

4. aperte oratio eius qui viam degrumare iussus est. — *bis quina octogena milia;* a Roma ad Capuam. convenit autem huic computationi perbene cum Cluverii, qui Roma per Ostiam et Antium Tarracinamque et Fornias Capuam profectis iter esse CLXXIIII milium docet pgg. 870, 986, 1080 Italiae antiquae. quod contra in itinerario Hiererolymitano pg. 612 ed. Wess. CXXXVI numerantur, in Antoniniano pg. 108 sq. CXXXIII; sed ut sequaris totam Appiam. *Capua*, ad fretum Siculum. — *quinquaginta atque ducenta;* ita codices; sed perperam. nam in miliario Popilliano, quod constat a consule P. Popillio a. 622 positum, viae recens factae a Capua ad Regium *CCCXXI* esse milia perhibentur; neque intellegas qui potuerit breviore multo spatio iter terrestre confici. immo longiore viam fecisse videtur Lucilius, cui sane nulla erat causa cur festinaret. nam plerumque eum oras maris Tyrrheni legisse apparet ex fragmentis. — *tunc;* Lucilius scribebat pronuntiabatve *tun;* videnda quae dicentur ad XVII, 1.

5. si recte habet quod posui in verbis Lucilii, cum Bovillano nescioquo videtur rem habuisse in itinere Lucilius. et erant Bovillae

ad viam Appiam sitae, qua plurimum usum Lucilium Capuam usque sat constat. fortasse Bovillani ut Praenestini et Lanuini etiam fuere irrisui hominibus urbanis. — *broncus; bocchum* pro *brocchum* scriptum legitur Fest. 375 in fragmento Plauti. glosae Labbaei *brochus*, ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ᾠδηκώς, ubi rectius quam a Nonio explicatur, quid sit *broncus*. nam hic quam profert explicationem, ea et Lucilii verbis et Plauti quae videre est apud Festum refellitur. — *Bovillanus;* in re incerta eos sequendos duxi, quorum commenta quam proxime accederent ad scripturam librorum. quid igitur minore intervallo abest ab illo *novit lanus* quam *uouillanus?* ita apud Prop. V, 1, 33 legitur *violae* pro *Bovillae*. nec tamen displicet prorsus quod Iunius proposuit *ovat lanius* sive quod Dousa *obit l.* h. e. *accedit*. — *Aethiopus*, cf. d. r. m. 390.

6. eiusdem sane fuit hominis *lābosum* repetere ab eo quod est lăbos (qui hodieque lexicorum pleraque omnia tenet error), cuius fuit *mērere* confundere et *mĕrere* [344, 19], vel *devoro* pro *devovero* positum ducere a *devŏrando* [98, 11] et *vafrum* dictum quasi *valde Afrum* [19, 30]. — apparet *labosum* venire a *lābe*.

7. *susque deque* i. e. *non tanti;* Plaut. Amph. III, 2, 5 *atque id me susque deque esse habiturum putat;* cf. de hac dictione praeter Gell. Fest. 290; Ritsch. op. II, 272. — *fuerunt* — *fuere*, cf. d. r. m. 398. — *Setinum* accusativus potius quam qui Gronovio visus est genetivus. — *Setia* in montium iugo sita prope Pomptinas paludes. *αἰγίλιποι* non *αἰγίλιπες* cdd. omnes adstruunt; unde mutare non sum ausus, sicut ne Hertzius quidem; quamquam fatendum apud Graecos scriptores illius formae exemplum non iam extare. — *Athones; Athonem* teste Prisciano pg. 710 dixit Cic. d. r. p. l. III. — *Athon* accusativo correpta o Vergilium aut certe Valerium dixisse sat constat; cf. d. r. m. 308.

8. *pascali pecore*, ita Cato dixit *pascales oves;* extrita ut saepe *u;* sicut habes *fastosus*, *flexosus* [Porph. Opt. praef. c. XV, 2] *quattor*. Ita *fluctatim* apud Afranium.

tene tu! in medio nemost; magnifice volo
fluctatim ire ad illum. accipito hoc. tege tu et sustine.

ubi vulgo male *accipite hoc*.

9. *passum;* ita et XV, 5; cf. d. r. m. 256.

11. *Dicarchitum* h. e. *Dicarchitarum*. breviore forma omnes poetae Latini sunt usi, Petronius, Statius, Silius, Sidonius; neque enim ausim tribuere Lucilio tale *in Dicaĕarchitum p.* — *populos*, ob frequentiam emporii usus est plurali. — *populos*, propter colluviem, quae ibi erat nationum.

12. Ovidius metam. XV, 709 *inde legit Capreas promonturiumque Minervae*. — *promuntŭrium* an *promontōrium* (sive *promuntōrium*) sit dicendum nondum satis constat inter doctos. illud Fleckeisenus libelli orthogr. 25 qui a prominendo dictum asserit et

tugŭrium confert, alterum probat Corssenus de pronunt. serm. lat. II 178, qui dicit *promunturium* formam argentea demum litterarum Latinarum aetate provenisse. sane Fleckeiseni sententiam tuetur Pacuvii versus quem adfert Gellius IV, 17:

> Idae (sic Vossius, *id* codd.) promunturium, cuius lingua in altum proicit.

ubi promunturium brevi antepaenultima efferendum arcana clamat ratio musica. aliter visum Ribbeckio, apud quem praeterea proxime praecedit tetrameter trochaicus talis (nam illic om. voc. primo effecit trimetrum):

> mater est terra, ea parit corpus, animam aether adiugat.

fortasse tamen voluit i per synizesin efferri, ut alibi idem

> postea noli rogare, quom impetrare nolueris;

ubi scribendum existimo *impetrare quod* (codd. *q. i.*) *nevis*. saepius Seneca peccat in adferendis antiquissimorum (quorum artem nesciebat pariter et contemnebat) versibus, ut de benef. II 5, 2 ubi scribendum puto

> _ ⏑ _ ⏑ _ ⏑ _ ⏑ quid tu? non intellegis
> tantum gratiae te demere, adicis quantum morae?

vulgo *q. m. a.*

13. *ad portum* — *a porta;* quaenam loca hic significentur incertum.

15. *media nox;* ita in legg. XII tabularum *si nox furtum faxsit, si im occisit, iure caesus esto;* Ennius *si luci, si nox, si mox, si iam data sit frux.* audacius tamen utroque exemplo id quod legitur ap. Luc.

16. Paulus 35 *bilingues Bruttates* (ita Mon.) Ennius dixit, quod Bruttii et Osce et Graece loqui soliti sint; Ennio igitur subripuit haec verba L. cet. cf. Muelleri de Etrusc. tom. I p. 24.

17. *caupona Syra*; Vergilius *copa Syrisca caput Graia redimita mitella.* — *hic*, in deserta aliqua et inhospitali parte Italiae, ut puto Bruttii.

18—20. haec continuis olim versibus fuisse posita sane quam probabilest.

20. *mel*, *deliciae*, *cuppediae.* — *rutai caulis;* asyndeton hic elegantissimum; videnda etiam quae dixi ad III, 2.

21. hoc fragmentum ad eruptionem montis Aetnae pertinere putat Franckenius I 14. — versus non ad finem sententiae perductos dicit Lachm. in notis ad Lucr. II, 194: non enim in formula *quod genus* posse praeteriri verbum nisi ubi mente suppleatur ex superioribus. obloquitur bene Madv. praef. gr. lat. ed. III pg. VIIII; cf. Cic. de inv. II, 172. 157. — *stridenti*, adfert Franckenius pg. 15 Lucr. V, 664 *orienti lumine* ib. 887 *fugienti vita.* ita I, 282 *flumine abundanti.* — ceterum scintillas pro solita socordia interpretatur Nonius; bene Servius ad

aen. VIII, 420, 1 *striduntque cavernis stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat* dicit stricturas esse terram ferri in massam coactam. videnda etiam quae profert idem ad X, 174. quamquam sera aetas ut Rut. Nam. I, 353 quod Nonii interpretationem secuta est, quid mirum?

22. *cantheri* pro *cantherii* ut in vocabulo pridem recepto et tamquam Latina moneta percusso, mutata etiam consona. — *cantheri;* traditum antiquitus *canthari*, idque fortasse verius, sicut in illis *machina*, *plaga, Latona.* fatendum tamen alias ubique et adeo ap. ipsum Lucilium l. XV reperiri *cantherium.*

23. *Apuliden* Lchm. comm. Lucr. 37, minus recte; certe alibi apud Lucilium habetur *Scipiadas*, non *Scipiades.*

26. ut marinis etiam terrestribus tempestatibus vexatus esse videtur Luc. per itineris Siculi occasionem.

27. vehementi in itinere maritimo tempestate conflictatum esse Lucilium recte statuit Vargesius. — *tertio;* quod fuere qui dicerent solitos in cdd. Nonianis numeros notis exprimi non litteris, eos fefellit sententia. — *tertius, fluctus;* τρικυμία.

28. hoc exemplo docemur nullum tam improbum esse sterquilinium, in quo non mica aliqua lateat auri. novum quippe hoc fragmentum ex scholiis Lucani Bernensibus Lucilii reliquiis accessit. quo maiore laude dignum putabimus H. Vsenerum, professorem Bonnensem eundemque virum doctissimum, cui et otium suppetiit et animus tam diu in his sordibus immorandi, donec penitus eas excuteret. nam pleraque sane omnia quae insunt in farragine ista viliora sunt alga. — quod cum ita habeat, non nimis irascemur, quod confuso Vsenerus, quo saepe solet, genere disputandi usus de hoc fragmento non rectius iudicavit quam de aliis plerisque quae sunt in scholiis istis. — *decumanis fluctibus;* cf. Paul. 4 *Albesia scuta dicebantur*, *quibus Albenses*, *qui sunt Marsi generis*, *usi sunt. haec eadem decumana vocabantur*, *quod essent amplissima*, *ut decumani fluctus.* conf. etiam quae leguntur ap. Ov. met. XI, 539, 40; trist. I, 2, 49, 59. eam Graeci vocant τρικυμίαν. — praeterea ap. Luc. inveniuntur *acupenser decimanus* et *decimanum oleum.*

31. illud *anquina* recte reposuere critici, secuti Isidori Orig. lib. XVIIII [4, 7] testimonium *anquina funis*, *quo ad malum antenna constringitur. de qua Cinna 'atque anquina regat stabilem fortissima cursum.'*

32. *catapeiraten;* καταπειρατῆρα dicunt Graeci, quorum nunc extant libri; ac tamen illa forma neque ratione neque probabilitate destituitur. — *eodem* cum synizesi; cf. d. r. m. 273. — *unctum*, adipe vel sebo, quo arena in imo mari sita adhaeresceret. — *mataxam;* ita scripsi potiorem librorum secutus auctoritatem. ceterum etiam *metaxa* quin recte habeat non dubitatur. glosae Stephani 137 *mataxa* σιρά (leg. σειρά); eaedem 330 *mataxa* ἡνία. — Isidorus XVIIII, 29, 6 *ma-*

taxa quasi metaxa a circuitu scilicet filorum. nam meta circuitus. ita Graeci *μάταξαν* vel *μέταξαν*. — ceterum Accianae Chrysippi versus qui leguntur ap. Fest. l. m. sic scribendi sunt:

neque quisquam a telis vacuus, sed uti quae obviam
fuerant, ferrum alieis, alieis saxei rudus est.

cd. *uti cuique — ferrum alius saxio rudem.* omissum priore versu verbum substantivum oratione graviter concitata. — *saxei* pro *saxeo* ut alibi *affectei* pro *affectio* in eiusdem Accii versu qui est ap. Non. 132, 12. — *rudus est* pro *rudem.* fuerat antiquitus *rud'ē.*

34. *curando corpore;* dativus.

35. *scindunt* e. q. s.; fortasse ad dapes praeparandas. — *hi*, servi.

36. *uto* pro *utor* vetustissimos dixisse et Prisciani [799] testimonio et aliunde notum. ita XXVI, 19 *fungo.*

38. *oenophoris*; hoc voc. et Horatius usus [s. I, 6, 109] et Persius [5, 140] et Iuvenalis [6, 426; 7, 11]. — quod de genere neutro fundi vocabuli profert Consentius nugae merae.

39. apparet agi de homine crapuloso.

40. *Sicyonia;* cf. Hesych. s. v. *Σικυώνια*; Cic. de or. I, 54, 231. *honesta* i. e. *pulchra* ut Lucr. IIII, 1125 *argentum et pulcra in pedibus Sicyonia rident.* ita saepe scriptores Latini; et quod Graecis philosophis *τὸ καλόν*, id Romanis honestum esse constat.

41. sententiam horum verborum apte explicat Dousa ex eo quod legitur ap. Hor. sat. I, 5:

tum inmundo somnia visu
nocturnam vestem maculant ventremque supinum.

ad l. III rettulit Franckenius: quod si recte habet, haud absurde videbitur iunctum frgm. praecedenti.

43. glosae Labbaei *cernuus ἔωρος* (leg. *αἴωρος*), eaedem *cernulus πεταυριστής*. — ceterum huius versus ridicula interpretione videtur evenisse, quod Paulus pg. 57 dicit cernuum calciamenti genus nec minus Isidorus XVIIII, 34 esse soccum sine solo.

44. *aristophorum vas;* ita supra *vertitur oenophoris fundus, sententia nobis.*

45. semet ipsum, cum rem nescioquam expetitam cupidissime nancisci non liceret, videtur Tantalo comparasse L.

46. haec verba quomodo scripta essent in libro Monacensi docuit nos Guilelmus Meyerus. — ceterum vix dubium est non Accii modo sed etiam Ennii mentionem in libris III et VIIII et X fuisse, ut appareat aut fontibus suis male usum esse Porphyrionem aut ultima eius verba loco iam legi alieno. quae si recte et constituisse videbimur et intellexisse, certum fit tertium maxime librum carpendis poetis fuisse destinatum, non quod vulgo putant nonum. rarius autem ad Homerum ut Graecum poetam carpendum, etsi ne huic quidem pepercit, deflexit Lucilius; quod si aliter haberet, et ipsum hoc loco ei exprobraturus fuit Horatius.

49. in comparatione quadam haec fuisse posita ipso illo *olim*, quo ad taedium usque in re simili utitur Lucilius, satis declaratur. reliqua incerta.

50. apparet hoc loco irrideri a Lucilio inimicum quendam, quem non qua reliquos mortales sed aliena prorsus via in lucem editum esse fingit. ita Sulpicia de Domitiano v. 36 *non trabe sed tergo prolapsus*, ubi *trabe* est *muttone*, ut in priapeis. similiter etiam Heinius in carmine cui inscriptum 'der Exnachtwaechter':

wie es heisst, ist er gekommen
auf die Welt gar wundersam,
hat den Afterweg genommen,
zu der Mutter Schreck und Scham.

51. *depostus;* Cic. in Verr. I, 2, 5 *itaque mihi videor*, *iudices*, *magnam et maxime aegram et prope depositam reipublicae partem suscepisse;* ubi scholiasta Gronovianus *depositam*, *in ultimo positam*, *desperatam*, *ut recreari non possit.* ceterum videndus Non. s. v. *deponere.*

52. in Afranii fragmento quod praecedit legendum esse *partiret* pro *partisset* ipsum lemma Nonii docere potuit doctos; et firmat liber cum L 2 Bambergensis, in quo est illud *partiset.*

53. Appuleius in fine apologiae: *si philosophiae honorem*, *qui mihi salute mea antiquior est*, *nusquam minui*, *immo contra ubique si cum septem pinnis* (ita recte docti; cd. Flor. *septum penitus*) *eum tenui.*

54. excidisse ipsa verba Luc. sicut visum Keilio cum per se fit probabile (non enim sat comparet quo modo adhibuerit Lucilius illud *utpote*) tum considerata secundi libri Charisii condicione.

55. hunc v. constanter Lucilii tertio tribuerunt docti, sed frustra: etenim casu factum, quod legitur Lucretii tertio [515] illud:

commutare animum quodcumque adoritur et infit,

cras credo, hodie nihil, qui sciam neque frequentius esse quidquam permutatis interse Lucilii et Lucretii nominibus et Priscianum sive sua sive eorum quos secutus est culpa haud raro satis licenter immutata proferre auctorum exempla.

IIII, 1. ad hoc libri IIII argumentum bene revocavit Dousa pater nonnulla sine nota voluminis prodita, quae infra sunt posita, sed praeterea quaedam minime apta quae exclusimus. — ceterum vix est quod moneam scholio Persii quod quidem nescio quo casu alienum in locum est delatum (nam debebat poni ante illa *nempe hoc assidue*) minime effici totam satiram istam ad Lucili IIII exemplar esse compositam, a quo tantum differre quantum interest inter Persium et Lucilium facile agnoscent periti.

2. *lapathus;* herba, qua homines simplices contenti esse solent. Varro ap. Non. 550 s. v. lapathium et ptisana

voluptatem hanc eandem
tacitulus taxem consequi lapathio et ptisana possum.

cf. et Hor. ep. 2, 57. — *iactare; laudaris*, ab eis qui sunt homines frugi vel esse se simulant. — *Laelius*, *C.*, amicus Africani minoris, cons. a. u. 614. dixere de eo Orellius on. Tull. 332, Momsenus hist. Rom. II, 85. — σοφός; ita versus necessitate Lucilius; nam Latino vocabulo Sapiens dicebatur, cuius cognomenti causam declarat Momsenus hist. Rom. II, 85. ante eum P. Sempronius Appii Caeci aequalis propter peritiam iuris divini humanique dictus Sophus. multa de C. Laelii sapientia Cicero; cf. et Hor. sat. II, 1, 72. — *gumias*, ἀπὸ τοῦ γέμειν; XXX, 39 legitur in cdd. *gemiae*, ubi nos *gomiae;* cet. cf. Paul. 112 s. v. *ingluvies.*

3. P. Gallonius lurco famosus temporum Gracchanorum. de eo Horatius memor Lucilii haec habet sat. II, 2, 46 *haud ita pridem Galloni praeconis erat acipensere mensa infamis;* cf. de eod. Cic. de fin. II, 28, 90; pro Quint. 30, 94. *cum — cum;* lib. VIII *cum latu' conponit lateri et cum pectore pectus;* l. XXVII *cum pacem peto*, *cum placo*, *cum adeo et cum appello meam.* — *acupenser;* alibi *aquipenser vel acipenser.* illa forma ipsi Ciceroni infra paragr. 25 restituenda, ubi libri potissimi *accubans aere* vel *accumbans ere* pro *acupenserei;* nec minus 91 *acupenserem* scrib. pro *accupem se rem* sive *accupenserem.* ita *acupedium* habes apud Paulum 9 nec minus in glosis Labbaei 191; *aquipedium* ib. 200.

5. *saperdae;* hunc piscem ut peregrinum Lucilii et Varronis aetate fuisse in honore apparet cum hoc loco tum eo qui legitur ap. Non. 176, 21; sed postea abiit in contemptum. eadem fata acipenseris.

6. 7. aut excidisse statuendum Lucilii quaedam post versum *quod sumptum* e. q. s. cum exemplo dativi *anu* aut reponendum sicut supra factum illud *verbis* pro *versibus.*

8. *bene cocto* e. q. s.; h. e. utebatur cibo bene cocto et quem sermo bonus condiret et quidem cum voluptate. — illa *condito sermone bono* secus interpretatus est Cicero.

9. *Fanni* e. q. s.; ea lata a Fannio cons. a. u. 593. — de ea Gellius II, 24, 3:

Sed post id senatus consultum *lex Fannia* lata est, quae ludis Romanis, item ludis plebeis et Saturnalibus et aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos aeris insumi concessit decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris autem diebus omnibus denos. — idem post Lucilii verba subicit haec:

In quo erraverunt *quidam commentariorum in Lucilium scribtores*, quod putaverunt *Fannia lege* perpetuos in omne dierum genus centenos aeris statutos. centum enim aeris Fannius constituit, sicuti supra dixi, festis quibusdam diebus eosque ipsos dies nominavit, aliorum autem dierum omnium in singulos dies sumptum inclusit intra aeris alias tricenos, alias denos. cf. de eadem Macr. III, 17, 4, 5. — hanc secuta est a. 611 Didia, post Licinia.

10. de hac lege Gellius II, 24, 7:

Lex deinde *Licinia* rogata est, quae cum certis diebus, sicut *Fannia*, centenos aeris inpendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit ceterisque diebus statuit aeris tricenos; cum et carnis autem et salsamenti certa pondera in singulos dies constituisset, quidquid esset tamen e terra, vita, arbore, promisce atque indefinite largita est; cf. etiam Macrob. sat. III, 17, 9. — eam legem, quae non ita multum ante mortem Lucilii videtur esse lata, cum Laevius memoret notis versibus

lex Licinia introducitur,
lux liquida haedo redditur:

falluntur insignem in modum qui eum aequalem Licinii illius fuisse statuunt. nempe fecit mentionem sive quod omnino doctrinae iactandae esset cupidior seu potius quia leges post illam latae Cornelia et Aemilia longe minore erant quam illa severitate.

11. nobilissimum illud par gladiatorum, quae erat popularitas Lucilii librorum, paene in proverbium videtur abisse. — *Flaccorum munere*, ut infra *a Metelli munere;* est autem ablativus absolutus. — *cum Pacideiano componitur;* frequens asyndetis et aliquando sat duris Lucilius. — *Pacideianus;* haec est vera forma nominis, non *Placideianus*, *Pacidianus;* atque ita etiam ap. Hor. sat. II, 7, 97 ubi memor fuit illius hominis scribi oportuit. — de eventu pugnae Franckenius pg. 23 ex Ciceronis ad Q. fr. ep. III, 4 concludit auriculam mordicus ablatam Pacideiano ab Aesernino; quem ipsum ab adversario occisum videtur ostendi illis *occidam illum equidem* e. q. s. — *v. illa d. l.*, haec etiam a Max. Vict. citantur l. quem attuli pg. 161; ubi videnda annot. nostra.

12. *Lucilius IIII.* recte si mutavimus quod legitur apud Servium apparet firmari quod non cognito illius loco fragmentum hoc Dousa libro quarto adscripsit. minima certe differentia inter UII et IIII. ita apud Non. 290, 11 habet L 1 *Verg. aen. lib. IIIII* (*VIII* supra scr.)*;* ib. 489, 15 Bamb., L 2 *lib. VI* pro *lib. III.* — *si id q.*, ita XXVIII, 1 *si id maluerit.* — *credo fore;* cf. d. r. m. 236. — *furi*, ita perbene mutatione paene nulla Tischerus. notum saepe hoc vocabulum in conviciis adhibitum a comicis.

15. supplendum ut puta *praesto sit* vel simile.

16. *soldum*, Hor. sat. I, 2, 113 *inane abscindere soldo.*

17. sententia horum versuum subobscura propter nimiam Nonii brevitatem. — ceterum quod dixi m. Rh. XXIIII, 244 Laberii fragmentum quod ap. Nonium leg. 119, 27 ita scribendum *genus* [generis] *nostri parens*, postea intellexi firmari Leidensi priore cuius legitur in lemmate ipso a pr. m. *genus generis.*

18. *grege concita*, h. e. ut Maronis verbis utar *ubi frigidus annus trans pontum fugat et terris inmittit apricis.*

20. videntur apud Nonium excidisse verba scriptoris quibus sebi

vocabulum sensu quo dicit ille positum adsereretur. — his versibus tragici nescio cuius irrideri et dictionum abundantiam et rerum foeditatem, Canidiae aut Thyestis mensas referentem monui libri nostri pg. 383. — *Eumenidum* pro *Eumenidibus;* ita *manu* pro *manibus* recte restituit Roeperus in trochaeis Varronis elegantissimis qui leguntur 483 s. v. mansuetem et mansuem pro mansuetum:

non vidisti tu leonis simulacrum Idai loco,
ubi eum quondam subito cum vidissent Galli quadrupedem
tympanis adeo fecerunt mansuem, ut tractarent manu.

Eumenidum sanctissima Erinys; abundantia orationis, ut l. XXX *legibus exlex* et XXVI *speculo despeculassere.*

22. iam ut spero emendationem loci a plerisque, et ab ipso Lachmanno [comm. Lucr. 248] frustra temptati, mutatione vix ulla facta perfecimus. — demonstrat Lucilius manifesto, quales in concubitu gerere se debeant meretrices, de qua re multis Ovidius in fine artis amatoriae. dicit igitur puellas eas, quae cum non ipsae sentiant gaudia Veneris opus motu adiuvare non possint, certe debere habitu corporis placere. — *quodsin:* ita l. XXIX *quidsin dare vellent.* Pacuvius Duloreste *át si tanta* (cdd. *ut si ita*) *súnt promerita véstra*, *aequiperare* (*equiperare* L 1) *út queam véreor*, *sin umquám fatiscar fácere quod quibó boni;* ubi membranae 479 *si numquam*, 307 *nisi numquam* (*nunc quam* L 1), hoc quidem ex aperta interpolatione; cet. cf. d. r. m. 398. *tanta* pro *ta* (nam *i* ex praecedente vocabulo adhaesit) ut in versu Accii 227, 30 *ubi núnc terricula tánta sunt? — lactanti in sumine;* Cat. 64, 65 *non tereti strophio lactantis vincta papillas.*

23. agitur de homine qui amicum praecedentem ex improviso adsecutus blanditiis paene enecat. — *conmanducatur comestque*; ita Martialis VIIII, 59, 3 *inspexit molles pueros oculisque comedit.* ita et nos *jemand aus liebe aufessen.* — retinet illud *amplexa* Franckenius pg. 24, qui non de muliere sed de monstro quodam velut Larva aut Mania aut Manduca haec intellegenda esse sibi persuasit et fortasse a matre ad terrendum puerum narrata.

25. illud *edit* praeteriti esse apparet. agitur de homine luxurioso, simili illo Nomentani nepotis eodemque parasito, qui postquam sua bona comedit, alienas opes spectat. infra l. XXVIIII *paulisper comedent iam haec sese ut polypus ipsa.* — Cicero de consulatu suo

quorum luxuries fortunam ac censa peredit.

ita enim scribendum puto; nam vulgo minus recte *fortunata censa.* — fortasse etiam 25. 26 ad luxuriam aequalium castigandam pertinere statui poterit.

26. *munere* dativus. *prae se portant;* Pacuvius armorum iudicio: *tum prae se portant ascendibilem semitam.* —

V, 1. *macte — virtute — esto;* Hor. sat. I, 2: *macte virtute esto inquit sententia dia Catonis.* — ceterum quod refert Servius ad

aen. VIIII, 638 veteres ad illud *macte* addere solitos *esto*, non caret res exceptionibus. nam et Cicero dixit [Tusc. lib. I, 17, 40; ad Att. XII, 6, 3] *macte virtute* nec minus Accius Neoptolemo *macte his armis*, *macte virtutei patris*. ita quippe scribendum; codices habent *virtutem* sive *virtuti*.

2. apparet dativos esse illa *loco*, *regione*, *cordi*. — dicit Lucilius se valetudine impediri ne amicum aliter quam per epistulam salutet.

3. *sentes* videntur dictae *curae*, ut ap. Hor. ep. I, 14, 4 *spinas animone ego fortius an tu evellas agro;* non enim crediderim haec verba accipienda de apro sive echino a venatoribus vexato.

4. statuit Iunius hoc fragmentum idem esse cum proxime praegresso, ibi ut sit reponendum *fundus* pro *pectus*. facilius hercule adducor ut credam, Donatum lapsum memoria; sed nihil impedit quin existimemus huius pariter atque Gellii Noniique recte habere testimonium. eadem et Dousae opinio. — *stat sentibu' fundus;* ita dixit Titinius:

> adque (sive *adquei*) illud ante partum comedet, fundi stabunt sentibus;

et in simili sententia Caecilius:

> hic amét, fame famíliae pereant, áger autem stet séntibus?

5. *merore metuque;* Lucretius VI, 1183 *perturbata animi mens in merore metuque.*

6. hoc fragmentum sane elegantissimum quibus monstris foedarint homines docti neglectis pariter librorum auctoritate et ratione sermonis Latini sensuque communi dicere non attinet. — *Eisocratiumst;* ita scripserit Lucilius suorum hominum an Graecorum secutus morem, non satis constat. nam etiam *Εἰσοκράτης* reperitur; cf. Bastii notae ed. Gregorii Corinthii a Schaefero curatae pg. 720. illud *ληρῶδες*que (ut supra *τεχνίον*) praeclaro invento elicuit Scaliger ex eo quod est fere traditum antiquitus ΟΧΛΗΡΩΔΕCque; cf. eius lect. Auson. 2, 4. litterae ΟΧ nescio an ita accesserint verbo illi, quod vetere dittographia erat scriptum Χ supra CΥΜΜΕΙΡΑΚΙΩΔΕC. — Hertzius minus recte *ὀχληρόν*que.

7—24. ad cenae rusticae descriptionem quam irrisam ab Lucilio l. V auctor est Charisius facili opera referri possunt frgm. huius voluminis sat multa, quibus addidi pauca nullo libri numero insignita, sed quae haut incommode ad eandem possent revocari. simile argumentum videtur fuisse l. XIV. — ceterum Horatium cenam non quidem rusticam sed tamen iniucundam hominis inepti ultima l. II satura perstrinxisse notum.

8. *decumana ova;* cum illa *decumani fluctus* ex Lucilii libris esse petita Lucani scholiis Bernensibus comprobetur, haud absurde conicere mihi videor etiam praecedens lemma indidem ductum. et delectatum Lucilium vocabulo quod est decumanus sat constat. — *decumana ova;* irridet quod his potissimum cena incohatur sive quia sint minus

iucunda minutis (nihil enim huc pertinet Hor. sat. II, 4, 12—14) sive quia dominus statim hoc cibo explere velle visus sit convivarum famem.

9. *alma Ceres;* epitheton additum cum iocosa gravitate. — *plebes*, i. e. *convivarum turba;* ut Horatius *multa poetarum veniet manus, auxilio quae sit mihi.* — *pani';* in Varronis verbis ap. Non. 395, 4 scribendum existimo *eam sunt consecuti corpori' siccitatem*, non quod vulgo legitur adsumptum ex 481, 17 *corporis;* libri *corpore;* cf. Lchm. comm. Lucr. pg. 29. *potītur;* cf. d. r. m. 402. eadem quantitate hoc vocabulum cum extulisset Alcimus Avitus, qui fuit initio saec. p. Chr. n. VI, reprehensus est a Viventiolo rhetore. de qua re videnda quae scripsit epistula ad hunc ipsum data. eam si recte intellego qui tunc temporis illud *potitur* adhibuere tribrachi instar auctoritatem veterum sunt secuti (nam et Vergilii versiculus ad opinionem firmandam affertur a Viventiolo), qui produxere iota aequalium hominum iudiciis sese accommodavere. cetera tamen utique aetate illa fuisse quartae coniugationi ipsa epistula Alcimi haud dubie videtur asseri.

12. verba domini iactabundi.

13. etiam hoc loco fontium quibus Nonius usus est integritas aperte declaratur; nec vero minus stupor Charisii, quo non ita multum cedit illi; nam ipsa ea quae addit de occasione qua adhibuerit Lucilius h. v. docere eum potuere ineptum esse illud *perserpsit.* — *praetensus*, ita saepius *tensus* in Priapeis: nempe illud exprobratur domino convivii, quod herbas in quavis via hominum pecudumque pedibus trita nascentes ministrarit convivis. — ita Pomponius in Placenta:

rústici edunt libénter pedibus trítos, atros íntibos.

fuit cum scribendum existimarem *pertersus* sive *praetonsus.* — *intubus*, ap. Verg. georg. I, 120; IIII, 120 optimae membranae illud quod recentius est Lucilio *intiba.*

14. *flebile cepe;* Varro Manio *dulcem aquam bibat salubrem et flebile esitet cepe.* — *talae;* glosae Philoxeni *talla κρομμύου λέπυρον.* simplex *l* videtur agnoscere Festus 359 *talam Cornificius posuit, unde et talassus. talam alii folliculum cepae.* ibi codex bis *taliam*, sicut Paulus 358.

15. dicit nimio ceparum et talarum usu convivas ad lacrimas coactos plane ut solerent ceparii. — *cepariu' cepa;* ut l. XXVIII *glutinator glutino.* — illud *lacrimosa* haud dubie fuit removendum (nec agnoscit Priscianus). et recte Iunio visum irrepsisse ex 201, 3. non enim crediderim latere glosam ut puta *κρόμμυον*; aliae enim Prisciani, aliae Nonii codicum rationes.

16. *scutulam;* diminutiva forma usum esse h. l. L. omnino firmatur verbis Prisciani. — *li* pro *illi;* cf. quae notavi ad XXVIIII, 63 et d. r. m. 304. — *inflixit*, dominus sive convivantium aliquis servo.

19. de paucitate ficorum convivis oblatarum, quarum vilitatem proximo fragmento memorat, queritur L. — *propola*, cf. d. r. m. 363, 4. ita et *prologium* longa prima in versu Pacuvii ap. Paulum p. 226 *quid est? nam me exanimasti prologio tuo.* — *illud protulit* praesentis esse temporis non rectius statuit Dousa quam VIII, 13 *cum victor se gallus honeste sustulit in digitos primoresque erigit unguis.*

20. nota quod Lucilius ficum ubi fructum significat modo masculino dixit genere modo feminino.

23. *gemina — aure*, δίωτος. *mixtarius aure* pro *mixtarius paulo;* Non. 181, 30 membranae *ordines* vel *ordinis tentae* pro *ordine* et similia eaedem alibi.

24. hoc scholion antequam de libri Monacensis innotuisset scriptura, tale ferebatur apud Horatium: ut est illud *bibere absumo* (vel *ab summo*). ac tamen esse haec Lucilii solita sagacitate perspexit Dousa pater. — *da bibere;* Verg. aen. I *tu das epulis accumbere divom;* ita Graeci διδόναι. — *bibere ab summo*, cf. Lips. op. I, 380 ed. Vesaliensis: *a summo bibere, hoc est quod Graeci dicunt ἐν κύκλῳ πίνειν, ab eo conviva videlicet qui summus accumbit ad imum — Plautus asinaria* [V, 2, 41]: *da puere ab summo, age tu interibi ab infimo da savium.* — igitur is qui verba facit ap. Lucilium ut fame maceratus ex pessima cena et potandi cupidior poscit, ut extra ordinem poculum accipiat.

26. h. l. evenit Nonio, quod celebri cuidam nostri temporis lexicographo, qui illud *Bombe* idem putavit esse ac *Moerser.*

28. de amatore nocturno videtur agi.

29. quinto potius quam secundo libro haec tribuenda persuadet auctoritas Nonii, quam eo minus elevari par est, quod s. l. eodem versum ex secundo petitum libro hic ante attulit. — ceterum non ad rusticae illius cenae quam depinxit l. V descriptionem sed in luxuriae aequalium castigatione verba ista posita fuisse satis apparet. *ventres;* ita infra *ventrem alienum maestum fovere ex molito hordeo uti cataplasma.* notus versiculus Graecorum

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί;

Hesiod. theog. 26

ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον.

30. irridet Pacuvianum versum [408 ed. Ribb.]

Nerei repandirostrum incurvicervicum pecus;

fortasse etiam Livii illud [5]

tum autem lascivom Nerei simum pecus.

lasciviam piscium etiam memorat Pacuvius [409, 10]

— profectione laeti piscium lasciviam
intuentur.

nasi pro *nisi.* *a* archetypi librariis *ei* visa.

31. *cecinisse* ut supra memoravi Franckenius, ut sermo sit de vetere aliquo oraculo. nobis potius de comissatore aliquo sene sed eodem vegeto ac vivaci, qui nocturnis rixis implicitus esset videntur haec dicta. — *sene Tiresiai* dativo nempe casu reponi iubet Mercerus; sed potius cum Franckenio erat faciendum. — *Tiresiai* ut Lucretius *Geryonai*.

32. *porro prodenda;* ita *trado porro* l. XXVI.

34. *praetor;* idem fortasse qui perstringitur l. VII et XI.

35. Laevius ille quis fuerit plane incertum. modo ne de poeta cogitaris. nihil haec ad C. Laelium Sapientem, quem pauperem fuisse non traditur. et sequendus erat liber optimus; nam Laevii nomen quotiens fuerit corruptum (etiam in Laelii ut abiret) nuper monuimus.

36. illud *non omnia possumus omnes* nisi eis quae olim fuere praemissa habet quo explicetur absurdum esse apparet. igitur nescio an reponendum sit illud *arat;* sicuti legitur ap. Martialem VIIII, 22:

Artemidorus habet puerum, sed vendidit agrum.
  agrum pro puero Calliodorus habet.
dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
  Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Phaed. IIII, 5, 3 sqq.

quidam decedens tres reliquit filias
unam formosam et oculis venantem viros,
at alteram lanificam et frugi, rusticam;
devotam vino tertiam et turpissimam.

nam diversa hominum studia a Lucilio tangi perspicuum.

37. *mu facere;* cf. quae dicta sunt ad secundi l. illa *non laudare hominem quemquam neque mu facere in quem.*

VI, 2. *facul* dixere Pacuvius in Teucro et Attius in Meleagro; Varro in Bimarco *difficul.* sed irrisit in Pacuvio Afranius:

haud facul, ut ait Pacuvius, femina una invenietur bona.

ita et perfacul dixere veteres. — ceterum aperte optimatium sui temporis superbiam tangit Lucilius, de qua multis Marius oratione quam habes ap. Sallust. bell. Iug. cap. 85.

5. *hortare* i. e. *hortaris.* — cogitavi aliquando scribendum *hortarei,* ut esset infin. historicus. — *copis* i. e. *compos.* — *potiri* cum genetivo ut alibi *nec plebes pani' potitur.*

6. *quaesticuli sti intuti;* ita l. XXVI *denique adeo male me accipiunt decimae et proveniunt male.* — *sti* pro *isti.*

7. *a Deucalione;* qui Deucalionis aetatem aequant; Cat. 10, 22 *fractum qui veteris pedem grabati in collo sibi collocare posset.* — *restibu' tenti:* ita infra l. XXX *clinas consternit nobis vetu' restibus aptas.*

8. illud quod in scriptis habetur *amfitapoe* sive *amfytapę* labem traxit sequentis vocabuli littera initiali; quibus nominativus magis placuerit, eis cum Dousa scribendum erit *plumae,* praeterea *amphitapei* sive

amphitapae; nam *amphitapoe* ne retineas, arcana vetatur ratione musica. ceterum videnda quae protulimus ad I, 23.

9. *magnus* ut *μέγας* Graecorum idem quod *vastus.*

10. *inmani' canes ut;* Hom. *λύκοι ὥς, ὄρνιθες ὥς*; Verg. *lupi ceu.*

11. *uno oculo* e. q. s., quia porci et oculis minutis et parvis sunt pedibus.

12. *mŭsĭmōnem;* vocabulum Sardum; eum *μούσμονα* dicunt Graeci. at Romani iniecta *i* et producta *o* ori Latino adaptarunt.

13. *haec* nominativus sing. — *concursans* i. e. *trepidans.* — *ancarius* pro *angario*, ut alibi *concerae* pro *congeris.* — *quiritans;* nugantur Varro [99] et qui sequitur eum Nonius, cum vocabulum illud dictum asserunt ab eis qui Quiritium fidem invocent; rectius in glosariis verris vox esse memoratur.

14. *capronas;* Paulus 48 *capronae equorum iubae in frontem devexae*, *dictae quasi a capite pronae.*

15. illud *balba* recte explicat Lachmannus l. m. *balba mulier dicitur*, *quae cum graecissaret*, *illas in theta littera delicias ab ore Latino alienas adfectaret.* nam Lucilii aetate consonis in verbis Latinis nondum adspirabant. mox imitatione puto Graecorum spiritum plurimis addidere vocabulis, de qua re extat Catulli epigr. 84. — *siccam;* i. e. castam, quae nondum cum viro concubuit. ita Plautus in milite

> lotam vis an nondum lota quae sit? siccam, at sucidam;

et Ovidius a. am. II

> odi quae praebet quia sit praebere necesse
> siccaque de lana cogitat ipsa sua.

abstemiam non vinosam. — ceterum simili diversitate morum puellas describit Phaedrus vv. quos attuli ad V, 36.

16. *cui neque iumentumst nec servos;* Catullus: *Furei*, *quoi neque servos est neque arca.*

17. *sese animam;* non de ipsis mulieribus sed per translationem positum esse innubendi verbum ipse testatur Nonius. — unde vel ob hoc inprobandum illud *suam enim.* — *invadere* pro *insinuare;* ita verissime Lachmannus, qui tamen verba Nonii non intellexit. nimirum scriptum erat antiquitus *invare;* unde ut vox Latina efficeretur reposuere librarii invadere. eodem prorsus vitio in v. Lucretii III, 722 ap. Non. 159, 27 legi *invadi* pro *insinuari* notat Lachmannus. haec longiuscule sumus persecuti, quia Hugoni Ilbergio [symb. philol. Bonn. 439] admodum mirus videtur error librariorum. — *innubere*, non *transire*, sed *velut domum inire.* — quantum ad rem, conf. Ennii quem carpere videtur Lucilius ann. vv. 10 sqq.

> ova parire solet genu' pinnis condecoratum,
> non animam; et post inde venit divinitu' pullis
> ipsa anima.

itaque Lucretius I, 112 sqq.

> ignoratur enim quae sit natura animai,
> nata sit an contra nascentibus insinuetur —
> an pecudes alias divinitus insinuet se,
> Ennius ut noster cecinit.

18. *porro procedere* ut alibi ap. L. *porro prodere.* — *porcent;* Paulus 15 *porcet quoque dictum ab antiquis, quasi porro arcet.*

20. *hac tu ab re* e. q. s., i. e. *credisne a re tam gravi seu tristi quemquam petisse balnea, quae deliciis et luxuriae inserviunt?*

21. nihil in hoc fragmento, de quo nugas meras protulere docti, inest corrupti, sed apparet excidisse quaedam, velut verbum unde pendet *te dominum fortem* ut puta *servet* vel simile, et quibus significaretur apud ipsum Crassum cenasse Mucium. — *qui* pro *utinam*, ut lib. II *qui te, Nomentane, malum iam cercera perdat!* — de Crasso dicetur ad X, 7. — *Mucius*, socer Crassi. — *Mucium* pro *Muciu;* ita l. XXVI *publicanum* pro *publicanu'*. versum ex Melanippo Accii qui legitur 521, 8 ita scriptum habet L 2 *crediti me amici mortem inbuturum manu* (*manus* recte G cum L 1). repone:

> crediti' me amici mortei inbuturum manus?

vulgo minus recte *credite.* nam et in priore Lugdunensi *e* ex *i* facta.

22. ap. Nonium 363, 5 legitur: protelare rursus adiuvare (*adiugare* perperam Cuiacius). Lucilius satyrarum lib. VI — idem lib. XII — Cato originum lib. V — Varro Cato vel de liberis educandis. in his cum prioribus tribus locis ne Nonio quidem aut de verbo protelandi aut de significatione adiuvandi cogitare liceat, apparet exempla lemmatis ut puta talis *protelo est porro* falso a librariis illata eis quae de protelandi vocabulo disputat Nonius. at Varronis verba ita fere scribenda existima: *remota sint a discendo formido ac nimius timor et omnis perturbatio animi; contra delectatio protelat ad discendum.* vulgo: *remotissimum ad discendum f. ac nimis* (*nimius* Scaliger) *t. et o. p. a.: c. d. protelo ad discendum.* — *neque;* cave credas poni pro *ne — quidem,* sed subiectum fuit haud dubie alterum *neque.*

23. *resistit* i. e. *restat, reliquum est.*

24. de hoc frgm. ut nunc demum recte iudicare liceret, socordia evenit Hauthalii. nam post illud *saturarum* in Mon. leguntur haec: *sic Tigellium e Sicula Lucilium Sardiniensem terram.* ibi *Tig.* et *Luc.* ut e prioribus illata apparet removenda. reliqua ita fere instauranda auctore Meyero: *e Siculis ventumst in Sardiniensem* | *terram* vel potius *e S. v. i. t. S.;* nam solet sane plenos sensus auctorum afferre Porph. — cet. haec fortasse l. III et itineri Siculo tribuenda.

25. *servorum festu' dies;* Sigillaria significat, quae statim post Saturnalia celebrabantur. ea necessitate metri adductus Ausonius in c. de feriis Romanis v. 32 sacra sigillorum nomine dicta appellavit. — aliter visum Heusdio qui [pg. 144] huc refert verba Festi 343 *servorum*

dies festus vulgo existimatus idus Aug., quod eo die Ser. Tullius, natus servus, aedem Dianae dedicaverit in Aventino, cuius tutelae sint cervi, a quo celeritate fugitivos vocent cervos. — quem pl. e. q. s.; cf. d. r. m. 12, 13. 20. ita et Archestratus ap. Athen. [VII, 384 e] de pisce quodam aversis Musis appellato ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν; Critias frgm. 3 ed. Bergkianae οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ᾽ ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ.

26. τόνδε ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων; Il. XX, 443. — longe aliter haec constituit Lachmannus in prooemio lect. aest. univ. Berol. a. 1851 pg. 4:

> ut vi discrepat hoc: τὸν δ᾽ ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων
> ῥεῖα μάλ᾽ ὥστε θεός. fugit ergo.

sed ibi vides traditionis antiquae nullam haberi rationem; nam illud *ergo*, quod addunt membranae post *fiat*, non est Lucilii, sed Porphyrionis, et pertinet ad sequentia — videtur igitur Lucilius Homero exprobrare, quod saepe res simplices commentis incredibilibus invertat; cf. XV, 1.

VII, 2. *Gentio*', ut alibi *scorpio*', *rhetoricotero*'. — fuit cum crederem in archetypo Nonii librorum antiquitus fuisse exaratum hoc *si* $\overset{in}{agro}$, cum voluisset scriba potius $\overset{in}{si}$ *agro*, ut esset *sin Agro;* sed enim fatendum nihil esse comperti de puero delicato Lucilii *Agrone.* — praeterea mirum quantum favent coniecturae, quam in textum recepi, quae leguntur statim *si decesserit* i. e. *mortuus erit Gentius.* — *sei* pro *si a;* cf. quae dicentur ad XXVIII, 23. — *hic est, praesto ad damnum conpensandum.*

3. *praetor*, is de quo agitur XI, 4. — verba ita intellegenda: *mein praetor gehoert dir;* pueri delicati vice functurus. quamquam possunt illa etiam ita accipi: *dein praetor gehoert mir.* — sunt igitur verba aut amici consolantis Lucilium propter propinquam mortem Gentii aut ipsius Lucilii ad amicum. *tuum esse* (sive *meum esse*); ita l. XXVII *cum appello meam* ac saepius alibi, maxime apud eroticos. — *meus*, nota minus eleganter post dactylum tertium incidi sensum.

4. de puero delicato, olim sibi laudato, nunc vero inviso agit Lucilius. is fuit haud dubie Macedo; nam Gentium languentem et morti proximum alias dicit in hoc libro Lucilius. — ad discidium cum Macedone factum videtur etiam spectare illud *nunc praetor tuus est meus, si decesserit horno Gentios.* — ad hunc ipsum pertinent v. l. XXVIIII

> Apolost numen, qui te antiquis non sinet
> deliciis (i. e. *Hyacintho*) maculam atque ignominiam inponere;

unde sequitur hunc librum prius esse conscriptum septimo.

6. *fautor* adiectivum ut ap. Flaccum *quis tam Lucili fautor ineptest; sic fautor veterum.* — ceterum hoc et sq. frgm. quos legisse refert *facii* Gellius, veteris Latini sermonis sonorum nullam omnino habuisse rationem facile apparet. neque magis hercule gignendi casu aut

pedestris orationis auctores Ciceronem, Sisennam, Quadrigarium, Gracchum aut poetas Vergilium, Matium, Pacuvium dixisse puto *pernicii*, *acii*, *luxurii*, *specii*. quae cuncta correctorum audacia provenere, illi cum dedissent finalem aut *es* aut *e*.

8. supplendum *spoliaverat*, *eluserat* vel simile.

9. illud *scabor* pro *sador* dedit Scaliger, contra metrum. — *subvellor;* tangit morem, qui et hodie apud Italos et Graecos optinet, capillos circa naturalia muliebria sitos resecandi. — *pumicor;* Plin. hist. nat. XXXVI, 21 *sed et ei pumices, qui sunt in usu corporum laevigandorum feminis, iam quidem et viris.* — *expolior;* ita praeclare Dousa pro eo quod est in libris *expilor* ταυτολόγῳ pariter et violato metro: idem bene confert Plauti illud [Poen. II, 1, 9 sq.]

> ex industria ambae numquam cessabamus
> lavari aut fricari aut tergeri aut ornari
> poliri expilari (v. *expoliri*) pingi fingi.

10. hoc frgm. et seqq. quinque uxor deformis eademque libidinosa videtur describi. — *simad nares*, Sulpicius Servatus [anth. lat. 543, 37]

> simataeque iacent pando sinuamine nares.

videnda quae notat Burmannus Iunior ad h. v.

11. *ne vermiculique;* cf. de hoc morbo Plin. n. h. XX, 52; Cels. VI, 5.

12. *queis oculi non sunt neque nasum;* h. e. *qui neque videre possunt neque olfacere.*

13. *frumentum vannere lumbis*, ita l. VIIII *crisabit*, *ut si frumentum clunibu' vannat.* — *frum.; stramentum* Baehrensius.

14. *verosam* pro *virosam.* — *caedam;* obscaeno sensu positum recte statuit Lipsius quaest. epistol. V, 14, ut ap. Cat. 56, 7 et saepius *concidere.* probant rem ultima verba huius fragmenti nec minus versus sequentes.

15. is cuius verba leguntur priori fragmento uxoris libidine ad desperationem actus quod modo deprecatus erat iam facit re vera.

in re simili et memores fortasse huius loci dixere Horatius *accidit ut cuidam testes caudamque salacem demeterent ferro* et Martialis *abscisast quare Samia tibi mentula testa?* — *Samia testa;* nugatur Nonius, qui Samium pro acuto dici statuit. nec vero Samiare est acuere sed polire. ceterum illam ob id ipsum quod erat acutissima — nam ea ad ferrum aliasque materias poliendas utebantur — adhiberi solitam ad castrandos matris deum sacerdotes qui Galli vocantur M. Caelio auctore refert Plinius n. h. XXXV, 46. — ἀπειρόκαλε i. e. *inhonesta;* ad uxorem conversus ait. hoc vocabulum ad sententiam aptissimum esse vix erit qui neget; et proxime idem abesse a cdd. corruptelis fatebuntur qui norint quibus potissimum modis Graecae litterae a Latinis librariis soleant inverti.

17. hoc frgm. haud dubie iungendum cum illo *ferai ad catulos accedere inultum;* nam positum utrumque in descriptione *τοῦ ἀδυνάτου. esuriente* dativum esse recte monet Barthius. — ceterum vix credibile est fuisse qui hanc formam a Lucilio abiudicarent, cuius nec pauca nec obscura extant apud eum exempla. Ennius ap. Non. 195, 13 *malo cruce fatur uti des, Iuppiter.*

18. versus admodum elumbis, ut aliquando potius septenarii trochaici, cui prima desit dipodia, quam dactylici hexametri reliquias eis contineri existimem. certe ita mollius fluent numeri, quamquam nec ipsi ab omne parte perfecti. — *muginari*, quod descendit a *mugiendo*, longa secunda esse persuadent ea quae disseruit Ritschelius de miliario Popilliano 17 (verba sunt haec *suapte natura brevis 'in' syllaba in longam tum demum crevit, cum coaluit cum alia vocali eaque radicis propria*). — ceterum nisi lacunosus est locus, solito plane stupore usus dicit Nonius *moliendi* vocabulum positum pro *morando*, cum facile appareat potius idem esse quod *facessere.*

19. *calda;* infra 23 *caldum;* cf. d. r. m. 366. — *simeitu*, Non. 136, 20 in Accii versu *simeta* pro *simeitu.* conf. quae notabuntur ad XXX, 15. — *olerorum* cf. XV, 15. — obiter moneo versum qui praecedit ap. Non. Attii non esse mancum tetrametrum trochaicum, sed plenum iambicum trimetrum, nec eum unius sed duarum personarum:

'quid cesso ire ad eam'. — 'em praestost'. — 'camo collum gravem'.

camo id est *κάμπτω.*

20. nisi nugari crederem Nonium, haud dubitarem in ordinem verborum recipere id quod Dousa proposuit *salumque;* nunc commemorasse satis habui.

21. *li* pro *illi.* — *oganni* pro *ogganni* ut alibi *ager* pro *agger.* sic *omitto* pro *ommitto*, *oportunus* pro *opportunus.*

22. *fastidimu' bonorum;* ita lib. XXVI in tragico versu *fastidire Agamemnonis.* alia eiusd. constr. exempla ex Titin., Plauto, Turpil. prof. Non. l. m.

23. confert cum hoc loco Franckenius Luc. VI, 148, 9 *ut calidis candens ferrum e fornacibus olim stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.* — *ec furnacibus;* ita in verbis Sisennae (484, 19) *simul ec senaticonsultis clarissimis amplificati honoribus*, Ciceronis (175, 27) *ec quo*, Varronis (223, 15; 325, 16; 334, 17; 428, 23; 552, 6) *ec sale*, *ec theatro*, *ec liquida vita*, *ec rythmis*, *ec quo*, Sallustii (366, 12) *ec malo dependens*, ut Lucilii exempla, quae complura occurrunt, ne tangam. ipse Nonius 297 compluriens *ecferre*; idem 76, 21 *antiquari obsolefieri*, *ec memoria tolli;* 552, 4 *ec farre.* sed in his exemplis praeter id quod est *ecferri* membranae constanter *et* pro *ec;* quae adeo 533, 30 *Etbatanam* pro *Ecbatanam.* — eadem saepius praepositionis forma in Ciceronis codicibus agnoscitur;

de qua re dixit Baiterus ad Tusc. disp. II, 8, 20. — Att. ap. Prisc. 1329 *ec Menelai domu*, ubi inepte fertur *et M. domus.*

VIII, 1. *gracila;* ita *gracilae* Ter. eun. 314; *sterila* Lucr. II, 845; *sterilam* Fest. 316; nec minus Ennius in Phoenice *futtilum.*

2. *bibo* pyrrichii instar hoc loco, unde elisionem patitur. — *ficta arte;* de amica loquitur; ceterum non a *fingendo* sed a *figendo* descendere illud vocabulum recte monet Lachmannus comm. Lucr. 194. Lucretius III, 3 *inque tuis nunc ficta pedum pono pressis vestigia signis.*

3. illud *cum* reponendum esse et praecedente fragmento fit probacile et ipso hoc. quippe persuasum habeo id quod est *pectore* dativum esse.

4. particulam *et* eadem qua Horatius et Iuvenalis licentia usus etiam alias in fine metri collocat Lucilius; nam minore eam elegantia eodem quo proxima metro, ut desit initio syllaba, contineri existimaris. — vulgo foedissima interpolatione scribunt

et crurib' crura dilaxat.

unde dilaxandi verbum omnia possedit lexica. — ceterum simplicius visum scribere *διαλλάσσων* sequentem alterum codicem Danielis, quam quod sane pluribus libris commendabatur *διαλλάξων.* — *διαλλάσσειν* dictum ut ap. Prop. [III, 15, 9] *quam vario amplexu mutamus brachia;* et ita Ennius in saturis *ibant malaci viere veneriam corollam.*

5. *a laeva:* Hor. sat. I, 2, 125 *haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum;* ubi, ut obiter hoc addam, miror amphiboliam fugisse doctos. nam Ilia memoratur cum ambiguitate ioci, ut Marullus de parasito *ab Ilio numquam recedis* (huius totum fragmentum, quod solita neglegentia memoriter et non sine magna diversitate bis citat Servius ad aen. VII, 499; ecl. 7, 26, afferre supersedeo; nam redegere docti in versus foedissimos); Egeria autem dicta ab egerendo, ut ap. Tacitum ann. XV, 64 *multum vitalis spiritus egestum* et simillima passim alibi. — *lacrimas*, i. e. *stillas seminis.* — *abstergĕre;* at V, 27 *abstergē.* — id quod Cruquius dedit *lena manu*, apertam refert interpolationem ex corruptis quas proposui lectionibus natam. aliud enim amica, aliud lena, ut omittam sensus foeditatem.

8. *gigeria, sola intest. gall.* — *gig.;* ea forma videtur esse incorruptae antiquitatis; ea quae est *gizeria* deterioris saeculi et ob id librariis magis accepta; unde et in Romanicas fluxit linguas. — apud Paulum 95 habet Mon. 1. *gigeria*, Guelf. cum Lugd. 116 *gizeria.* ibid. omnes boni libri *gizeriator* pro *gigriator* vel *gingriator.* — *gizeria* cdd. sanequam rec. Petronii cap. 66. apud Apicium ultimae aetatis hominem, in quantum ex Schuchii farragine licet cognosci sive coniectari, paragr. 141 in Vaticano vetustissimo et plerisque aliis legitur *cizema*, in Humelbergii libro *cizeria*, 181 in cdd. est *gingibera*, 200 *gizeria*, *ginzeria*, *gyzeria.*

9. *pistrinum*, *pristrinum;* utraque etiam in Plauti codicibus reperitur forma. et magis hanc quam illam videri sibi Plautinam dicit Ritschelius opusc. II, 461. facile accederem viro summo, nisi suspicio

oreretur ita natam esse formam, ut pro substantivo minus usitato adiectivum quod paenultimam corripit cum substituissent librarii mox errore animadverso priori r per neglegentiam parcerent. Non. 163, 17 L 1 in Varr. verb. *pristino.*

10. *murenas;* ita ap. Varr. d. l. L. V, 77 Florentinus *murena; murena* Pithoeanus Iuv. 5, 99; et sic saepe in libris veteribus; nec de proprio nomine dubitatur. — *frigdaria*, cf. d. r. m. 366.

12. hunc versum qui apte emendarit, is vero magnus mihi erit Apollo. nam coniecturae, quibus eum docti temptarunt, non sunt dignae quae memorentur. — ceterum vix credo Lucilium adiectivo quod est *omnicolor* usum nisi forte per irrisionem tragicorum.

13. *gallinaceus gallus.* Varro ὄνος λύρας:

phonascus adsum voci' suscitabulum
cantantiumque gallu' gallinaceus. —

illud *sustulit* Dousa sine causa ἀρχαικῶς pro *sustollit* positum esse existimat. — *primores unguis*, ita alibi *primoribu' naribus*, *primoribus labris*, *primoribus digitis.*

15. *uti* pro *ubi.* — *aquae*, *marina et fluviatilis.* — *iligneis*, ab eo quod est *ilignus.* nempe vix umquam librarii pepercere diphthongo *ei*, nisi ubi eum secus interpretarentur. — ceterum idem vitium habes ap. Frontonem: *igneis nucibus* pro *il.* — *pedes* recte hoc loco non *veli partes* sed *remos* dici putat Franckenius pg. 40.

16. illud *lentet* a lentendo descendere potius quam a lentando satis constat.

VIIII, 1. in hoc libro postquam argumentum professus est primum de scriptura recta verborum videtur exposuisse Lucilius, non quidem ut grammatici instar plene totam tractaret materiam sed ut deligeret quae ipsi potissimum digna viderentur memoria et popularium usibus commoda. ibi plurima evenit occasio vellendi Accium, cuius praecepta ad orthographiam spectantia ob claritudinem studiorum eius multis tum rumoribus hominum agitabantur. deinde singulas orationis partes ex ordine percurrisse puto Lucilium et quidem differentiis maxime verborum ac barbarismis et soloecismis, qui tum obtinebant, intentum, verum ne hic quidem certum quoddam grammaticorum secutum systema sed prout ferret animus. adiuncta fuere praecepta ad metricam et rhetoricam pertinentia. porro in eodem libro poetas Latinos carpsit Lucilius. haec autem cuncta non proposuit ad iactandam doctrinam nec ut professoris sumeret supercilium, sed ut illo ipso tempore efflorescentia grammaticae et rhetoricae studia et ipse pro virili parte iuvaret et popularibus commendaret. — ceterum placita ad orthographiam pertinentia, quibus cavebat potissimum ut similes voces discernerentur, ut subarguta, ne dicam subrancida, ex parte tantum fuere probata Varroni, qui eas propter tantam Lucilii saturarum celebritatem saepius respexit, et sequentibus grammaticis, qui quidquid de eis produnt ex Varrone hausisse sunt existimandi.

2. *cŏrupto;* hac forma Lucilius utrum utatur ad irridendos ho-

mines rusticos sive in recte loquendi legibus demonstrandis (sicut visum Lachmanno comm. Lucr. 416) an ea neglegentia praeceps datus, qua eum plerumque extra composita, bis terve etiam in his simplices consonas loco geminatarum adhibuisse docui alibi, difficile hercule poterit diiudicari. ceterum etiam ap. Lucr. VI, 1135 fertur: *an caelum nobis ultro natura coruptum;* ubi Lachmannus minus bene *coortum.* videnda etiam quae diximus d. r. m. 360.

3. Gellius V, 20, 3 sqq. *cum Graecum autem vocabulum sit soloecismus, an Attici homines, qui elegantius locuti sunt, usi eo sint quaeri solet, sed nos neque soloecismum neque barbarismum apud Graecorum idoneos adhuc invenimus: nam sicut βάρβαρον, ita σόλοικον dixerunt. nostri quoque antiquiores soloecum facile, soloecismum haud scio an numquam dixerunt.* — habes tamen id vocabulum ap. auct. ad Herennium IIII, 12, 17; nam Lucilius quin Graecum potius adhibuerit non intercedo.

4. *a primum longa brevi syllaba.* haec depravata adeo ut restitui non possint. ac primum omnium apparet vocabulum alterum ex priore versu irrepsisse. deinde illa *longa brevi syllaba* et sensu inepto verbique defectu nec minus metri vitio (nam Lucilius in quantum constat breves finales sequentibus duabus consonis non produxit) falsa esse evincitur. Accii utique placita respexit; quae particula *tamen* adhibita propriis confutavit. — *ut diximus;* in eis quae omisit Scaurus. — Ἆρες Ἄρες; cf. Il. V, 31 Ἆρες Ἄρες βροτολοιγέ cum notis interpretum. — ceterum quin etiam reliquas vocales nullo discrimine quantitatum simplices scribi voluerit Lucilius haud dubium est.

6. verba Quintiliani accuratius considerata qui contulerit cum eis quae paullo ante monuerat idem de *ei* et *i* pro diversitate casuum discernendis deque Lucilii in hac parte praeceptis, non poterit dubitare quin Lucilius ipse commendarit rationem eorum qui *ai* genetivo et dativo primae, *ae* nominativo adhiberent; idque ipsum Nonii et Scauri librorum corruptelis apertissime adseritur. ceterum simillima his et quibus hic quoque e Varronis libris sumpta appareat de Lucilii doctrina quae memorantur extant apud Velium Longum 2222 *quidam in hac quoque scriptione voluerunt esse differentiam, ut pluralis quidem numeri nominativus casus per a et e scribatur, genetivus vero singularis per a et i, hoc quoque argumentantes quod dihaeresis sive dialepsis illa dicetur a nominativo plurali non fit sed ex singulari obliquo cum dicitur aulai in medio et dives equum, dives pictai vestis.* ubi Longine an librariorum eius culpa dativi mentio sit omissa incertum. — iam cum pluribus versibus de *ai* et *ae* distinguendis disseruerit Lucilius, haud dubie etiam subiunxit praecepta similia eis quibus pilam et pila discrevit, e. c. quo caelum a quo caelare dictum, et caelum quod est οὐρανός, diversitate scripturae noscerentur. ceterum diphthongum ae Romani non sicut nos mixtis interse et confusis a et e pronuntiabant, sed ut praevaleret a, obscurata e, paene ut in Graecis i quae subscribi solet. — quodsi recte diximus Lucilium putasse

ai diphthongum genetivo et dativo primae adhibendam, apparet non posse tolerari quod legitur apud Martianum non sollicitatum a doctis hactenus *Lucilius in dativo a et e coniungit.* et vel absque Fabii testimonio inepta haec apparet. nam hercule quid opus erat memorari a Martiano tamquam singulare id quod omnes vulgo Romani fecisse noscuntur? — ceterum si recte verba hominis nugacissimi interpretor, id sibi vult syllabas plane easdem diversum sonantibus atque adeo diversis numero vocalibus posse confici, quia non nisi scriptura distaret ai Lucilii ab ae reliquorum. ceterum ex eodem quo Quintilianum et Velium scholasticae traditionis fonte sua hausisse Martianum docet addita Maronis genetivorum in ai disyllabum exeuntium memoria. — Varroni autem quid placuerit in hac re non satis constat; qui tamen si constantiae famam tutari voluit, debuit sequi vel hoc praeceptum Lucilii. — aliud Nigidio placuisse accepimus, quem omissa nominativi pluralis mentione Gellius genetivum per ai, dativum per e scripsisse refert XIII, 26, 4. — quod contra Claudium imperatorem, quem respicit fortasse Quintilianus, Graecorum hic ut alibi scribendi normae obsecutum ai ubique pro ae diphthongum adhibuisse inscriptiones docent.

7. haec frustra fuere qui in versum redigere conarentur. nam vox *huic* aperte Martiani est, loco articuli Graeci ut saepe posita, et ne hoc quidem satis constat sintne nomina illa, maxime prius, ipsius Lucilii. — ceterum videnda quae ad praecedens fragmentum notavimus.

8. fortasse hoc fragmento de scriptura vocabulorum quae sunt *ceno*, *cena*, *caenum* egit Lucilius. — *ostrea ceno;* affert Dousa Iuvenalis sat. 8, 85 *cenet licet ostrea centum;* ubi ut obiter hoc moneam reponendum cum Schradero *tantum.* quid enim mirum hominem ditem centum ostrea absumere? novi ipse qui una vespera ducenta comederet. — *cognorim* e. q. s. similem peritia ostrearum describit Iuven. 4, 139 sqq. — *ac* positum ante gutturalem; cf. d. r. m. 395.

9. his verbis haud dubie tangitur C. Caecilius Metellus Caprarius, cuius erant insignes cum P. Africano inimicitiae. hunc igitur a. ut vid. 635 praetorem urbanum factum irridet Lucilius ob falsam pronuntiationem et muneris proprii et nominis. nam verendum esse pravo more servato Cecilius pretor ne rusticu' fiat. plura de eodem homine infra adferentur ad Hor. sat. II, 1, 67. — ceterum si recte hoc frgm. tribuitur l. VIIII, eum non ante a. u. 635 scriptum satis constat. et convenit bene quod Accianus mos geminandi vocales ab anno u. c. fere 620 ad 680 fuit frequentatus.

11—13. vides aliter nos ac vulgo fit disposuisse fragmenta quibus de i vel ei in finalibus adhibendis agitur, sed enim ipsa duce veritate. nempe versus adlati a Quintiliano, ipsius si verbis, ut decet, credimus, non spectant nisi ad casus idem sonantes eiusdem hoc est secundae declinationis discernendos. et inutile erat provideri scripturae diversitate ne quando dativus tertiae cum secundae casu aliquo concineret; quod non poterat evenire nisi raro. — illud fortasse erat melius dativos et ablativos tertiae discerni, ubi uterque terminatur i littera.

sed de his aliquid praecepisse Lucilium non invenio; nec vero id ipsi e re visum existimarim, cum promiscue e breve etiam dativo adhibuerit. — ceterum erroris manifestus est Charisius qui illa 'pupilli' 'pueri' 'Lucili' posteriora locis adserit fuisse quam haec 'Corneli' 'Cornifici'que, cum sit ordo et nexus sententiarum ap. Luc. hic:

primum agit de discernendis genetivis singularis et nominativis pluralis substantivorum in us exeuntium; quibus apte addit observantias de dativis et nominativis pronominum quae sunt *ille ipse iste*. deinde de genetivis et vocativis singularis substantivorum in ius exeuntium, in quibus non erat cur timeretur ne gignendi casus cum nominandi confunderetur. ibi vocativum a genetivo distingui eo magis e re erat, quod pleraque nomina illa erant propria, quae plurimum vocandi casu solent adhiberi.

alia autem Lucili de finalibus in i exeuntibus praecepta extitisse minime crediderim. quae si fuissent, Varro et reliqui, apud quos tanta fuit Lucilii auctoritas, minime praeterissent silentio. Lucili placita in genetivis singularis et nominativis pluralis discernendis probaverunt Varro et Nigidius; cuius haec sunt apud Gellium XIII, 26, 4 si huius amici vel huius magni scribas, unum i facito extremum; sin vero hi magni hi amici casu multitudinis recto, tum ante i scribendum erit e atque id ipsum facies in similibus. — cf. et Mar. Vict. 19 non solum pro longa syllaba accipiebatur (ei), sed nominativum pluralem ita scripta significabat ut amicei bonei doctei Romanei et similia; at si per solum i scripta essent eadem, genetivum singularem faciebant ut huius amici et cetera. ceterum ei pro i eis condicionibus quas statuit Lucilius positae sat multa in fragmentis eius hodieque superant exempla. — satis autem iam constabit *ei* tum temporis idem sonuisse quod *i* porrectam, sicut *ai* non aliud atque *ae*. igitur diphthongos quae auditu quoque praeferrent finalem i tunc temporis non fuisse existimem nisi in *quoi hoic* fortasse etiam *quoius hoius*, ob odium nimirum *u* et *i* copulatarum.

14. *meile* — *meilia;* contra eos qui iam tum scriberent *mille*, *millia* vel *milia*. — *meiles meilitiam;* quia Lucilius recte cum Varrone [d. l. L. V, 89] illa voc. repetiit a *mille*, cum amicus eius Aelius Stilo [Paul. 122] inepte putaret dicta *a mollitie κατ' ἀντίφρασιν*.

heice; non ignoro equidem negare Lachmannum [apud Moms. inscr. r. Neap. t. 5882] legisse se apud scriptores adverbii formam hice, nec magis in monumentis eam se invenisse testari Ritschelium [de miliario Popiliano e. q. s. 16]. sed cum de formis hince [Ritschl. l. m.] et huce [Att. ap. Non. 127, 3] sat constet, non videtur dubitandum esse de *heice*. nam quantum ad inscriptiones, legitur plerumque adverbium in illo quod formulae vicem optinet *hic situs est*. formulas autem quam maxime breves et concisas solere esse quis ignorat? quantum ad scriptores notum plerumque librariorum culpa omissam in pronomine finalem e. neque Afranii septenarius ap. Non. 318, 4 stabit nisi adhibita longiore forma:

ubi hice Moschis, quaeso, habet, meretrix Neapolitis?

itaque ab hac certe parte cur displiceat coniectura nostra non video. — *hice* per unum c, etsi Mar. Vict. pg. 24 iubet pueros scribere subtracta e ap. Verg. *hicc alienus*, *hicc est*, *hocc erat alma parens.* — *pīla* qua pisatur quod ab illo plurativo *pĭla* distinguitur simplici i, etsi per se minime mirum est, potuit tamen fieri ut i in illo quod imminutum ex *pistilla* aliud quiddam sonaret quam in hoc. — *pisunt;* Varro d. l. L. V, 140 *pilum quod eo far pisunt;* quod contra in eiusdem verbis ap. Non. 152 s. v. pinsere omnes libri *qui in pristino pinseret farinam; qui ruri far pinsebat;* statim tamen codex optimus h. e. Lugdunensis prior m. pr. *pisunt.* in verbis Victorini utique reponendum *sicilem* (cuius vocabuli mensura declaratur Ennii annalium v. 499) pro *silicem.* nam qui post Ritschelium [cf. lib. de titulo Mummiano pg. 16] etiam statuunt aut Lucilio aut cuiquam alii nisi per errorem fortasse non infrequentem (certe huc spectare videntur, quae de pila monet poeta) ei positum pro correpta i, non sunt digni quibus respondeatur. ita ut obiter hoc addam in epitaphio Scipionis Hispani aequalis Lucilii legitur *mieis* non minus eius qui insculpsit verba culpa pro *meis* i. e. *mis*, quam ibidem *sibei* pyrrichiacum et *progenie mi* pro eo quod est *progeniem.* nam illud qui pro dactylo potuerit venditare Momsenus, equidem non intellego.

iam Lucilium si recte intellego, in ei diphthongo adhibenda praeter finalium quaedam discrimina illas voluit optineri observantias, ut poneretur primum ad discernenda eadem vel similia vocabula diversarum significationum; deinde in eis quae aut scriptura falsa aut vana etymologia ab aequalibus obscurari viderentur. sed ea ut nimiae curae non probavit popularibus. — alioquin i an ei magis placeret nihil interesse existimavit, ipsum tamen ut diphthongum maluisse librorum eius corruptelis haud sane paucis appareat. etiam in hac re similis Lucilii Varro.

15. Lucili praecepta de adsimulandis scribendo pronuntiandove praepositionibus videntur haec fuisse, ut sequenda hominum urbanorum de ea re iudicia statueret, excepto ubi oriri posset ambiguum velut in illo *abbitere* pro *adbitere.* tamen communi vulgi usu iam tum temporis plerumque adsimulatas praepositiones et id potissimum fuisse qui dubitarent, scribendo etiam exprimendus esset novus pronuntiandi mos necne, ipsis Lucili versibus confirmatur. — ceterum videnda quae notavimus ad XXVI, 65 de geminatis ap. Luc. consonis. — *fistula* ferrea, quam Cato senex memorat in l. d. r. r., nisi potius legetur *falcula.*

16. qui tutati sunt illa *et in hoc nullam differentiam*, eos prorsus non cepisse apparet verba grammatici. — nam differentiam in verbis *adbitendi* et *abbitendi* si b assimilatione esset natum ullam esse quis sanus aut firmaret aut confutaret? quodsi Velius Longius ideo satirici attulisset versum quo testaretur et *adbitere* posse dici et *abbitere*, scripturus fuit utique *sed nihil interesse quomodo scribatur putat Lucilius. abbitere* pro *ἀπιέναι* frustra fuere qui in dubium vocarent. nam etsi ap. Plautum Rud. 777 fertur iam illud *abitat* (quod de coniectura etiam adseruere docti Trucul. II, 7, 13, ubi male in libris

est *abeat*), tamen ipse Plautus *abbitat* an *'abitat* voluerit pronuntiari, quis pre certo audebit definire? licuit hercule non minus dici *abbitere* quam dixere saec. p. Chr. IIII *abbrevio*. — igitur, ut optime perspexere Schneiderus et Schmidtius, id asserit Lucilius illa *abbitere* et *adbitere* tam diversa esse inter se quam *abire* et *adire*.

17. hoc fragmentum cum Nónio libro VIIII adscribi placuit; videtur enim declarare Lucilius quid distet inter *panum* et *pannum*, quae passim solent a librariis confundi vocabula. nempe haud abhorret a vero praecepisse eum etiam in vocabulis simplicibus quibusdam posse geminari consonam quo tolleretur ambiguum, quem scribendi usum alias improbaret. cf. quae notavi ad XXVI, 65. — *modo* producta finali ut alibi *unu' modo de multis qui ingenuos sit*. — *foris* h. e. *in foris; foros telae* dicit.

18. apposite huc faciunt quae Ritschelius libelli de mil. Popill. pg. 32 scripsit: *possum eiusdem Accii auctoritati alias quasdam mutationes probabili coniectura tribuere: velut non ab alio, nisi fallor, profecta est qum qura pequs pequnia pequlatus scripturae in illis monumentis frequentia quae insecuta annum* 620 *aetate facta sunt.*

19. *r;* ita scribendum esse apparet ex ipsis verbis Velii. neque origo mendi latet. nam ubi proclivi errore abiere *r* in *re*, *abet* in *abest*, librarii adiecere quae plerumque adest verbo illi praepositionem *a*. — *canina lingua;* nam r litteram ut est l. I *irritata canes planius dicit quam homo;* cet. cf. Pers. 1, 109, 110 *sonat hic de nare canina littera* et quae adnotant ad h. l. docti. — *ar me* pro *ad me;* ita divino plane invento reposuit Dousa pater. — videnda de *ar* forma quae notantur in lexicis. set eis praetermissum Mar. Vict. testimonium pg. 9 *adventum et apud per d potius quam per r scribamus: arventum et apur*. — ultima verba secundum artis leges emendare cum studuerim, tamen qui ita haec composuerit, ut in vocabulis *illi est* finiatur hexameter, hunc verum invenisse existimabo. — ceterum hoc fragmendo emendando in alia omnia abit Corssenius philol. XVIII, 725, cui tamen sum auctor, ut antequam de versibus Latinis scribat discat pedum leges ac modulos syllabarum et simul quibus scribendi compendiis usi sint per medium aevum librarii.

21. *s nostrorum, etiam;* quod reposui etsi facile patiar meliori cedere invento (nam longiuscule abest a traditis) tamen hic ut saepe notanda stupida doctorum credulitas, qua ineptissima quaeque in Lucilii verbis patientissime tulere. — *etiam Graece quod;* in traiciendis vocabulis, et maxime pronominibus relativis saepe satis audax Lucilius. ita l. I *irritata canes quam homo quam planius dicit;* ubi videnda quae notavimus. idem II *Hostiliu' contra pestem perniciemque catax quam et Maniu' nobis*. — talia versus peperit necessitas.

22. haec ex quonam Alexandrinorum grammatico hauserit Lucilius, non satis compertum est. conferenda quae dicit Aphthonius progymn. 2 *ποίησις μὲν γὰρ πᾶσα ἡ Ἰλιάς, ποίημα δ' ἡ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων κατασκευή*. — Lucilium aperte respicicit Varro in Parmenone, cuius

subicit verba Nonius: *poema est lexis enrythmos, id est verba plura modice in quandam coniecta formam. itaque etiam distichon epigrammation vocant poema. poesis est perpetuum argumentum ec rythmis, ut Ilias Homeri et Annales Ennii. poetica est ars earum rerum.* — Diom. 469 *poema pars operis ut actus tragoediae* (ita scribendum puto, cdd. *ut tragoedia*), *poesis contextus et corpus totius operis effecti ut Ilias Odyssia Aeneis.* — aliter paullo Isid. I, 38, 21 *poesis — opus multorum librorum, poema unius, idyllion paucorum versuum, distichon duorum, monostichon unius*, quae exscripta habes apud Gaisfordium metr. Lat. pg. 574. — sed iam singula videamus!

difficile mercule fragmentum, sed tamen ut vix umquam de vera lectione possit dubitari, modo noris quae sit ratio ineunda in tollendis mendis codicum Nonii. — *hoc quod;* illud *hoc*, quod plane est nihili, ex priore versu repetitum. — *idyllion*, ita nos: libri *idem;* potest tamen hoc vocabulum ortum esse ex dittographia eius quod statim sequitur *item.* — idyllia primus e Romanis scripsit Sueius. — *epistula item quaevis non magna;* in ipsis Lucili saturis fuere haud paucae epistulae, simillimae Horatianis excepto quod minus erant occupatae philosophorum placitis expendendis. — ceterum vetustius epistularum poeticarum exemplum est Spurii Mummii fratris Achaici, de quo ita Cicero ad Att. XIII, 6, 4 *Mummium fuisse ad Corinthum pro certo habeo: saepe enim hic Spurius qui nuper est mortuus epistulas mihi pronuntiabat versiculis facetis* (igitur non fuere saturnii) *ad familiares missas a Corintho.* — *poemast illa*, ἀνακόλουθον; alii commate quod est post *magna* deleto *illa* ad sequens verbum trahunt, minus eleganter. — *ut t.* — *annalesque;* hic divina plane sollertia usus Dousa recte interpretatus est corruptam librorum scripturam. apparet enim, cum in margine essent addita *ut* et *que* ea loco interse permutata. — σύνθεσις; ita optime Franckenius. in libris legitur *est una;* nempe traditum antiquitus fuerat *sun* (with *i* written above). — *stoc, opere;* cet. cf. d. r. m. 304. — *unum* scripsere librarii propter sequens *maius.* non ausim Luc. tribuere *biblium unum.* — *est maius multo* Iunius, *est maius multo est* libri per dittogr., cuius vitii exemplis ut alias plerumque ita hoc loco abundant codices Nonii. — *neque* in tertia thesi raro invenitur nec fere nisi apud poetas duriores. — *enthymema*, hoc voc. usus et Iuven. — ceterum sat. diversum in modum hoc frgm. constituerunt Lchm. l. m. 4, Franck. I, 46.

23. hoc versu irrideri eos qui *laterem* et *latus* permutent usu monui d. r. m. 380. — *lutum et paleas* e. q. s.; cf. Paul. 187 *lutum aceratum paleis mixtum;* et Vitruv. II, 3 *lateres non de sabuloso luto sunt ducendi, quod — paleae in his non cohaerescunt propter asperitatem.*

24. nugas grammaticorum qui inter forfices et forcipes et forpices subtiliter distinxerunt irridere videtur Lucilius. — *forcipiumque;* ita dixisse videtur Accius [419. 501] *extispicium* et *principium*, quamquam mirum illum longiore forma uti voluisse ubi brevior magis apta

esset metro; unde plerumque suspicor librariorum haberi fraudem, qui male crediderint esse substantiva generis neutri. ceterum *principium* gen. etiam legitur in Attico Nepotis 17, 3. *municipium* habes in Ciceronis oratione pro Plancio § 19, si fides codici optimo. cf. Lachm. ad Lucr. I, 744.

26. *decusis*, *decusibus* pro *decussis*, *decussibus*. — apparet ex loco Varronis, qui totus conferendus, dubitare Lucilium *hoc decussum* sit melius, ut suppleatur aes, an *hic decussis*, ut as; quia etiam diceretur a multis *hoc dupondium*, non *hic dupondius*. et potuit sane videri minus accurate inquirentibus ablativus *decussis*, *centussis* in talibus *decussis constare*, *centussis emere* similibus. — *decusis*, *decusibus;* codex Festi 334, 34 *decusis valebat.*

27. *fervere;* pendet verbum a prioribus, quae quia ad rem non faciebant, omisit Nonius, sicut in proximo fragmento illa *fervit aqua et fervet.* quamquam potest etiam positum esse illud *fervere* sicut supra est: *r. nonnullum habet hoc cacosyntheton.*

28. *ad annum*, *proximo anno;* cf. Lchm. comm. Lucr. 79. — contrarium est *anno*, *anno superiore.*

29. finxisse hunc v. Barthium, dubiae alioquin hominem fidei, ab omni abhorret probabilitate, cum ipse non magis quam Isidorus recte perspexerit sententiam eius. — igitur usus ille locupletiore codice differentiarum, et addendus hexameter hic post paragr. 37 cap. 49 tomi V ed. Arev.

30. *sic item apud se* e. q. s.; sane fatendum in ipsis Lucilii scriptis regulam ab eo propositam violari, ea tamen excusatione quod oratio est mulieris. extat versus quem dico l. XXX:

bito apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam. —

ceterum sicut hic *ad* et *apud*, ita alibi in hoc libro quin *ad* et *at* distinxerit Lucilius non est dubium; neque abhorret a probabilitate eam scripturae differentiam qua nos utimur in distinguenda praepositione et coniunctione Lucilio auctore evenisse.

32. *isti*, ubi monosyllabo in fine versus posito minora animalia explicantur. *gratiores; graviores* Franckenius contra sententiam Servii. conf. etiam Quint. VIII, 3, 20. — ceterum satis saepe finiri hexametros Lucilianos monosyllabo praecedente plusquam monosyllabo notum.

26. *hinc* e. q. s.; etiam sacrorum ritus l. VIIII persecutum esse Luc. fragmentis et hoc et sequente quibus de Saliarium sacerdotum caerimoniis agitur videtur adstrui. — *capidas;* fugit Priscianum illud *capidas* non minus apte atque adeo nisi fallor rectius posse repeti a nominativo *capida;* sicut *cassida*, *chlamyda*, *lampada* similia pleraque reperiuntur.

37. *inde;* hic solita in Festi verbis restituendis felicitas destituit Odofredum Muellerum, qui nulla membranarum auctoritate iutus scripsit *ollim* pro *inde.* nam etsi hoc ipsum vocabulum alibi reperitur apud Lucilium, tamen ut eadem atque *illim* sive *illinc* adhiberetur ab eo

significatione, nullo modo fieri potuit. videnda quae dicentur ad l. XXIII.

38. *ad faciem* e. q. s., supplendum ut puta *respicitur.* — *opus;* recte dicit Lipsius falli Nonium; *opus* positum pro eo quod est *res.*

39. *centum*, *meretrices.*

42. *crisabit;* cf. de hoc v. Scal. ad Priap. 19, 4. — ceterum dubium utrum illud *crisabit* (*crisandi* voc. primus resuscitavit Lchm. com. Lucr. 276) an quod propius abest a scriptura tradita *crusabit* Lucilius dederit: nam utrumque suis testimoniis firmatur. ap. Iuv. 6, 322 legitur *crisantis;* in glosis Stephani *crisat* κελητίζει; Char. 260 *crisat;* Diom. 293 *crisat;* sed ibi in codice Parisino 7494 (nam deficit 7493) habetur *crusat;* eaque forma pari fere qua altera membranarum auctoritate adseritur Martial. XIII, 203, 1. mirum referre Dousam ad Lucilii h. l., quae profert Donatus ad Ter. Eun. III 1, 31, hic aperte cum tangat Lucretii quae sunt l. IIII a v. 1263 ad 1277.

43. fuit cum suspicarer reponendum esse apud Nonium *parastatai* et sic reliqua; sed videtur recte habere illud parectatoi quamquam deficiente apud Graecos similis dicendi usus exemplo. — *hinc* quam facile inter *i* et *c* excidere potuerit sat apparet. — *chl. ac b. pr.*, suppl. ut puto *contingunt.* — *parectatoi;* hiatus ut in voc. Graeco satis habet veniae. — verba Varronis ex libro de compositione saturarum, quae claudunt Nonii lemma ita sunt scribenda: *parectatoe* (*parectate* G, *praeutactae* L 1) *adsunt mulierque venusta.* vulgo *mulierque mulier Venus caput. caput* (cap̄) sequente pro (ꝑ) labem traxit. ita 187, 5 in Lugd. primo legitur *volup̄ pro*, non *volup pro.*

45. *huic zopyriatim*, ita omnino fuit rescribendum: nam aperte is tangitur de quo lib. XXII Lucilius

Zopyrion labeas caedit utrimque secus.

fuit is haud dubie servus Lucilii isque plagosus. — *zopyriatim* ut alibi *zonatim; zopyriatim* pro *zopyrionatim* ut *Scipiades* pro *Scipionides.* — glosae Isidori *tongiliatim loqui*, *pravis verbis*, *a Tongilio parasito* e. q. s.; qui locus addendus comicorum latinorum reliquiis. — *hoc* pro *huic* positum in cdd. eodem vitio quod habes compluries in Luc. frgm. dictum de ea re supra.

46. fuit qui crederet haec scripta a Lucilio ut distingueret lōra a lŏra.

X, 1. in primore libro fuisse sita illa quibus castigaret Ennium et Accium sive alios poetas Lucilius declaratur eis quae in vita leguntur Persii.

3. abundantiam synonymorum in tragicis Latinis videtur ridere Lucilius. — *viētus;* cf. d. r. m. 257.

4. *firmiter essent;* ita communi usu dicitur *bene* seu *male esse.*

5. vulgo barbare *praevalidis in funibus.* — *sin* pro *si.* — *aptas;* nugatur Nonius; nec enim adiectivum sed verbum est illud *aptas.*

7. *Crassis;* ex nobilissima gente Licinia. nominatim memorat Lucilius primum L. Licinium Crassum consulem a. u. c. 663, oratorem suae aetatis cum M. Antonio nobilissimum, qui primas partes in libris Ciceronis de oratore optinet. hic Lucilium sibi quod Q. Mucio socero suo esset subiratus minus quam vellet ille familiarem fuisse dicit de or. I, 16, 72. deinde ab eodem poeta memoratur M. Licinius Crassus *ἀγέλαστος*, avus triumviri. — denique potest fieri, ut etiam P. Licinius Crassus Mucianus Dives, consul a. 623, respiciatur h. l. — *discribsimus* honores, cum de veris ac falsis discernendis ageret. — de *discribendi* verbo quod etiam reddendum Hor. c. II, 13, 23 videnda quae dixit Buechelerus m. Rh. XIII, 598 sqq. — *hoc est: quid sumam* e. q. s.; nempe non promiscuos honores affectant sed cum iudicio electos et loco quo par est habitos.

10. '*ne! quem in arce bovem discerpsi*'. locus difficillimus et ne librorum quidem consensu firmus. nam etiamsi haud spernendis testibus adseritur illud *quem*, omittitur idem codice optimo. et errasse scholiastam qui dixit *ne* esse *valde* vel *o quam* comprobavit Fleckeisenus philol. II, 69. semper quippe particulam illam sequi solet pronomen aut personale aut demonstrativum. igitur proximum videtur vero (modo recte habere statuamus *quem*) *ne* (sive *nae* magis placuerit) accipi pro Graecorum *ναί* addita interpunctione gravi, ut verba sint respondentis interroganti de praeclaro quodam illius facinore. minus bene Lachmannus diverbium esse statuit in versu isto, ut illud *magnifice* sit assentatoris cuiusdam. immo eum, cuius sunt haec *quem in arce bovem discerpsi*, nimium sui adsentatorem fuisse apparet. nam ea quo pertinerent monuit Iahnius Hermae III, 181, qui hunc versum testimoniis de ingenti illo bove aheno in arce Atheniensium posito [cf. Paus. I, 24, 2 cum interpr.] addendum censet, videri autem haec verba secundum exemplar comici Graeci posita. — *quem* cum hiatu; cf. d. r. m. 307. — *magnifice inquit*. adverbium melius ad subsequens quam ad praecedens verbum referri iam intellexit is qui ed. Rom. confecit. ita l. I *ut diximu' σεμνῶς*; Liv. XXV, 22 *quibus Hannibal magnifice respondit et antea se solvisse obsidionem et nunc adventum suum consules non laturos.*

XI, 1. l. XI res Gallicas sui temporis videtur tetigisse Lucilius. namque illa primum aetate Fulvius Flaccus mox Sextius Calvinus tum Domitius Ahenobarbus cum Fabio Maximo bellum intulere transalpinis Gallis. de qua re videnda quae leguntur apud Momsenum hist. Rom. II, 164, 5 ed. IIII. — *bracae* e. q. s.; de Gallico quodam conventu agi manifestum. — *torques induti;* Cic. de fin. II, 22, 72 *si voluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus et ex eius spoliis sibi et torquem et nomen induit.*

3. *viai sternendai;* videntur significari viae post devictos a. 623 Allobroges et Arvernos in Gallia Narbonensi structae. — *viai sternendai iaciendum huc agerem et id genu' rudus;* negat Lachmannus comm. Lucr. pg. 40 in dativis reperiri disyllabum *ai;* a quo dissentit

Buechelerus de Lat. declin. 53, non recte, cum apud Charisium pg. 7 nugae merae referantur de positis a Vergilio et Ennio hisce *aulai medio* et *terrai frugiferai,* quae recte genetivo asserit qui scripsit de nomine et pronomine pg. 127 ed. Endl. certe h. l. cur dativum potius quam genetivum existimemus illud *viai* non habeo; genetivos in ai frequentes fuisse Lucilii libris ut post editionem nostram haud erit obscuram, ita fatendum ne semel quidem corruptelis carere propter imperitiam librariorum, qui vix quidquam peius odere forma ista: quis tamen aperta metri necessitate ut puta in his *rutia*, *ferat*, *vim*, *patriae* aliud latere opinabitur quam *rutai*, *ferai*, *viai*, *patriai?* — *agerem* pro *aggerem.* — *rudus;* nugatur Nonius; meliora de vocabulo *rodus* sive *raudus* vel *rudus* (veriloquium si omiseris) adfert Festus 265. ceterum *raudus* posuisse Nonium probabile fit propter etymologiam quam dat. — cf. de formis *raudus rodus rudus* interpr. ad Fest. 265. 275; Ritsch. op. II, 425.

4. aperte tangitur is, de quo VII, 3 haec extant dicta:

> nunc praetor tuus est meu', si decesserit horno
> Gentius. —

noster; videnda quae diximus ad VII, 3. — *quam spurcu' sit ore* i. e. *incestus;* suppl. *narrabo* vel simile. male vulgo *spurcust.*

5. *annos* e. q. s.; eiusdem haud dubie verba, qui fragm. 4 loquens inducitur.

6. de Granio ita Tullius pro Planc. 14, 33: *ille L. Crassi, ille M. Antoni voluntatem asperioribus facetiis saepe perstrinxit inpune.* idem ep. ad fam. VIIII, 15 Granios cum Luciliis Crassisque et Laeliis facetiarum veterum et urbanitatis ponit exempla. non fuisse aequalem Africano, sed aliquanto minorem satis comparet.

7. *reges*, i. e. *homines dites ac potentes*, ut ap. Hor. sat. II, 2, 44 *necdum omnis abacta pauperies epulis regum.* videnda quae nuper notavi ad art. poet. 63, 4.

8. *tribunatus*, a. u. c. 647. — ceterum quam festivum in modum abusus sit Heusdius his Ciceronis verbis (in quibus iubet reponi *pueris* pro *bis*) ut demonstraret cum hoc collocutum Lucilium infra memorabo.

10. *Scipiadae;* P. Cornelium Scipionem Aemilianum Africanum minorem alloquitur, cuius vitam cum publicam tum privatam mira libertate ac suavitate perscripsit; alio hercule modo ut diversa temporum condicione quam quo Horatius Maecenatem sive Augustum saturis suis celebravit, sed non minus apte et eleganter. — ceterum videnda quae dixere de Scipione Orellius onom. Tull. pg. 187; Momsenus hist. Rom. II, 83 sqq. 103; Gerlachius propria dissertatione cui inscriptum est de P. Cornelio Scipione Aemiliano et tempore eius, inserta illa libri cui titulum fecit studiorum ad historiam pertinentium parti II [pg. 44 sqq.].

Asellus, *Tiberius Claudius*, equestris ordinis. hunc P. Scipio in cen-

sura, quam cum L. Mummio Achaico a. 612 egit, equo adempto cum in aerarios retulisset, a. 615 ab Asello tum temporis tribuno plebi, in iudicium vocatus est. ibi cum ei esset obiectum ab accusatore, lustrum ab eo conditum infelix fuisse, quod pestilentia id consecuta erat, Scipio 'noli mirari!' inquit; 'is enim qui te ex aerariis exemit lustrum condidit et taurum immolavit'; cf. Cic. de or. II, 66, 268. hunc equidem plerosque aequalium Lucilii iocos, quos affert volumine illo, ex huius ipsius scriptis petisse existimarim. alterum eiusdem Africani in Asellum dictum memorat Tullius paragr. 258 libri quem attuli. — alia quaedam de hoc homine notavit Heusdius pg. 223—25.

11. *L. Cotta*, ex gente Aurelia qui tribunus plebi fuit a. 600, consul 610. is enim tribunicia potestate conatus est abuti ad frustrandos creditores; neque ab eo incepto nisi collegarum minis deterritus. refert rem Valerius Maximus VI, 5, 4; qui ib. 4, 2 Cottam ob insatiabilem avaritiam a Scipione in senatu perstrictum refert. veteratorem habitum refert Tullius Brut. 18, 81. — ceterum cf. Heusdiani libri pg. 222, 3. — *Crassi* — *panaethi;* de hoc nihil constat; sunt qui L. Cottam tribunum plebi a. 659 fuisse credant, neque proprium nomen Crassi sed adiectivum existiment atque adeo per ironiam adiectum illud *panaethi,* quod si recte habet debet esse *splendidi*, *liberalis.* fuit cum cogitarem reponendum *Panaeti,* et scripta haec ad Paenaetium Stoicum, amicum P. Scipionis, modo aliter constaret de carminibus Lucilii ad Graecos datis. — *magnu' fuit trico;* ita omnino scribendum iudice eurythmia, altera lectio librariorum evenit arbitrio, quibus hic ut toties alibi displicuit abiecta in fine *s*. — *solvere nulli lentus;* falsam esse Nonii explicationem probe perspexit Scaliger, quamquam nec ipse nec ceteri recte expedivere verba. est autem *lentus* idem ac *pertinax*, quod et ipsum cum infinitivo iunxit Horatius l. III *ludum insolentem ludere pertinax.*

12. *Q. Opimius*, consul a. u. a. 600. huius famosam teste Lucilio adulescentiam facete perstrinxisse Egilium quendam refert in libris de orat. [II, 68, 277] Tullius. nam cum Opimius illum qui videretur sed falso molliculus interrogasset 'quid tu, Egilia mea? quando ad me venies cum tua colu et lana?' respondit ille 'non pol audeo. nam me ad famosas vetuit mater accedere.' — *Iugurtini;* L. Opimium consulem a. 633 dicit, qui princeps fuit legationis a senatu missae, cui Hiempsale interfecto regnum Numidiae fuit dividendum inter Adherbalem et Iugurtham. ibi cum incontinentius se gessisse docet Sallustius Iug. 16 *homo clarus et in senatu potens*, *quia consul C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. eum Iugurtha tametsi Romae in inimicis habuerat*, *tamen accuratissime recepit*, *dando et pollicitando multa perfecit*, *uti famae*, *fide*, *postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret.* unde idem a. 645 lege Mamilia damnatus et in exilium actus. — *formosus* h. l. omnes libri; idque recte propter sequens *famosus:* quod contra reliquis in locis ipsis ducibus membranis restituimus illud

formonsus; cf. de hac forma quae disseruere Schmitzius m. Rh. XI, 301; Ribb. prol. Verg. 434; Ritsch. op. II, 715.

13. *Cassius Gaius;* sic alibi apud Lucilium *Cornelius Publius*, *Trebellius Lucius;* et apud Acc. *Macci Titi;* sicut etiam in prol. Merc.; ita Pac. *Pacuvi Marci;* Enn. *Cornelius Cetegus Marcus;* et in epitaphiis Scipionum *Cornelius Lucius;* Hor. a. p. *Cascellius Aulus;* et ne a pedestri quidem sermone ea nominum inmutatio prorsus aliena; videnda quae Ritsch. att. parerg. pg. 15. — ceterum intellegitur poetas adulta arte ab addendis cognominibus et magis praenominibus in altioris praesertim spiritus carminibus abhorrere. — *Tullius inquam; Tulliu' quidam* Scal., minus recte, cum abhorreat a probabilitate de re prorsus ignota ei ad quem loquitur verba facere Lucilium. — *et*, ut apud Hor. *transvolat in medio posita et fugientia captat;* ap. Tac. *factum senatus consultum atrox et irritum; insidiarum in Neronem magna moles et inprospera.* — magis tamen permoveor ut credam a Lucilio venisse quod Scaligero placuit sive quod nos proposuimus.

15. *languet*, i. e. *marcet*, per luxuriam.

16. *hicĕ*, d. r. m. 317. — *stricosus* i. e. *strigosus;* ita libri Nonii 168, 25 in verbis Masurii Sabini *ecum nimis stricosum*, apud Gellium IIII, 20 cum feratur *strigosum.* — *bovinator;* id non recte vocabulum apud Gellium et Nonium explicatur; quos ipsum illud *ore duro* errorem dedocere potuit. melius Paulus 30 *boviniatur conviciatur* (immo *bovinator conviciator*). — ut *stricosus* ad corporis deformitatem spectat, ita *bovinator* ad animi.

17. fuere qui ad ipsum Lucilium hunc versum pertinere putarent. ea si recte habeat opinio — vix autem probaverim — vel invito in mentem revocabitur quod Horatius de se narrat sat. I, 6

> causa fuit pater his, qui macro pauper agello
> noluit in Flavi ludum me mittere —
> sed puerumst ausus Romam portare docendum
> artes, quas doceat quivis eques atque senator
> semet prognatos.

XII, 1. quantum ad Nonii verba, videnda quae notavimus ad VI, 22. ceterum utriusque sententia fragmenti simillima. nam erat supra:

> quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
> ducere protelo validis cervicibu' possent.

2. illud *probiter* coniecit Gulielmius. sed bene habet quod traditum est, modo ita accipias: *et pariter hoc sit firmiter fixum tuo pectore.*

3. *hemini;* cf. Ritsch. op. II, 493. — *huic h.* de eo qui verba facit ut ap. Hor. s. I, 9, 47 et saepe alibi. ita Graeci ὅδε.

5. *victus* est genetivus.

6. *me et fratre*, fortasse ad ipsum haec spectant Lucilium. — *me;* ita Ennius lib. II *siquid me fuerit divinitus;* cf. Fest. 161.

XIII, 1. illud *cum* coni. potius quam praep. esse existimo.

2. h. l. vanam imperatorum Romanorum qui triumphi honore poterentur perstringere videtur Lucilius superbiam. — praecessisse existimo quibus victorias militum potissimum virtute et industria parari memoraret; cf. Curt. VIII, 1, 28 *Clitus Euripidis* [Androm. 693—698] *rettulit carmen, quo significabatur male instituisse Graecos, quod tropaeis regum dumtaxat nomina inscriberent: alieno enim sanguine partam gloriam intercipi.*

3. *fatumque*, supplendum *parile.*

4. *pauperitiae* pro *pauper uti;* ita infra XXVII, 12 *aliti* pro *aut;* XXX, 39 *illiae* pro *illei.* — ceterum quae sequuntur apud Nonium Ciceronis l. d. rep. III attributa *et non pauper uti oratio* (in quibus illud *oratio* ad proximum ex VI testimonium pertinere iam monuit Iunius) sintne revera Tullii, quem etiam in isto opere ut alias Lucilii memorem fuisse scimus, an in margine antiquitus addita ad emendandum id quod est *pauperitiae* et mox alieno loco illata Ciceronis verba expulerint, non iam licet certo definiri. propius adeo a vero illa *lib. III — et in* omnino expungenda.

5. ad hoc fragmentum simul et ad illud quod legitur ap. Non. 513, 13 pertinet Prisciani illud 1010 *Lucilius ampliter ignaviter.* — omnino adverbia quae leguntur ib. ab illo *insaniter* usque ad id quod est *properiter* petita ex Nonii cap. XI. id si respexissent Ribbeckius et Vahlenus, poterant errorem evitare, quem commisere ille in trag. lat. rel. pg. 62, hic in Ennii fragm. recens. 180. — *accumbimus mensam*; ita Accius 217 *ne quisquam accumbat mensam;* Lucr. V, 608 *stipulam accidere incendia;* Caelius annali VI *omnes simul terram cum classi accedunt.* — quamquam cum in libris sit constanter *mensa*, suspicor plerumque dedisse Lucilium *extructai — mensai.*

7. *epulai;* Paulus 82 *epulam antiqui etiam singulariter posuere;* ubi affert Muellerus cap. 35 itinerarii Alexandri, quod Maius primum edidit. — ceterum Lucilius aperte distinguit inter epulam et epulum, ut hoc pretiosorum et rarorum, illam vilium et communium ciborum esse dicat.

8. Iuven. 9, 5

nos colaphum incutimus lambenti crustula servo;

cet. cf. Bentl. ad Hor. sat. II, 6, 109.

9. *dominia* trisyllabum attenuata et propemodum exempta *i;* cf. d. r. m. 249. erat cum crederem Lucilium dixisse *domina* sicut Attius dixit *augura.* sed mutavi sententiam. — *omnia* disyllabum.

10. *Syracusis sola;* videnda quae dicentur ad inc. 23. *pasceolus*, *φάσκωλος*, *p* pro *ph* posita ut *Pilipus* pro *Φίλιππος*, *Prunis* pro *Φρυνὶς* in inscriptione parietaria Pompeiana [c. i. Lat. IIII, n. 2953]. sic constanter Lucilii aequales. *-eolus* pro *ωλος*, sicut Augustus *baceolum* dicere solebat quem Graeci *βάκηλον* inflexo externo vocabulo ad similitudinem diminutivi Latini. — contra ap. Paulum 223 habes

phascolia (ita scrib., cdd. cum L 116 *phascolla*, v. *phascola*) *appellant Graeci, quas vulgus peras vocat.* — ceterum mirum illud *aluta men* sive *alutamen* ita ortum esse suspicor, ut antiquitus fuerit traditum per errorem *aluta. M. Cato*: nam aliquotiens in codice Leidensi legitur *men tullius* pro eo quod est *M. T.* male intellecto compendio *m̃*.

11. *modō*, cf. d. r. m. 334, 5. — *ingenuos;* apparet pro corrupta codicum scriptura debuisse substitui vocabulum quo significaretur laudabilis aliqua unius illius quisquis fuit qualitas.

XIIII, 1. *ad regem legatus:* ad unum ex regulis illis Syrorum qui defuncto Antiocho Epiphane per multos annos turbarunt statum Syriae. — *Ecbatanam;* eadem forma reperitur in vulgata Maccab. II, 9, 3 *cum venisset circa Ecbatanam.*

2. *apreica;* aut ita scribendum aut quaedam lacuna hausta putandum demonstrant Porphyrionis verba.

3. *Carpathium mare transvectus cenabis Rhodi;* haec verba cum integrum efficere videantur trimetrum, cavendum ne specie decipiamur. nam ut abhorret ab omni probabilitate innotuisse Philargyrio iambica et trochaica Lucilii, ita aperte hoc fragmentum cohaeret cum illo *Carpathium Rhodus in pelagus se inclinat apreica;* et utrumque nisi vehementer fallor iungendum cum XIIII, 1.

4. suadet Lucilius amico ut remotus a re publica otio se dedat. qui si idem est quem alloquitur poeta frgm. 7 difficilior videtur fuisse ad voluptates vel innoxias.

5. de accusativo cum infinitivo qui indignantis exprimit orationem videnda quae dixit Lachmannus in comm. Lucr. 74 quaeque nos in libro nostro 438. — *ἢ πᾶσιν νεκύεσσι* e. q. s.; od. XI, 491. ceterum notum illud Catonis de Scipione minore

οἶος πέπνυται· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

— *ac* pro *a*, ut in verbis Varronis 264, 21 *ac morbo stimulatus eodem.*

7. verba Lucilii ad hominem morosum. sensus talis: hae deliciae non deterius sunt interpretandae quam naumachia vel tesserarum sive calculorum ludus. si animo tuo morem geras aliquando, nihilo peius vives quam antea; ex quo apparet quod vulgo legitur *rectius* contrariam ei qua opus est efficere sententiam. — *delectes* pro *si delectes.* — *sectius;* cf. de hac forma Varr. ap. Gellium XVIII, 9, 4 testimonium et quae disputarunt Ritschelius prol. trin. 74, Fleckeisenus m. Rh. VIII, 221 sqq. adseruit eam Plauti Menaechm. V, 7, 57 Varro, eiusdem trin. I, 2, 93 Ritschelius.

9—12. cenae rusticae descriptio. — *proseciam;* ita Varro lib. XI rerum humanarum dixit *prosiciem: prosiciem extorum vel in mensam porricere;* idque etiam Lucilio vocabulum perperam restituebat Scaliger.

10. *illud* pro *hilum*, ut *illum* in versu Turpilii 21, 26 *ei perii! viden ut osculatur cariem? num hilum illaec pudet?* et in illis

Pacuvii 410, 25 *nunc ne hilum exspectes, quando amico amiciter | fecisti;* ubi verum iam vidit Scriverius.

11. *macros palumbes;* Hor. s. I, 5, 72 *macros turdos.* — *palumbes,* non recte Dousa dedit illud *palumbos.* nam et apud Charisium antiquitus scriptum fuisse *palumbes* probatur ipsius grammatici verbis, qui sic pergit: *Varro autem in Scauro palumbi dicit, quod consuetudo quoque usurpavit.* et firmatur res excerptis orthographicis. *palumbes* semper dixit Horatius. cet. cf. Bentl. ad Hor. c. I, 2, 10.

12. *alium* pro *allio* ut in Varronis verbis ap. Non. 201 s. v. cepe et 131 s. v. lucuns. ita et saepe alibi. — *olit;* illud *olat* ex Afranio et Pomponio affert Non. 147; *olant* dixit Plautus in Poenulo et in Cornicularia.

13. de se ipso ut puto haec dixit Lucilius.

14. *nonne Cato* e. q. s.; hic cum posterior pars fragmenti sit salva et sensu et metro (nam unius voculae traiectionem non moror), cancelli in modum retrorsum cedenti erant reliqua instauranda. — *appellari, reprehendi, argui,* ut apud Ciceronem de off. I, 25, 89 *cavendum etiam ne maior poena quam culpa sit et ne isdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* — ceterum mollius fluent numeri, si ita reponas *non appellari quod erat sibi conscius ipse.* — haec autem verba haud inepte comparari possunt cum illis *non paucis malle* e. q. s.

15. *Tubitanus* pro *Tuditanus;* 18, 7 libri *ruberum* pro *ruderum.* — *Tuditanus;* ita ap. Ennium:

ore Cetegus Marcu' Tudītano collega;

cf. d. r. m. 367. — non sum equidem ignarus esse qui antepaenultimam in vocabulo illo corripiant opinionem secuti Atteii Philologi, quem dicit Festus 363 existimare cognomen illud inditum Tuditano, quod caput tuditi h. e. malleo simile habuerit. sed egregie falluntur. nam descendit haud dubie ab urbe quae est Tuder, pro quo olim dixere Tudes ut Gades (unde Gaditanus) pro Gaddir.

16. *praetor;* idem haud dubie, cuius mentio fit l. VII et XI. — *exinterandi* vocabulum quod Lucilio restituit Eyssenhardtius plane positum ut apud Plautum epid. 213 *expectando exedor miser atque exenteror.* — ceterum memoria dignum etiam in Apicii optimis codicibus scribi *extenterare.*

20. hic Nonius quem exscripsit corrupto duplici labe Lucilii exemplari deceptum esse apparet; neque enim potest dubitari, quin ipse dederit ille metro pariter ac sensu everso *tu quidem* et *largi.* et pro hoc quidem reponendum esse *large* olim intellectum est. ceterum totius fragmenti, quod ut pleraque Lucilii diverbio continetur, sensus hic videtur fuisse, ut quidam in curando aegro versatus diceret: utrum hoc (i. e. quod proposuit alter) magis expedit aegro an quod ei pane et carne interdico? negat ille alterum carne privasse aegrotum, quippe cui dederit ut puto *hillam* (sive aptius quis invenerit) largiter.

XV, 1. 2. *quorum in primis Polyphemus* e. q. s.; *pergula pictorum, veri nil omnia ficta.* verbi substantivi formae *est*, *sunt* tam frequenter omissae in Lucilii reliquiis (aliquando adeo illud *esse*), nullo ut pacto possit cogitari ubique librariorum fraude aut sensibus inperfectis id factum. ego potius usu communis vitae et imitatione sermonis quotidiani provenisse ellipsin illam arbitror. itaque videndum quae de comicorum et Lucretii placitis ad eandem rem spectantibus disseruere docti an ex parte sint retractanda. *ducentos* pro *permultis*, ut saepius apud poetas. — *navis* monosyll.; cf. d. r. m. 271. — quantum ad rem cf. quae de Cyclope dicta sunt Od. VIIII, 187—192, de baculo eius ib. 319—324.

2. hoc frgm. olim haud longe a praecedente fuisse positum multos habet numeros probabilitatis. — *Lamias;* cf. XXX, 39; Arist. eq. 690; Vesp. 1030. 1173; Prelleri mythol. Graec. I, 385 ed. I. — *Fauni Pompiliique;* Ennius *versibu' quos olim Faunei vatesque canebant.* — *ut pueri* e. q. s.; imitatus est Lucretius II, 55—58

nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
interdum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.

3. hic egregia et paene dixerim divina coniectura usus Lachmannus restituit Lucilio illud *multost Lucius* pro eo quod ineptissime, aperta tamen erroris origine legitur *multos Titos Lucios.* sed idem male neque ulla emendandi facilitate aut alia probabilitate adiutus scripsit *nam sanat* pro eo quod est *narcessibai:* quid enim sibi vult *sanare senium?* mihi satis constat agi de quodam homine molesto ac nugaci taediique pleno. nec illud obscurum, monstrum *arcesibai* quo sit ortum modo. nempe fuerat antiquitus traditum hoc: *arcebat.* (si) — *Trebellius Lucius;* vid. quae notavimus ad XI, 13: *Trebellius* ille quis fuerit, non constat. puto malum Lucilii temporum oratorem vel poetam; cf. Cat. 44, 10 sqq. — data occasione versus quosdam ex Afranii Privigna, qui in proximo lemmate leguntur, sanare conabor. ibi coniunctis Leidensis secundi et Bambergensis cum Guelferbitani et prioris Leidensis testimoniis (nam illi habent *interea verbis*, hi *interea verba*) rescribo:

interea verbis verba lactare (v. *iactare*) et labris interse velitari vellicarier (ita recte editor Basiliensis).

4. *dei*, cave credas esse synizesin. — *male te*, subaudiendum *perdant.* — *senium*, cf. Non. 1 sq.

5. sensus hic: equum qui talem, qualem modo descripsi, uno utque adeo duobus passuum milibus vicit Campanus nullus poterit sequi sonipes maiore viae spatio; ac diversus i. e. minime comes illi videbitur ire. — *ac* pro *atque adeo.*

6. *truleus* cdd., idque retinui; vulgo *trulleus. truleum* agnoscitur

a Varrone d. l. L. V, 118; ap. Nonium tamen 547 in huius pariter ac Varronis verbis legitur *trulleum.* — quod contra in Catonis frgm. quod extat ap. Festum 169 s. v. *nassiterna*, scribendum *trulios*, non quod Scaligero placuit *trulleos*. *trulius* pro *truleus* ut *labium*, *linia* al. — deinde Salmasii coniecturae adstipulandum duxi, qui ea quae sunt *stomis*, *pro stomide* restituit. non enim curo, quod in glosis Labbaei ex onomastico quodam latino graeco petitum legitur *postomis* ἐπιστομίς; nam ut absit mendi suspitio, potuere auctori illius esse fraudi ut saepe medio aevo evenit corrupta Nonii exemplaria. — nec compertum mihi quodnam illud sit lexicon vetus, in quo affirmet Dousa hunc v. ita scribi *postomides huic de naribus ingentes pendent;* unde hic refingebat *p. h. i. de naribu' pendent*, deleta voce *trulleus*.

7. *cerebrosum;* Hor. sat. I, 5, 20 *iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem sentimus, donec cerebrosus prosilit unus ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno fuste dolat.*

8. *XVII* quod uno loco tuentur membranae ex sequente *vilicum* originem traxit. — comma posui post *Aristocratem.* nam mediastrinus differt a vilico. cf. Hor. ep. I, 14, 14, 15. apud Columellam habes II, 23, 7 *posse agrum ducentorum iugerum subigi duobus iugis boum totidemque bubulcis et sex mediastinis.* — facile autem ut spero probabitur iudicibus peritis, quod nolui recipere illud *mediastinus* pro eo quod quinquies non minus legitur in omnibus codicibus Nonii *mediastrinus*, praeterquam quod 479 invenitur *meiastrinus*. et addicunt glosaria Labbaei, in quibus est *mediestrinus* περιχύτης, omissa prorsus altera forma; eadem alibi incertum quam recte, sed utique servata r *mestrinus* παραχύτης. — ceterum vocabulo quod est *mediastinus* utitur Hor. ep. I, 23, 14.

9. *qui* i. e. *quare.*

10. *primus* — *secundus* — *tertius*, ita alibi *commoda praeterea patriai prima putare, deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.* — *plurest;* sic idem *plure foras vendunt.*

11. *Syrophoenix;* h. e. qui pariter Syrorum nequitiam ac vilitatem et Phoenicum avaritiam et perfidiam exhiberet. ita Cleonem ut in eo simul Paphlagonum stupiditatem et coriariorum inurbanitatem inesse demonstraret βυρσοπαφλαγόνα dixit Aristophanes eq. 47; et similia passim comici vetusti.

12. *ter sex, aetate quasi*; *annis.* notum provinciam Hispaniam cum compositis rebus per T. Sempronium Gracchum annis ferme XXV in pace et otio fuisset, iam ab a. u. c. 600 usque ad 621 continuis bellis esse exercitam; cet. cf. XI, 5. — *ter sex anneis*, ablativus ut apud Varronem περὶ γεγαμηκότων *cuius ubi annis multis nullum masculi vestigium | inventumst;* ubi *cuius* monosyllabum. — *aetate quasi* cum hyperbole; nam ea tricenorum annorum habebatur. — *annos* pro *anneis* ut l. VII *quos oculi non sunt* pro *queis.*

13. graviter errasse Paulum in explicando hoc fragmento ratum illud *conducere* significare idem quod *expedit* certo apparet: qui suane

an Festi culpa lapsus sit non satis constat. — *quae — poena coegit;* ita libro V *dic quaenam cogat vis ire minutim;* Hor. ep. ad Pisones 292 sqq. *carmen reprehendite, quod non multa dies et multa litura cohercuit atque praesectum decies non castigavit ad unguem;* idem epistula ad Augustum 152 sqq. *quin etiam lex poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam describi.* haec pluribus persecuti sumus propter ea quae monuit Bentleius ad Hor. sat. I, 2, 45. 6.

14. nugatur Nonius. certe in oratoris fragmento quod sequitur verba Lucilii ergastylus significat eum qui carcere detinetur.

15. *tintinabulum;* pg. 40 habent G *tintinnire, titinnacula, titinnire, titinnat,* L 1 *cintinnire, tinam* (n) *tinacula, tintinnire, tintinnat,* Bamb., qui sola exhibet lemmata, *tintinnire, tintinnacula.* — cd. Festi 364 ubique habet id vocabulum tribus n scriptum. — ibidem s. v. tentipellium verba Titinii ipsa Festi annotatio evincit scribenda esse hoc modo:

tentipellium
induce, ut (cod. *inducitur*) rugae in ore extendantur tuo (v. *extenduntur*).

nam grammatici sunt haec: *Titinium ait Verrius existimare (tentipellium) medicamentum esse, quo rugae extendantur — cum ille τροπικῶς dixerit.*

17. *paenula* e. q. s.; aliter Varro Menippeus

non quaerendast homini qui habet virtutem paenula in imbri.

idem id genus *βαναύσους*, quales describit Lucilius, apte irrisit in satura *περὶ ἐδεσμάτων*; cf. Gell. XV, 19. — ceterum pg. 448, 24 et 27 legitur *penulam, penula;* non recte; vid. Fleckeiseni theses ad rectam verborum scripturam spectantes quas a. 1861 edidit pgg. 24, 25. — *utilior* satis dure dicitur cum proxime praecesserit *segestre.* nec tamen qui emendarem apte succurrit. minuitur fortasse inelegantia paullulum ea re quod veteres usque ad Valerium Antiatem masculinum comparativi interdum pro neutro posuisse auctor est Priscianus 767.

18. tangit morem mulierum hospitibus potius quam coniugibus se ornandi. — nota omissam particulam *si*, ut ipse Lucilius l. XIIII *delectes te, hilo non rectiu' vivas* et XXX *hoc missum facies, illo me utere libentei* et in Aetherione Caecilii: *voltis, emptast; noltis, non emptast.* Ov. a. am. I [277, 8] *conveniat maribus, nequam nos ante rogemus, femina iam partes victa rogantis agat.* — ita saepe alibi; quamquam exempla identidem fefellere doctos, qui per interrogationem accepere.

XVI, 1. *inscribitur*, a grammaticis, ut libri Homeri, eclogae Vergilii. — *de Collyra amica*, non totus, sed ex parte; nam etiam alia pleraque eo tractata esse sat constat; conectere tamen fragmenta quae extant sat pauca praeter duo non contigit.

3. aperte decoctorem perstringit Lucilius. et videntur ad ipsum illum data haec verba qui proximo versu tangitur.

7. *Cotus;* sollemne id nomen Thracae regibus. — hoc loco credibile est significari eum, cui cum a Persei partibus stetisset rege devicto veniam dedere Romani simul filio et obsidibus sine pretio remissis; cf. Momsen. hist. Rom. I, 781. de eo sic Polybius XXVII, 10 *ὁ Κότυς ἦν ἀνὴρ καὶ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν ἀξιόλογος καὶ πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας διαφέρων — καὶ πραότητα καὶ βάθος ὑπέφαινεν ἐλευθέριον.* — alium sui temporis Thracae regem cognominem, similiter et ipsum optimis studiis imbutum illum memorat Ov. ep. ex P. II, 9. — *demagis;* nugatur Nonius, quamquam etiam in Labbaei glosis legitur *demagis σφοδρῶς.* rectius Paulus 71 *demagis pro minus antiqui dicebant.* — videtur fere fuisse idem quod *e contrario.*

9. *transibit;* illud *transivit* ut satirico poetae non convenit, ita ne sententiae quidem aptum est. *transibit*, in descriptione *τοῦ ἀδυνάτου*; ut apparet ex eis quae de statua illa tradit Plinius XXXIV, 39: talis (Iuppiter) et Tarenti factus a Lysippo XL cubitorum — itaque magnitudinem propter difficultatemque moliendi non attigit eum Fabius Verrucosus, cum Herculem qui est in Capitolio inde transferret.

10. *ibat forte aries;* Hor. sat. I, 9, 1 *ibam forte via sacra.* — *exaptum pendere;* Cic. pro Caecina 18 *non ex verbis aptum pendere ius.* — *pendere* infin. historicus, ut VIII, 5 *abstergere.*

11. *producunt, augent, evehunt.*

XVII, 1. apparet hoc loco Lucilium feminas quasdam sui temporis quae aliis aut sibi certe viderentur bellae cum Homerici carminis heroinis comparare. — *uterum atque etiam inguina tangere mammis;* cum hyperbole haec dicta ut alibi *broncu' Bovillanus; dente adverso eminulo hic est, rhinoceros velut Aethiopus.* — *Τυρῶν* an *Τυροῦν* an *Tyronem* scribendum sit, plerumque dubito. — *dictum* pro *digitum*, ut in verbis Varronis apud Nonium 117 s. l. gangrena: *non vituperamus, cum scimus dictum praecidi oportere.* minus tamen recte puto Catullo tribui hanc syncopen, apud quem legitur c. 66:

non si me infestis discerpánt sidera dictis.

ita in pervigilio Veneris legitur *perviclanda.* — Iunius dedit *naevum pictum*, languidum illud et eversa concinnitate. — *conpernem aut varam;* Plautus in Silitergo: *sin ea mi insignitos pueros pariat postea aut varum aut valgum aut conpernem.* — *fuisse* disyllabum; cf. d. r. m. 271. — *atquei;* hac particula hic opus, non ea quae vulgo legebatur. — *Ledam*, hanc ultimo loco posuit, quia et ipsa erat pulcherrima et pulcherrimae mater filiae. omnia autem exempla feminarum forma insignium petita ex l. XI odyssiae, in quo habes v. 235 *Τυρὼ ἴδον εὐπατέρειαν*; 266 *Ἀλκμήνην ἴδον Ἀμφιτρύωνος ἄκοιτιν*; 298 *καὶ Λήδην εἶδον.* — *víde*, pyrrichiacum, ut videtur; cf. d. r. m. 340. *nunc* pro *num.* satis constat Romanos sequente *n* vel gutturali dixisse *nun* emolliendo sono, ut dixere *tuncum* pro *tum cum.* — ib. *καλιπλόκαμον, καλίσφυρον*; ita in inscriptionibus *Καλιστώ*, *Καλισθένης*,

Καλιτύχη, *Καλίτυχος* al.; dixere de his Nauckius phil. IX, 175 et Keilius anal. epigraph. 169, inscr. Boeot. 17.

2. illud *nempe* pro *nupta* dedi. vocativo enim hic non magis locus quam in vv. Prop. l. I c. 8 19 et 20, quos nuper emendavimus. — *nupturum*. ita dixit Sulla in XXI rerum suarum: *ad summam perniciem rem publicam perventurum esse.* similiter positi participii futuri exempla ex Plauti, C. Gracchi, Claudii Quadrigarii, Valerii Antiatis, Ciceronis, Laberii libris petita (a quibus plerumque abest verbum substantivum) habes ap. Gell. I, 7, 1—15. ibi in fine haec leguntur: *sicuti M. Cicero futurum dixit non virili genere neque neutro — soloecismus enim plane foret — sed verbo usus est ab omni necessitate generum absoluto.* — *Vlixen* cdd.; sed enim nullo pacto adducor ut credam Lucilium nomen iam ab antiquissimis inde temporibus populariter habitum ap. Romanos ad graecanicam normam inflexisse; ap. Non. 505 in verbis Accii recte Bambergensis liber *Vlixem*, ubi reliqui *Vlixen*.

3. *endo fur dominum;* in exemplo Iuniano, quod olim fuit Claudii Puteani, nunc autem in bibliotheca extat Parisina, praeter quaedam alia nullius pretii leguntur adscripta ad h. l. haec *endo fiuto* (immo *ferto*) *manum* addita nota M, qua manuscriptum librum significari, id quod visum Franckenio, ob ipsam illam lectionem parum est probabile. *capito — ferte*, ut ap. Prop. V, 5, 75, 6 *caedito — addite;* Priap. 48, 1; 3 *quod videtis — mihi crede;* Grat. 55, 56 *vel oppande — vel reponite.* — quantum ad rem, conf. leg. duod. tabularum I frg. 1. 2 ap. Schoellium: *si in ius vocat, ito. ni it, antestamino. igitur em capito. — si calvitur pedemve struit, manum endo iacito.*

4. *is*, fortasse P. Scipio. — *si vendi' Lavernae*, h. e. si venales proponis, si quaestum aucuparis carminibus.

5. *contemnit;* cf. d. r. m. 327. — duplex negativa pro simplici ut Ennius Erechtheo *lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis;* Varro Bimarco ap. Non. 530 *τρόπων τρόπους qui non modo ignorasse me clamat sed omnino omnis heroas negat nescisse;* idem de v. p. R. lib. II ib. 532 *qua abstinentia viri mulieresque Romae* (v. *Romanae*) *fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere.*

XVIII, 2. *aeque fruniscor ego ac tu,* ita vulgo, satis commode. ac tamen propter venerabilem Leidensis prioris auctoritatem plerumque adducor ut scribendum existimem: *aeque fruniscor res ac tu* _ ◡ ◡ _ ◡. *fruniscor* producta prima; cf. Ritsch. disp. de mon. epigr. III pg. 17. — laudem frugalitatis similem illi quam proposuit Hor. sat. I, 1, 45 sqq. contineri his verbis probabiliter statuit Franckenius II, 41.

XVIIII, 1. ad immensam pecuniae cupiditatem, qua senes non minus ac iuvenes teneantur, haec spectare haud improbabiliter coniecit Franckenius II, 41, qui adfert Hor. sat. I, 1, 62 sqq.

2. pro immoderato pecuniae parandae studio sobriam rerum futurarum curam commendat Lucilius. *sic*, ut formica; cf. Hor. sat. 1, 1, 28—35.

4. *pueri infantes;* cf. XV, 2. — *honustam*, vid. de hac forma Gell. II, 3, 3.

5. *paeniculamentum* scripsi, ut *paenula*.

7. *quare ut dicimus* e. q. s. — proverbialis igitur fuit dictio illa *non video, hic quid optem.*

8. *sume* i. e. *fruere;* nam nugatur Nonius. — *sume diem;* Ter. ad. II, 4, 23 *hilarem hunc sumamus diem.* — *qui est visu' tibi;* i. e. *quem vidisti.*

9. illa quae sunt *latere pendens* cum reliquis si recte codd. B. et Gen. tribuunt vol. XXVIIII, nihil equidem obstat, quin a Lucilio ex tragoedia Ennii in proprios libros translata esse existimentur sic:

latere pendens saxa spargens tabo, sanie et sanguine
atro.

ac tamen simpliciter iudicanti vel sic veri videbitur similius hic ut alias haud raro ap. Non. duo testimonia librariorum dolo conflata in unum.

10. malum poetam his verbis perstringi putat Dousa, qui confert Iuvenalis illud

vexatus totiens rauci Theseide Cordi.

sed rectius de actore scaenico qui raucitate impediatur ne bene efferat versus tu cogitaris. — Strattis in Anthroporraeste:

καὶ τῶν μὲν ἄλλων οὐκ ἐμέλησέ μοι μελῶν,
Εὐριπίδου δὲ δρᾶμα δεξιώτατον
διέκναισ' Ὀρέστην, Ἡγέλοχον τὸν Κιννάρου
μισθωσάμενος τὰ πρῶτα τῶν ἐπῶν λέγειν.

huc pertinere Lucilii versum parum probabiliter existimavit Lachmannus, cuius sententiam affert Meinekius frgm. com. Graec. V, 53. maiore iure Naekius opusc. I, 105 Pacuvii Duloresten respici putabat. quamquam potuere haec de quovis tragico dici cuius fabula bona ab actore malo corrumperetur.

XX, 1. imitatus est Horatius sat. II, 8, 10, 11:

his ubi sublatis puer alte cinctus acernam
gausape purpureo mensam pertersit.

3. hoc fragmentum cur XX potius quam XXX libro tribuerem duplex fuit causa. primum enim apte facit ad cenae descriptionem, qualem fuisse in illo volumine constat, non constat in hoc. praeterea cum l. XXX frequentissime omnium adhibuerit Nonius, tamen numquam citavit cap. III; quod contra XX memorat etiam in eodem s. v. *coluber.* — *pulmentaria et*, vulgo legitur *pulmentaria ut*, sanequam inepte, nam aliud esse *pulmentaria*, aliud *intubum* norunt rei culinariae veterum periti. — nec vero de coniectura intulimus Lucilii verbis illud *et*, sed revocavimus cdd. scripturam quae pg. 208 emendandi causa antiquitus addita in alienum locum derrarat. — *menarum*, ita recte scripti. —

mycliris ἀπὸ τοῦ μύσσειν; quamquam aliud huius vocabuli exemplum non fuit paratum. — sensus: si hunc cibum vilem putatis, vel vilissimum bonum existimetis licet.

4. *iam disrumpetur medius, iam*, h. e. *iamiam d. m.*; de parasito aliquo videtur agi. — ceterum ad firmandam suam coniecturam, qua proposuit ut scriberetur *clam* vir doctissimus cuius in adnotatione critica posui nomen, utitur verbis Aristophanis [Pac. 31] μὴ παύσαιο μήποτ' ἐσθίων τέως ἕως σαυτὸν λάθῃς διαρραγείς et Phoenicidis [ap. Athen. X, 415 E] ἐσθίει μέχρις ἂν διδῷ τις ἢ λάθῃ διαρραγείς. sed haec aliena esse ab hoc loco exempla facile apparet, neque quidquam est in vulgata quo offendare.

7. *Calpurni saeva lege in Pisoni*; latam de pecuniis repetendis a L. Calpurnio Pisone tr. pl. a. 604. nam illa quae a. 687 a C. Calpurnio Pisone de ambitu rogata est, diu post Lucilii mortem prodiit. — *reprendi* i. e. *repressi*; vulgo satis inepte *saevam legem P. r.*, cum vel *in* illud quod proximo versu male additur in cdd., demonstret antiquitus ap. N. fuisse traditum *saeva lege in*. — *eduxi animam primoribu' p. naris*; ad iram exprimendam, quae in hac sedem habere existimabatur. cf. Theorit. I, 18 καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται; Herod. mimiamb. 4 ed. Bergk. μὴ δὴ κόρη τὺ τὴν χολὴν ἐπὶ ῥινὸς ἔχ' εὐθύς; Pers. 5, 91 *disce, sed ira cadat naso*.

8. *detundete* i. e. *detondete*, id quod proposuit Guilelmius.

XXII, 1. *hic situs* omisso verbo substantivo ut in epitaphio L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis *is hic situs quei nunquam victus est virtutei*, in quo minus recte ut puto Lchm. comm. Lucr. 65 rescribi volt illud *situst*.

2. sententiam huius fragmenti optime perspexit Madvigius; nec de verbis ipsis (modo satis accurate rettulerit Tullius) erat desperandum. — metrum aperte elegiacum. — *hir* idem fermie quod *siphon*; cet. cf. de hoc vocabulo Char. 12 ubi indeclinabile esse testatur (aliter idem 27); Corssenii de pronunt. ling. Lat. I, 472 ed. II. — *siphoneve; siphove* Orellius; et agnoscitur *sifus* forma Festo 340. cet. cf. de siphonum usu Polluc. VI, 2; X, 20. Arist. Thesmophor. 556 σιφωνίζομεν τὸν οἶνον. — *cum nix et sacculus abstulerit*; notum plerisque veteres sacculis et nive usos esse ad colandum et refrigerandum emolliendumque vinum. Martial. XIIII, 104 de sacco vinario *attenuare nives norunt et lintea nostra*; Plinius h. n. XXIII, 45 (vinum Campanum) *utilissimum omnium sacco viribus fractis*. id fragmentum nisi fallor iam antiquo tempore traxit labem; nam qui affert ex hoc ipso Ciceronis loco putida illa quae supra posui, eum recisis quae essent corrupta reliqua qualicumque modo sibi adaptasse (sicut Paulus saepius fecit in Festo) satis apparet. — cet. *nihil cui* vix scribetur recte, quoniam Lucilius semper videtur dixisse *nil*.

3. ita probabiliter Lachmannus verba Lucilii ex obliqua oratione revocavit ad directam; possis etiam iambos reponere sic

cum ad me cubitum venerat,
sponte ipsa suapte adducta, ut tunicam et cetera
reiceret.

sed nescio qua de causa magis arridet quod placuit Lachmanno. hinc evenit ut libro XXII hoc fragmentum adscriberemus. — *tunicam et;* cf. d. r. m. 235; 300.

5. *petulis;* ita scribi placuit cum ob reverendam glosarii Lugdunensis auctoritatem, tum quod libri Noniani in versu Plauti sive is fuit Caecilii pg. 205 habent *petulis.* glosae Isidori: *petulus equus qui habet albos pedes.* — id vocabulum quod a πετάλῳ deducit Meursius exerc. crit. II, 108 quin corripiat paenultimam postquam Lucilii fragmentum suo libro restituimus paucis iam erit dubium. — nam et in versu Plauti sive potius Caecilii est (ut tamen Nonii culpa non librariorum illi cuius bis sub nomine redit adscriptum esse existimem) agnoscere mihi videor trimetrum, ita ferme concipiendum.

namqué coloratum fróntem habet, petilust, habrus.

neque me movet quod legitur pg. 205 *coloratilem* in quo latere *coloratum ille* statuit Ritschelius par. 171; etenim id nato *il* ex *u* ut saepe alias labem traxisse existimo. — ceterum memoria non indignum quod dicit Festus 205 petilam suram siccam et substrictam vulgo interpretari doctos.

6. *utrimque secus;* prostat id adverbium etiam ap. Lucr. IIII, 939.

XXIII, 1. de fragmentis veterum poetarum Latinorum quae Paulus Merula ex libro Calpurnii de continentia veterum poetarum sive ex Fornerii glosariis adferre se dicit post motas olim ab Hermanno [el. d. m. 628. 632] suspitiones accurate disseruit Iosephus Lawickius in dissertatione Bonnae a. 1852 edita; qui etsi in convincenda Merulae fraude quaedam aut omisisse aut minus recte disputasse mihi videtur, tamen tam bene munere suo functus est, non ut possit dubitari de perfidia illius. itaque rem actam agere supersedeo, illud addidisse contentus, glosographum illum sane uti videri fontibus reconditis, quippe cui lib. XXIII Lucilii patuerit, ex quo nemo praeterea attulit quidquam nisi unum versiculum, quem tamen et ipsum removimus, Priscianus. — ceterum liceat data occasione Lawickii quendam confutare errorem, quippe qui et ipse quadamtenus pertinet ad Lucilium. ille enim quae profert Merula pg. 264 e glosario *ollis ἐκείνοις. Pacuvius perea ollis opitularier cupio*, dicit exhibere tragici fragmentum aliunde ignotum. sed extat in Periboea (id ipsum nomen facili ut solet felicitate divinandi usus in tollendis corruptelis, quas ipse pepererat, de coniectura restituit Merula) ap. Non. 153 s. v. perbitere *nam me perbitere illis op. quovis exitio cupio.* sed hoc ipso testimonio evincitur hominis fraus. nam id quod est *olli* non scaenicis magis fuit probatum quam dactylicorum plerisque. iam satirici omni tempore eo abstinuere. videnda quae disseruimus 386 libri nostri. fuerunt tamen qui Lucilio sustinerent inferre. mansit usu vulgari adverbium *olim* h. e. *ollim*, sed enim significatione mutata.

XXVI, 1—5. exponit L. de rationibus proprii carminis et qui factum ut ad saturas scribendas applicaret animum. — Congum illum Rothius statuit esse eundem cuius ut hominis historiarum et antiquitatum et iuris civilis peritissimi meminit Cicero pro Plancio 24, 68 et de or. I, 60, 256; minus recte, cum illum non ita multo ante annum u. c. 700 decessisse sat constet cumque ipsa verba Lucilii significent hominem mediocriter doctum et litteratum. — ceterum fuere qui fragmentum illud quod l. XXIX in fine trochaicorum posuimus idem cum nostro rati Plinii testimonio fidem abrogarent, quod non potest fieri nisi socordiae omnem fidem superantis arguetur. — sed saepius eandem sententiam diversis verbis persecutum esse Lucilium vel sequenti Ciceronis apparet testimonio.

2. *Persius;* de hoc nihil traditum nisi Brut. 26, 99 *tum Atticus 'quid ergo? estne ista (oratio et bona et nobilis) Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. alii a C. Persio, litterato homine, scriptam esse aiebant illo, quem significat valde doctum esse Lucilius.'* — *Rutilius; P. Rutilius Rufus.* hic adulescens fuit c. a. a. Chr. n. 140; annis XXXV interiectis consul; post alios XIII iniuste damnatus et in exilium actus Smyrnam abiit, unde noluit reverti quamquam revocante Sulla dictatore. is Stoicorum disciplinae addictus et orationes scripsit et de iure quaedam patrio sermone; praeterea Graeca lingua historias et de vita sua libros edidit. — amicum fuisse P. Scipionis eiusque apud Numantiam militiae comitem testatur d. r. p. I, 8, 13; 11, 17 Tullius; qui multus est in eo memorando. dixere de eo praeter Orellium in onomastico Tulliano Ellendtius proleg. ad Brut. pg. 49 sqq. et Henrichsenus ad libr. de orat. I, 227. — *Tarentinis et Consentinis et Siculis;* minus recte suspicatur Wesenbergius, Lucilium cum ad hos potissimum iudices provocaret, qui bilingues Latino pariter et Graeco uterentur sermone excusasse facete orationem Graecis subinde verbis infectam.

3. sententiam Lucilii in loco lacunoso satis recte me cepisse existimo. verba ipsa quisnam sanus praestet? — *istis cum scriptoribus*, i. e. *pariter cum;* poetas autem carpit aequales. — *capere*, *devincire*.

6—20. diverbium Lucilii cum amico, qui eum hortatur, ut honores ac divitias paret et ad hoc operam suam pollicetur. huic Lucilius cum proprias vitae rationes longius frgm. X—XIX exposuisset consilium suum capessendi otii tandem approbat. *Tusci*; v. *tueri* quod per se absonum etiam suspectum per synizesin quam a Plauti libris abiudicat Ritschelius praef. Trin. 165. — *Tuscus* idem quod *aruspex*.

10. *numquam prius* e. q. s.; de medicis sermo est. — *numquam* pro *nequam;* nimirum erat scriptum antiquitus pervulgato errore *nuncquam* et quidem per abbreviationem *n͠cquam*. — sensus hic: sicut medicus non adhibet remedia nisi postquam valetudinem hominis exploravit, ita consiliis ad vitae rationes permutandas aptis abstinere te oportet priusquam animi mei penitus cognoris naturam.

13. *publicis* i. e. τελωνίᾳ. — *mutem;* nugatur Nonius. — *meos, familiares.*

14. *publicanu'; Cato* in praeceptis ad filium 143, 8 *illi imperator tu, ille ceteris mediastrinu';* libri *mediastrinum.*

15. *adeo* etiam ad posterius *male* pertinet. — *accipiunt* i. e. *habent*, ut ap. Ter. ad. II, 1, 12 *indignis cum egomet sim acceptus modis.*

16. *nitere* imperativus.

18. *vementer*, cf. d. r. m. 253.

19. sensus hic: quare lubenter a communi ac vulgari via declino. *deleiro* tamen ambigue dictum: nam poterat fieri ut amico Lucilii insanum videretur consilium tale. — *ruderum*, quae extra viam iacere solent. — ceterum versus Pomponii qui praecedunt ita sunt scribendi:

iamne abierunt? iam non tundunt? iamne ego in tuto satis?
numquis hic restat, qui nondum labeas leirarit mihi?

ubi illud *sum* quod vulgo additur post *ego* abest a Leidensi priore, non a Guelf.; eoque omisso magis vivida evadit oratio magisque fit laetum metrum. — porro *numquis* legitur in L 1 m. 1. — de coniectura scripsi *restat* pro *resistit.*

21—25. statum corporis et animi sui exponit Lucilius; et puto haec etiam ad praecedentem sermonem pertinuisse.

22. verba eius qui dubitat de sollicitudine Lucilii. — *signum*, morbi. — versus Enni qui leg. 134 s. l. *langiscere langidum fieri vel frangi* sic scribendus est: *cum soles tandem faciunt langiscere* (ita recte Vahlenus et Hugius, cdd. *sola est eadem faciunt* vel *facient longiscere*) *longei*, non *longe.*

23. *doloribus confectum corpus;* morbis et maxime febri saepe vexatum Lucilium sat constat.

24. *folliculo;* adfert Dousa ex Arnobii contra gentes libro II haec: 'nihil enim est nobis promissum ad hanc vitam nec in caruneulae huius folliculo constitutis opis aliquid sponsum est auxiliique decretum.'

25. turbatum aperte in verbis Nonii. nam ante illud *vescum minutum obscurum* reponendum utique *vescum cum fastidio edendi;* post Lucilii verba; suspicor etiam excidisse lemma ut puta *vescum ex edendi intentione dictum, Lucretius lib. I vesco sale saxa peresa.* ceterum erat cum scribendum putarem

quam fastidiosum ac vescum bibere ‿ ‿ ‿ ◡ ‿.

26—27. agitur de homine iactabundo et ob id importuno. — illud *mittis* haud dubie ex dittographia quam vulgo dicunt vocabuli *mutes* ortum. supra 38, 20 legitur *mittere* pro *mutires.* — *doctior — ditias*, Hor. sat. I, 9, 51 *ditior hic aut est quia doctior.* — *ditiae;* ita nuper restituimus illud *Pomponius Pythone Gorgone: ó hominem beátum quo illae pérvenibunt ditiae.* etiam apud Plautum idem voca-

bulum saepius invenitur sed vix umquam integrum; cf. Ritsch. prol. Trin. pg. 90.

28—44. postquam initio libri primi de satirici carminis propriorumque studiorum rationibus exposuit iam alia ecloga ad carpendos poetas tragicos, qui tum maxime in ore erant hominum, Pacuvium et Accium accingitur, quorum tumorem insolentiamque dicendi demonstrat petitis ex fabulis ipsorum exemplis.

29. *portenta anguisque volucris;* frequens id genus monstris producendis in scaenam Aeschylus; cf. Od. Muelleri hist. litt. Graec. II, 64.

30. unus hic est versus, quem et in satirici huius et in tragici aequalis carminibus olim extitisse certis traditum est antiquitus testimoniis, quae congessit O. Ribbeckius trg. Lat. rel. pg. 74. id tamen in tanta Romanae tragoediae reliquiarum paucitate cuinam erit mirum? ceterum saepius Nonio, quae affert, non ex ipsorum auctorum libris, sed ex aliorum, qui eis utuntur sive addito scriptoris nomine sive omisso, laudari solent. — nempe constat fuisse in Pacuvii Chryse octonarium talem:

di monerint meliora atque amentiam averruncassint tuam.

iam quod plerique doctorum Nonii testimonio quod legitur pg. 74 fidem abrogarunt, fatebuntur illi ut spero, quantopere eos fefellerit sententia. nempe Nonii vel ea re adseritur fides, quod omisit illud *atque*, quam voculam quia non quadrabat in metrum trochaicum omnino omitti a Lucilio necesse fuit. — inprobatur autem huic quod Pacuvius sesquipedali verbo et vetustate sordido uti maluit pro simplici et communi avertendi, quod ipse adhibuit l. XXIX.

31. haec quamquam etiam ad Hecubam sive Andromacham referri possunt, tamen nescio an ad Antiopam Pacuvii spectare dicam, de qua scripsit haec:

illuvie corporis
et coma prolixa inpexa conglomerata atque horrida.

squalitate summa ac scabie; ita Pacuvius Teucro: *squale scabreque inluvie et vastitudine. squalitate;* Nonium ipsum siquis existimarit dedisse illud *scualitate*, ut alibi *cuatere*, *cuassum*, *cuassare*, *cuadrifarium*, *cuerellae*, equidem minime repugnem. — alterum *summa* recte Nonius trahit ad vocabulum sequens. — *erumnam* sine *a* h. l. constanter ipsis corruptelis adserit membranarum auctoritas, nempe dictam si Ennio grammatico credimus [Char. 76], quod mentem eruat; sed quae et per a et e scribi possit quia maerorem (immo *aegrorem*) nutriat.

32. hoc fragmentum cum sequentibus duobus aperte sumptum ex tragoedia cuius ex primo potissimum et secundo Iliadis libro argumentum esset petitum. verba Achillis vel Thersitae Agamemnonem lacessentis probris, cf. Il. I, 149—160; ib. 226—230; II, 225—238. — *efferent se;* non quod Nonius putat *subdent se*, sed *ad capulum ibunt.* et id ipsum irridet Lucilius.

33. tumorem abundantiamque orationis castigat poeta; nam sufficiebat sane illud: *contionem cogant.* — quantum ad rem conferendi Il. II, 72; 83; 96—98. — *cogant*, *praecones.*

34. *domitionis;* glosae Labbaei *domitone* (i. e. *domitionem*) *ἐπάνοδον.* cet. omnino legenda quae diximus de hoc vocabulo pg. 420 l. n.; etiam in Pacuvii versu, quem adfert Nonius, restituendum idem. — ita Varroni Menippeo *domusionis* vocabulum probabiliter tribuit Buechelerus m. Rh. XIII, 586. — *domitionis;* etiam hic irridetur mos tragicorum verba artificiose composita et vasta sed sonis magis quam sensibus conspicua inserendi carminibus. — *imperium p. inm.;* cf. Il. II, 142—336.

35. haec apte ad Myrmidonas Accii referentur. *contemnificus;* irridet hoc vocabulum Luc. — *contemnificus*, ita Achilles de Agamemnone Il. VIIII, 378 *τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ.* — *fastidire Agamemnonis*; sic ipse satiricus I. VII *fastidimu' bonorum.*

36. ex armorum iudicio Pacuvii sive Accii videntur haec ascita, quamquam etiam in Philocteta Accii eis potuit esse locus. — displicuit Lucilio *de* pro *a* positum; vix enim credo illud *vis Volcania* pro *ignea.* cet. conf. Cul. 320, 21. — *idem vim; iam vi vim* Baehrensius, ut ap. Lucr. IV, 1210 *femina vim vicit subita vi.*

37. sermo ut puta de Aiace vel Iocasta. — *caelum* pro *aere* vel *aethere* ut saepe. Maro aen. VI, 436, 37

quam vellent aethere in alto
nunc et pauperiem et duros perferre labores.

bibat pro *hauriat* ut Horatius dixit *amphorae fumum bibere institutae* et Maro *longumque bibebat amorem;* idem alibi *si vescitur aura aetheria.* — cet. ipsum illud *caelum bibere* ut tumidius reprehenditur Luc.

38. ad Philoctetam Accii commode haec referentur. — illa quae sunt *inperf.*, *inbaln.*, nec minus abundantiam asyndetorum inprobat Luc.

39. inepte dictum illud *frigus exigere* pro eo quod est *depellere* vituperatur. ita etiam subabsurde Pacuvius Iliona *di me etsi perdunt, tamen esse adiutam expetunt* pro *volunt.* — et illa verba ad Philoctetam possunt referri, sed ut omissum sit Nonii culpa illud ex quo constabant vestimenta. nam Philocteta Accii, ut est apud Ciceronem de fin. V, 11, 32 pennarum contextu corpori tegumenta faciebat.

40. hoc frgm. cum seq. tanguntur poenae ducum Graecorum, qui expugnata Troia deorum excitarant iras. potuere ea sumpta esse ex Hecuba Accii. — *ei*, Aiaci minori. — *ei* spondiacum; cf. d. r. m. 272. — illud *propetratur* quod placuit Gifanio si recte habet, idem fere est quod *impetratur* vel *perpetratur*, non quod dicit Paulus 227 *mandatur.* — *pax*, ut ap. Vergilium aen. IIII *principio delubra adeunt pacemque per aras exquirunt;* et ita saepe. — illa *nec minima ei prosperatur pax* displicuere Lucilio.

41. *coniugem* e. q. s. ad Agamemnonem haec pertinent. — cur reprehenderet Lucilius in causa fuere ista *flacitam familiam*, *inpuram domum*, quae infra tragoediae dignitatem ei posita esse videbantur. —

flacitam subtracta c; cf. d. r. m. 360. — *flacitam*, ut *obitus*, *occasus* al.; vid. not. ad II, 19.

42. irridet illud *monstrificabile;* ut alibi id quod est *contemnificus;* et Persius Pacuvii *luctificabile.*

43. etiam hunc versum tragici esse poetae haud inepte statueris. certe illa *per auris pectus inrigarier* magis Accii Pacuviive tumori quam Lucilii conveniunt simplicitati. dixit sane Hor. ep. I, 8, 16 *praeceptum instillare auriculis*, sed videnda quae scr. Ritsch. m. Rh. IX, 476. — *p. inr.*, ita Lucilius ipse *quae res me inpendet.*

44. etiam hic versus tragicum aliquid spirat, ut Pacuvii Acciive tumorem irrideri eo appareat. maxime postrema tria verba displicuisse Lucilio existimem.

45. *victus vei*, *superatus proeliis;* asyndeton ut saepe alibi. — *in quo;* ita barbare libri; illud *in* ex proximis Nonii verbis irrepsit, ubi est: Vergilius lib. XI infantem. — quantum ad rem, et Livius l. IX dicit p. R. etsi nullo bello, multis tamen proeliis victum.

46. verissime hercule Lachmannus comm. Lucr. 329 monuit Nonium solita stultitia usum adiectivum putare nomen quod fuerit substantivum et proprium hominis. sed idem non magis sententiae veritati sive metri elegantiae quam traditionis fidei consuluit scribendo:

> contra flagitium nostrae re bello vinci a barbaro,
> Viriatho, Hannibale.

quod enim flagitium fuit Romanorum ab Hannibale vinci, quem summis cuiuslibet aetatis ducibus comparandum esse ipsi fassi sunt [cf. Liv. XXX, 30]? praeterea non ab Hannibale magis quam a Viriatho bello victi sunt illi; atque adeo ipse Lucilius hoc libro numquam populares suos bello superatos esse merito gloriatur. itaque apparet Nonium sive eum quem exscripsit, dum illud Viriato falso interpretantur, adsumpsisse perperam ex sequentibus substantivum unde penderet adiectivum quod videretur. at enim Lucilium certo spondeo dedisse utputa haec:

> contra flagitium nescire bellum, vinci a barbaro
> Viriato, Hannibale fuerant qui superiores duce.

similis Nonii ἀβλεψία ut saepius observatur, ita in illo Lucilii *quis hunc currere ecum nos atque equitare videmus, his equitat curritque oculis.*

47. *percrepa*, ad Musam conversus ait. — *pugnam Popili*, *facta Corneli.* ʻM. Popillius Laenas proelio victus est a Numantinis a. a. u. c. 616, bellum Africanus confecit 621ʼ Lehm. comm. Lucr. l. mem. — *Corneli; P. Scipio Aemilianus*, *Africanus minor*, maioris nepos adoptivus, cons. a. 607, qui Carthaginem et Numantiam delevit, amicus C. Laelii et optimo cuique probatus. idem litteris plene imbutus et Graecis et Latinis cum diu egregiam operam belli domique r. p. R. navasset, a. 625 factionis ut putabatur popularis insidiis oppressus diem obiit. alia de eo notavimus ad XI, 10.

48. haec ad quemnam pertineant non satis comparet. possis cogitare de Cassio Hemina vel L. Calpurnio Pisone Frugi qui post annum u. c. 600 historiam Romanam ab antiquissimis inde temporibus usque ad recentissima annalibus sunt persecuti. videnda quae dixit de eis Teuffelius h. l. L. 173, 4. — ceterum historiam Latino sermone ante L. Voltacilium qui fuit praeceptor Pompeii non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam notum. — *inductus studio;* nugatur Nonius.

49. *sudor se — expirat;* ita addito pronomine dixerunt Varro *irrumpere*, Accius *erumpere*, Avienus *inspirare*, Licinius Macer *contendere;* cf. d. r. m. 438.

50. sermo est de infante qui quid agat nescit. — *elevit* pro *elovit;* sicut statim apud eundem Nonium habes *eleviem* pro *eloviem.* ita alibi *gemiae* pro *gomiae.* — *elovit* pro *eluvit*, *elovies* pro *eluvies*, lege euphoniae, ut *hoius*, *quoius*, *quoi* pro *huius*, *cuius*, *cui; fovi* pro *fuvi*, *flovidus* pro *fluvidus*, *sovos* pro *suus*, *clovaca* pro *cluaca* al., qualia habes inscr. Lat. I, 608 et Corssenii libri I, 669, 70. — *eluvit* longa secunda ut apud Ennium *adnuit;* ita prima producta hic *fuimus*, *fuisset*, Lucretius *fluidus fluida;* cf. d. r. m. 246. — qui statuit pro *elevit* ponendum *illevit*, vocabuli quod est *eluvies* rationem non habuit.

52. *Syrus* h. e. homo nequam, ut alibi *Lydus* velut in illo Caecilii [56] *hunc collum Ludo praecidi iube.* ita Phryges et Paphlagones pro stultis. — *ad* pro *ac* scriptum a librariis quia sequitur *masticias.* — *masticias*, *c* pro *g*, ut *concerae* pro *congerrae*, *maco* pro *mango* similia. ita 41, 6. 8 *sticmatias, sticmatiam.* cet. in most. Plautinae v., qui leg. 55 s. v. culinam cdd. Nonii habent *mastigia.* — *versipellis fio et;* Plautus Amphitr. prol. 123 *ita versipellem se facit, quando lubet.* — quantum ad elisionem, cf. d. r. m. 278. — ceterum apparet non de semet ipso dicere haec Lucilium.

54. *capital* ita definit Paulus 48: *facinus quod capitis poena luitur.* — ceterum similis sententia ap. Macrob. II, 4, 21: temporibus triumviralibus Pollio, cum fescenninos in eum Augustus scripsisset, ait 'at ego taceo; non est enim facile in eum scribere qui potest proscribere.'

55. *mysteria ecferres foras;* Ter. Phorm. V, 8, 65 *vides peccatum tuum hoc esse elatum foras.*

56. *cerniculum* (norunt id vocabulum glosae Labbaei) h. l. quod alias *incerniculum* τηλία, mensa in qua farinas et id genus alia vendunt. — ceterum vitium membranarum eo ortum esse apparet, quod

ernam

antiquitus esset traditum *lucem laterem*, cum deberet esse *lucem la-*

ernam

terem. vestigia veri praeter Dousae codicem interpolatum servarunt Leidensis primus cum Bambergensi.

57. de infinitivis in *assere* exeuntibus cf. Madvigii op. II, 71. affert Franckenius II, 33 ex Philoxeni glosis etiam illud *abiugassere.* *depeilassere;* contra correpta *i*, ni fallor, XXVIIII, 29. — *calau-*

tica et quae ab eo descendunt vocabula etiam per *n* scribuntur; semel etiam invenitur *calvatica* in codice Taurinensi Ciceronis or. in Clod. et Cur. 530, quam veriorem formam male putat Franckenius II, 33. neque enim ab eo quod est *calvus* descendit vox sed ab eadem stirpe qua *caliendrum*. — *speculo despeculassere*, ita alibi *legibus exlex*. — ceterum fuit cum suspicarer propter lemma maxime Nonii reponendum esse etiam hic *depeilassere*. quae si recte habet opinio, diversi locis, non continui olim fuere versus illi.

59. haec si recte constituimus, irridet Lucilius superstitionem eorum qui arbores in Iovis tutela esse existimarent, cum ipse haud raro fulmine eas feriret. — *lutra*, animal infestum arboribus; de qua videnda quae dicit Varro V, 79. — *Albanum*, quia in monte Albano celeberrimum eius erat sacrum. — *fulguritor*, alias *fulgurator*.

60. nugatur Nonius. *genium defrudare* est dictum ut in Ter. Phormione, I, 1, 9, 10:

quod ille unciatim vix de demenso suo
suum defrudans genium conpersit miser;

cf. et Plaut. Aulul. IIII, 9, 14; ita alias *genio indulgere*. — *defrudet* pro *defraudet*, quae et ipsa bene habet forma; cet. vid. Ritsch. op. II, 424; parerg. 540 sqq. — *li parcat* i. e. *servet*; cf. XXVII, 24; inc. 118.. — *li* pro *illi*; ita et metro et sensu suadente reposuimus.

61. haec petita ex descriptione τοῦ ἀδυνάτου. — *e caeno*, minus bene propter euphoniae legem scribetur *ec caeno*.

62. *rediisse ac repedasse;* nota synonymorum abundantiam quae frequens poetis vetustis Latinis propter necessitatem metri. — *gladiatoribus* h. e. quando editur *munus gladiatorium;* ut ait Cicero in epistulis ad Atticum 'gladiatoribus esse Romae'; et similia saepe alibi. — ceterum pro illo *bitat* in cdd. leg. *vitet*, vix recte; nam etsi non defuerunt temporibus illis qui gladiatorum spectacula inprobarent (unde P. Sempronius Sophus cons. a. 486 uxori remisit repudium quia ludis illis adfuerat), longe tamen plures fuere iam tum qui flagrantissimo visendi eosdem studio tenerentur. quae deinde velut gangraena quaedam populum Romanum pervasit cupiditas. — *vitet* pro *bitat* ut 154, 3 *providere* pro eo quod est *probitere*.

63. *veitae* pro *velite;* ita 452, 11 in Varronis verbis *vellicem* pro *veilicum*.

64. sententia initio versus manca culpa Nonii; neque enim de traiecto *atque* potest cogitari.

65. *agere* pro *aggere*. quaeritur hoc loco, Lucilius utrum geminarit consonas necne. de quo ita Ritschelius de mil. Popill. pg. 32 *consimile hoc est quod, etsi consonantium geminationem iam Ennium praecepisse cum ratio arguit tum testimonia evincunt, eandemque prorsus consentaneum est Accium quoque suasisse, tamen in eadem ut conicio via perseverans Lucilius demum contra vim inertiae tantum valuit, ut non geminandi consuetudo plane aboleretur; in hanc enim*

partem illud interpretor quod non ante 640 *constans esse geminatio deprehenditur.* mihi tamen aliter videtur esse iudicandum. nam quantum ad Accium sane simile puto veri hunc et ipsum Ennii placitis de geminandis consonis esse adstipulatum. at Lucilius — incertum ipsa vi inertiae quam dicit Ritschelius an carpendi ubique Accium cupidine adductus — videtur statuisse longe secus. nempe in fragmentis eius, quantumvis imminutis, tam multa occurrunt exempla consonantium non duplicatarum, vix ac ne vix quidem ut possis tribuere id librariorum culpae. atque adeo hoc ipso loco illud *agere* ter non minus firmatur membranis Nonii. accedit quod alibi *meile* non *mille* scribendum Lucilius asserit. minus facit ad rem quod idem in libris iambicis et trochaicis corripuit aliquando priorem in pronomine ille; similiter quippe Accius. quae cum ita habeant, Lucilius potius fuisse auctor consonas non geminandi aut arbitrio scribentium permisisse rem videtur in vocabulis non compositis. idem tamen, quo ambiguum tolleretur, excepit praepositiones assimulatas, ut vetaret scribi *acurro* pro *accurro* et similia, exceptis pauculis velut *ager*, *ogannio*, *redo*, in quibus praepositio antiquitus esset obscurata. potuit tolerari et *pose*, sed vix *fere* pro *ferre* quod ex *ferere* ortum. omnino ut alias etiam in hac parte scripturae verborum summo opere videtur vitasse Lucilius, ne oreretur error ex dubio. — ceterum etiam serorum temporum in geminandis consonis inconstantiam notat M. Vict. 9. — *queis;* vides quam fuerint pertinaces librarii tollenda diphthongo *ei*, ter in eodem verbo qui obscuraverint; nam antiquitus ubique traditum fuerat *siques*^{i} sive *siquis*^{e}. — *quam primum;* ineleganter repetita vox *primum* tam brevi intervallo.

66. sententia haec *decet post mensam malis vesci eos qui etiamnum esuriunt.* Hor. sat. I, 3 *ab ovo usque ad mala.* — *pure* i. e. *puere* ut apud Lucretium III, 1026 *puri* pro *pueri;* conf. quae notavimus in praef. Hor. XXV. N. 156, 8 ex Varrone *puritia puertas.* — illo *puere* praeter alios Caecilius et Afranius usi.

67. *tuorum* disyllabum; cf. d. r. m. 425, 6. — *quam* cum hiatu; vid. not. ad XXVIII, 10. XXVIII, 1, 5 *privabit: igni cum et aqua interdixerit* — *conficis dextra*, ita reposui ob arcanam rationem musicam. nam rarissime nec nisi legitima excusatione paenultimum iambum in trimetris sive tetrametris voluit constare Lucilius vocabulo iambico sive cretico.

68. recte illud *porro* ad priora refert Dousa, ut legitur in elegia de Maecenate moribundo [anth. lat. 110, 30] *et tradant porro Caesaris usque genus.*

70. excusat Lucilius quod a matrimonio abhorreat. — *haec* i. e. *hae.* — *faveant* contra maritos.

74. *gymnasii;* Varro ap. Non. 71, 18 *Bromii;* Ter. eun. III, 3, 13 *Sunii;* ita Lucilius Charisio teste nominibus propriis in ιος exeuntibus vocativo casu adhibuit illud *ie.* — *duplici* i. e. διαύλῳ.

75. *tuam* monosyllabum; cf. d. r. m. 425, 26.

76. existimavit Nonius haud dubie *miserari* dictum pro *misereri;* ideo collocavit hoc frgm. s. l. *accusativus pro genetivo.*

77. annotarunt plerique imitando expressum a L. versum ex Caecilii Hymnide:

mihi sex menses sati' sunt vitae; septimum Orco spondeo.

78. unicum hoc fragmentum ex omnibus quotquot extant Lucilii libro XXV tribuitur cod. Charisii. igitur aperto errore (nam voluminum illius XXIIII et XXV apud veteres auctores nec vola extat nec vestigium; et dactylico metro ea fuisse perscripta probabiliter statuit Lachmannus) uno iota addito reposui illud *vigesimo sexto.*

XXVII, 1. mire Lachmannus comm. Lucr. 116 *rem populi salute et.* apparet dicere Luc. se salutem populo suo non nisi versibus inpertire posse, re ipsa solum Iovem O. M, ad quem conversus in fine carminis ait *sospita, inperti salute* e. q. s. — *salute et; et* cum *m* in codicibus Nonianis solere permutari saepius observavimus.

2. *inpertire* eadem constructione positum, qua Ter. Eun. II, 2, 39, 40.

3. *observas*, fortasse ad Scipionem conversus ait. — *hominem;* Lupum vel alium principem civitatis tangi sat apparet.

4. *voster*, *senatorius.* — *admiserit*, Lupus ut puto.

5. recte si interpretatus est Lucilii verba Nonius, apte conferes Plauti illud [cist. I, 3, 46]

ut sunt humana, nil est perpetuom datum;

sin secus, versum Lucretii [III, 971]

vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

6. hoc frgm. recte cum praeced. coniunxit Lachmannus.

7. *non strabonem fieri;* Hor. ep. I, 14, 37 *non istic obliquo oculo mea commoda quisquam limat.*

8. *fere* pro *ferre* Lucilio tribuere vix ausim. — *ceterum quid sit, quid non sit;* Plautus trinummi 994 *ceterum qui sis, qui non sis, floccum non interduim.*

9. diversos a suis mores vulgi carpit L.

10. *illam* pro *hillai;* 122, 10 s. littera *h* L 1 *illam* pro *hillam.* — *hillai*, cf. Hor. sat. II, 4, 60. — *sic animum quaerunt amici;* ita scripsi, idque laetius sonat quam illud *sic am. q. an.*

11. *diutius* correpta secunda, ut semper apud dactylicos. cf. d. r. m. 348. Plauto longam vindicare studet Fleckeisenus ann. phil. a. 1870, 69 sqq.

12. sententia similis ut puto ei quae legitur apud Horatium sat. I, 3, 73, 4 *qui, ne tuberibus propriis offendat amicum, postulat, ignoscet verrucis illius.*

13. sermo de amicis infidis. — imitatus est Horatius artis poeticae vv. 431—33:

ut qui conducti plorant in funere, dicunt
et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
derisor vero plus laudatore movetur.

14. agi videtur de amicis vel debitore parum fido, qui res suas celat eos, quibuscum communicari eas par erat. — *ili*, cf. d. r. m. 428. — *inscriptum;* inscriptae merces sunt, quas in portu apud publicanum mercator aut institor non est professus, ideoque in scriptura publicani non sunt perscriptae, in commissumque incidunt. vide Turnebum adversar. lib. X. cap. 6. — haec Dousa.

17. notanda hic ut in plerisque Lucilii alliteratio. — *meam*, Prop. *quid tibi vis insane? meae sentire furores;* et ita saepius elegiaci.

18. *dominam* de amica ut Ter. heautont. II, 3, 60 et passim apud eroticos. — *dominam appellem* i. e. *reprehendam*, *litigem cum ea.*

19. *aspectu et forma*, ἓν διὰ δυοῖν.

20. *cibicidas;* glosae Labbaei *cibicida* σιτοφάγος (ita Dp, v. *ciuicida* σκατοφάγος). — ita alibi *fragmenta interfici panis;* et porro *piscium magnam atque altilium vim interficisti.* — *an*, *a* propter praecedentem finalem hausta ut aliqua vox Latina oreretur pro *n* reposuere librarii *ut*. erunt fortasse qui observato Leidensis testimonio quo hic v. l. XXVIII tribuitur iambos refingant in hunc modum

viginti domi
an triginta anne centum cibicidas alas.

21. *maconis* i. e. *mangonis.*

23. sensus hic est: negat is qui verba facit ideo caput satis tutum et a detrimenti periculo remotum esse, quod creditor paulo minus magnis usuris fuerit contentus.

24. *malus*, i. e. *ineptus.*

27. *colus* pro *collus.* — *deorsum; devorsum* ad vitandam dihaeresin scripsisse Luc. sane probabile. ita XXVI, 57 idem fortasse *meme.*

28. *ile;* cf. d. r. m. 428. — *pedetemtim* ubique in hoc lemmate Nonii Lugdunensis liber.

29. *mediocre;* Hor. *auream quisquis mediocritatem diligit.*

30. *maltam;* Hor. sat. I, 2, 25, 6

Malthinus tunicis demissis ambulat, est qui
inguen ad obscaenam subductis usque facetus;

ubi Porphyrio: *sub Malthini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari: ab re tamen nomen finxit*; *maltha enim μαλακὸς dicitur.*

31. *monogrammi* h. l. quod famelici alias vel parasiti vel qui Plinii tempore laudiceni audire sunt soliti.

32. *sābucum*, cf. d. r. m. 353. — cet. vid. Plin. n. h. XXIX, 57: canes supplicia annua pendunt inter aedem Iuventatis et Summani vivi in furca sambucea fixi armo.

33. insignem stultitiam Nonii, qui *rumpendi* verbum pro *defatigandi* positum esse dicit h. l., cum potius sit *prorumpere* notavi pg. 28 libri nostri. — *ima* addidi, idque necessarium esse apparet; quamquam num ipse Nonius adposuerit valde dubito. fatendum tamen et per se facile potuisse hauriri hoc verbum et pg. 88 post *ruperint* aperte quaedam excidisse.

34. illud *maxime* utrum ad *spero* an ad *facis mutuom* pertineat non constat. — ceterum *mutuom* non est adverbium ut Nonio videtur sed adiectivum.

35. verba Lucilii ad amicum qui bibliothecam suam et maxime Socraticorum libros desiderat. — *Socratici charti;* Hor. ep. II, 3, 310 *rem tibi Socraticae poterant ostendere chartae;* idem c. I, 29, 13 *cum tu coemptos undique nobilis libros Panaeti Socraticam et domum mutare loricis Hiberis pollicitus meliora tendis.*

38. *virtutei*, cf. not. ad V, 1.

39. frequens asyndetis et aliquando minus elegantibus Lucilius. — quantum ad rem, tangi Archilochi pulcherrimum fragmentum illud quod incipit *χρημάτων ἄελπτον οὐδέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον* adnotarunt plerique.

40. nugatur Nonius; nam animum inducere plane eodem modo dictum ut infra *Hymnis ego animum sic induco, quo tua ab insano auferas.* ceterum non abhorret a vero fuisse antiquitus traditum *ad*, quod placuit Dousae, sed ut esset coniunctio.

41. haec ad exules nescioquos spectare manifestum. — *hic*, cf. d. r. m. 386.

44. *redibit;* equidem, ut iam alibi declaravi, non ausim tribuere poetae satirico illa *ivi, petivi.*

45. *devorrere* scripsi ad augendam alliterationem; ita recte docti Plautinae militis V, 1, 14 *ubi lubet dispennite hominem divorsum et distennite.*

46. est versus Plauti ex merc. II, 3, 63, ubi de ancilla agitur. — igitur aut lapsus est memoria Nonius, aut Lucilius verba illa satiris suis inseruit. — *vorrat* scripsi pro eo quod est in G *varrat.* ita L 1 60, 32 habet a pr. m. *devarsoria dicta sunt hospitia a devarando.*

XXVIII, 1. tangit Lucilius eorum placita qui Empedocle auctore quattuor elementis hoc est tellure aqua aere aethere constare dixerunt naturam rerum; de qua opinione multis agit Lucretius I, 714 sqq. — sententia autem fragmenti aperte haec: adfirmat alter colloquentium fore ut homo nescio quis admissa re certa tradatur Lupo praetori; respondet alter eum non adfore die iudicii. subicit ille eundem igni et aqua iri prohibitum; tum hic in exilium istum abiturum salvis anima et corpore. denique promittitur vel his elementis Lupum spoliaturum adversarium, si cupido eius rei venerit ipsi.

2. verba eius de quo proxime praegresso fragmento sermo fuerat.

3. *habes omnem rem;* ita Terentius Hec. I, 2, 119:

habes omnem rem: pergam quo coepi hoc iter.

spondiacum vocabulum altero pede positum excusari videtur ea re quod formulae quasi instar est *omnem rem.* nam corripi priorem in eo quod est *omnis* ut apud Plautum non est insolitum [cf. prol. Trin. 132 sq.] ita idem abiudicandum existimo a Terentio et multo magis a Lucilio.

4. *alios*, ut aut ficta accusatione eum qui modo verba fecit petant aut ultro eum unde periculum timet in ius vocent.

5. nugatur ut solet Nonius. — *philosophus;* ita in hoc ipso libro *eidola atque atomus*, ubi plura de hac forma notabimus.

6. nota res de Polemone qui subito ex irrisore sectator Xenocratis philosophi factus est. eius etiam Horatius meminit [sat. 2, 3, 253 sqq.] *faciasne quod olim mutatus Polemon? ponas insignia morbi, fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille dicitur ex collo furtim carpsisse coronas, postquamst inpransi correptus voce magistri.* — *trasmisit;* ita ap. Fronton. pg. 326 *trasferantur;* cf. Ribbeck. prol. crit. in Verg. 389; Ritsch. opusc. II, 569. — *scholen quam dicunt.* memoria dignum scholae voc. nondum fuisse sat usitatum ac tritum Lucilii fuisse aequalibus. nam grammaticorum scholae huius ipso tempore in urbe, rhetorum ac philosophorum etiam serius percrebuere.

7. *atomus*, supra *philosophus;* porro *adytus* dixit Attius ap. Non. 488, 2, *syrus* Varro ib. 46, 8.

8. *eligat;* ita *herbas eligere* Varr. d. r. r. I, 47; Col. IV, 5; Cic. Tusc. III, 34, 83; Curt. IV, 1, 21.

9. Tac. ann. XV, 62 *occulta quidem ad praesens sed magna ei praemia et secessus amoenos promittit.*

10. *si in* cum hiatu; conf. d. r. m. 427.

11. haec verba aperte aliena a numero dactylico. neque cum explicatione Nonii convenire videtur illud *anicula.* igitur reduxi cd. vet. Dousae scripturam quae et Palmerio placuit. ceterum *praecox* hoc loco non est *inmatura* sed *temeraria* sive *inconsiderata.*

12. illud *in epodis* ex glosa verbi *Hymnis* male intellecti ortum numerum libri expulisse videri alibi monui. — *destina;* nihil obstat quin in hoc vocabulo sensum finitum esse existimemus. *destinare* iunctum accusativo cum infinitivo, ut *expetere* apud Pacuvium: *di me etsi perdunt tamen esse adiutam expetunt.* — ceterum ne scribendum putes *Caecilius Hymni* (nam fuit eius talis comoedia) ea re prohibere quod Nonio semper solet citari *Caecilius Hymnide;* nam 79, 2 recte docti *Caecilius Hymnide: desine*, ubi codices *Hymni.*

14. videtur sermo esse de eadem femina, ad quam data sunt libro proximo illa *deierat enim se scripse* e. q. s.; eam Hymnidem fuisse parum probabile. — *anno* de praeterito tempore ut *ad annum* de futuro. — *abstuleris* longa finali.

15. mirum quam saepe concredendi vocabulum librariorum dolo sit inversum. cf. quae notavi ad Prop. I, 10, 11.

16. *parvo*, i. e. puero. — *pensi*, supplendum *est*. — *lutum*, hominem lutulentum ut apud Plautum.

17. *mille* substantivum ut l. III *ad portum mille a porta est* et V *milli passum* ac VIIII *meile hominum*, *milli nummum*. similis usus exempla ex Catone, Quadrigario, Varrone, Cicerone adfert Gellius I, 16, quem ut solet exscribit Macrobius I, 5. — *mille inposui plagarum*, Petronius 105, 4 *placuit quadragenas utrique plagas imponi*: et Prop. V, 8, 65 *inponitque notam collo morsuque cruentat*. ita ipse Lucilius alibi *labem pellibus imponere*, *antiquis deliciis maculam atque ignominiam inponere*.

18. fortasse de avaro haec dicta; certe huius vitii progressum hydropi morbo comparat Horatius c. II, 2, 13—16.

20. *ad armillum*: Appuleius metam. VIIII, pg. 648 Oud. *illa altius commota atque exasperata ad armillum revertit et ad familiares feminarum artes accingitur*.

22. *fulmentas* ut l. XXII *columella*. — *sene* et *anu* dativi.

23. *a* pro *ei* saepe invenitur in libris Nonii. 122, 9 pro *lavite item* (ita recte Ribbeckius) legitur in Lugdunensi codice *labitatem*, in Guelferbitano *labititem*: ita 182, 22 *ex felaci arbore*: ubi reponendum *feleici*. 76, 19 *ades* (sic verissime Iunius, libri solito errore *adest*), *si heic* (i. e. *hoc loco*, scripti *hac*, vulgo *hic*) *absente nobis venierit puer*. 479, 10 s. v. fatiscuntur Varro antiquitatum humanarum XIIII *allerei utrei* (L 1, Bamb. *altera ita altera*, G *altera ita et altera*) *vulneribus fatiscuntur*. est autem sermo de Curiatiis. — cet. frgm. hoc collocari oportuit post XXIX, 36.

24. *atque* pro *utque* ut XXIX, 56. — *is exeat* Iunius; sed quod nos posuimus commendatur ratione musica.

26. hoc frgm. in cdd. legitur 403, 25 s. l. subire ingredi.

27. *cyathus* pro *hiatrus*; ita 83, 24 in Varronis Menippei verbis legitur *quiatum* pro *cyathum*.

28. *glutinator glutino*, supra l. V *cepariu' cepa*.

30. *interficere* positum ut alibi apud eundem *durum molle voras fragmenta interfici' panis*; et porro *cibicidae*; neque enim audiendus Nonius.

31. *catillo*; cf. inc. 22; qui *catulum* magis probaverint (ita metrum fiet iambicum) legant quae de canibus veterum non usui sed deliciis destinatis memorat Beckerus Chariclis ed. sec. I 147, not. 5 ad scaen. V.

32. fortasse per metaphoram haec dicta ut apud Plautum Epidici III, 4, 19

quin tu alium quaeras, cui centones sarcias.

h. e. quem mendaciis decipias. — cet. cf. Caton. d. r. r. cap. 2 *centones cuculliones familiam oportuisse sibi sarcire*: Isidori orig. I, 38 *centones apud grammaticos vocari solent*, *qui de carminibus Homeri sive Vergilii — in unum sarciuntur*.

33. *misse;* quidnam misisse tyranno Dionysio dicatur Aristippus non iam licet definiri; librum putat fuisse Franckenius II, 23, qui mavult scribi *quiddam.* — *quid ante tyranno;* videtur fuisse scriptum antiquitus *toeranno*, et hinc ortus error.

36. hoc frgm. propter potiorem cdd. auct. tutius adscribetur l. XXVII.

38. *iactat*, idem quod *iacit.* — *alia*, *aliena.*

39. Gell. XIII, 30, 7 *memini Quadrigarium in XIX faciem pro statura totiusque corporis figura dixisse;* ceterum totum caput conferendum. ita ipse Lucilius ubi cum aetate faciem iungit, formam intellegit. — hunc v. primus et constituit recte et explicavit Ritschelius de fictil. litteratis 11. — etenim in libris ab eo quod est *status* novum lemma incohatur, contra usum Nonii, qui diversitatem generum indicare solet fere ut puta: *tributum neutro*, *masculino Cato*, omisso *tributus*, ut aliena exempla, quae sunt paucissima, potius illatis librariorum culpa notis marginalibus provenisse existimem. — irrisionem Accii contineri verbis istis monuit Ritschelius l. m. et Hertzius libelli de Plauti poetae nominibus p. 23. ceterum usus huius Acciani extat hodieque exemplum, si recte interpretor librariorum Nonii errorem, 116 s. v. gracilitudo:

> tamen et statei gracilitudo propemodum et luctus facit
> ne dubitem.

ubi minus bene codices *statuae et*, docti *staturae.* — nempe fuerat antiquitus *state*[ei]. — de discrimine quod intercedit inter statum et staturam quaerit etiam Donatus ad Eun. III, 5, 50. — *statum* longa priore ut apud eundem Accium *statim;* cf. Ritsch. l. m. pg. 10 sqq.

40. *corpore* dativus.

41. *Maximu' Quintus*, inversio nominum iam saepius nobis observata. quis autem significetur non satis constat; nam quod dicitur Ciceroni Q. Fabius Maximus Allobrogici filius homo deterrimus, hunc ne statuas tangi, ratio temporum videtur obstare. — *qua varicosu' vatax;* id quod est *vatax* etiam in verbis Nonii reponendum apparet ex verbis Lucilii; nam nisi illud vocabulum antiquitus fuisset traditum, non provenisset per dittographiam *vacax.* *vatrax* vocabulum quam ridicule interpretati sint medii aevi monachi, videre est in Non. ed. Bas. etiam hic aliquem nobilium perstringi apparet; sed quis fuerit ne sciamus obstat stupor Nonii. ceterum ita l. II *catax Manius.*

42. fortasse de Scipione vel Laelio haec dicta.

43. *st* pro *sed* D, sed conf. d. r. m. 450. — *fingitur*, *simulatur.*

44. simillime dixit Rut. Namat. I, 609, 10 *Harpyias, quarum discerpitur unguibus orbis, quae pede glutineo quod tetigere trahunt.*

46. *faenera* pro *faenora.* — *faenera*, *capitalien.*

XXVIIII, 2. *sic* i. e. *diversis quam quae nunc optineat belli artibus.* — *lum* ob rationem musicam pro *illum.* — *acceptum*,

non quod Nonio placuit, sed *tractatum*, ut saepius ap. Plautum et Terentium.

3. *Apuliam* longa *u*, ut apud Horatium, Martialem, Iuvenalem.

4. apparet hoc loco ut XXVI, 14 (nam pleraque similis usus exempla librariorum dolo sublata sunt) Lucilium etiam in iambis ac trochaeis ne nimis premerentur onere spondeorum saepius subduxisse *s* finalem. neque enim adhibiturus fuit illud *deiectu'que* (cum praesertim quintus pes trimetri multo magis amet *σπονδειάζειν*), nisi antea scripsisset *detrusu'*, vitaturus scilicet ne ultimus solus iambus esset in toto metro. — *Italią* brevi prima in metro iambico ut *reliquiae*, *religio*.

5. videntur haec scripta esse ad excusandos eos, qui puerorum tenerentur amoribus. — *nilque amat:* quia 'forma bonum fragilest.'

6. *nam discrimen non facit*, *quei;* rectissime perspexit Mercerus tangi Charmidis Platonici caput III, ubi ait Socrates sese *ἀτεχνῶς λευκὴν στάθμην εἶναι πρὸς τοὺς καλούς*. sed enim hoc pacto apparet falsum esse illud *neque*, nam verissime scholiastes Platonis *παροιμία λευκὴ στάθμη ἐπὶ τῶν ἄδηλα ἀδήλοις σημειουμένων κἂν τούτῳ μηδὲν, συνιέντων. ἡ γὰρ ἐν τοῖς λευκοῖς λίθοις στάθμη λευκὴ οὐδὲν δύναται δεικνύναι διὰ τὸ μὴ παραλλάττειν, καθάπερ ἡ διὰ τῆς μίλτου γινομένη, ὡς Σοφοκλῆς Κηδαλίωνι*

> *τοῖς μὲν λόγοις τοῖς σοῖσιν οὐ τεκμαίρομαι,*
> *οὐ μᾶλλον ἢ λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη.*

Plutarchus *περὶ ἀδολεσχίας* 514 *ἔστι μὲν οὖν ἀτεχνῶς ἡ λευκὴ στάθμη πρὸς τοὺς λόγους ἀδόλεσχος*; cf. etiam Hesych. ed. Albert. s. v. *λευκοστάθμη*. — ita etiam scriptores Latini. Gell. praef. § 11 *alba ut dicitur linea sine cura discriminis. quei* pro *neque:* nimirum erat traditum antiquitus pervulgato errore *que;* id ut sententiam posset incohare, repositum est *neque*. idem error Tac. ann. VI, 5 *quae cuncta a primoribus civitatis revincebatur*, ubi etiam membranae *neque*, sublatus a Nipperdeio. — *nam* pro *nam ut:* illud *ut* cum utroque Nonii loco recurrat, statuetur aut ex vitioso Lucilii exemplari traductam voculam aut a grammatico sensum poetae non satis plene relatum, nisi fuit antiquitus *ui*, adscriptum ad *que*.

7. *ipse* correpta priore potuisse adhibere Lucilium, quod olim [d. r. m. 428] in medio reliqueram, iam nego. facilius concedo de pronomine quod est *ille*, quia satis constat temporibus Gracchanis geminatarum consonarum legem nondum ubique satis fuisse firmam. igitur scribendum puto sive *is*, ut *pe* ex proximo *pro* vel *per* irrepsisse videatur, sive, quod et ipsum, si altius introspicias, prope distat a tradito, *res*. — ceterum sententia subobscura, ut tamen philosophorum de summo bono opinationes tangi appareat.

9. *recte hoc vitio dat Lucilius Euripidae* e. q. s.; sane constat illum in exagitandis poetis aliquando indulsisse argutiis; veluti cum dicit pro Enniano illo *splendet et horret* reponendum fuisse *horret et alget*. — versus Eur. ex Cresphonte tragoedia sunt petiti; frgm. 459 ed. Nauck.

10. iunxit hoc frgm. cum praecedente Lachmannus. quod si recte instituit, supplenda ad illud *ut* ferme haec: *ipse eadem nece periret, quam fratri molitus erat* sive: *magis laetandum ei esset quam cum compos factus est voti.*

11. *fiderem* pro *ubi derim* i. e. *biderim.* — *ecpendi* pro *apelli* vel *apepelli;* ap. Cat. 64, 320 libri *pellentes* pro *pectentes.* — *longe opera ante alia omnia;* animadverte tres sed non inscite continuatos anapaestos; nempe horum volubilitate apte expressit poeta quanto opere ipsi cetera prae cura eligendi cui crederet res suas sorduerint.

12. *favitorem* habes in prologo Amphitruonis vv. 78. 79. Char. 66 *favitor* (ita Keilius, cd. *fautor*) *antiqui dixerunt. at fautor nec auctoritate nec ratione deficitur.* Glosae Isidori 15 ed. Gothofr. *favitor fautor.* — *amicum, amatorem;* Terentius Andr. IIII, 2, 2 sqq. *summum bonum esse erae putavi hunc Pamphilum, amicum, amatorem, virum in quovis loco paratum;* ubi tamen Bentleius reposuit *tutorem.* — illud *et Mentorem* (notus hic ex odyssia) si praefers, paenultimam produci refert rationis musicae.

13. *in periclo* — *periculum,* lusus verborum qui frequens Lucilio. — *cuius,* supplendum *fidem experiere integram* vel simile quid.

15. *Apolost numen,* videnda quae notavimus ad libri VII illa *huncin ego umquam* e. q. s. — *Apolost* pro *Apollost.*

16. *tametsi* disyll. ut libro V; cf. Ritsch. prol. Trin. 238; d. r. m. 273. 425.

17. *ille,* qui mulierem invasit. — illud *ferum* plerumque permoveor ut genetivum substantivi potius esse existimem ab eo quod est *ferus,* sicut dixit Valerius Flaccus I, 455; cf. d. r. m. 378 sq., 384. — *coiugat, communicat;* frequens asyndeton vetustissimis auctorum Latinorum. Ennius *mortales inter sese pugnant proeliant;* Lucretius *proelia pugnas edere;* Afranius *bene convenientes, concordantes cum viris;* cf. et Lchm. comm. Lucr. pg. 80.

18. nugatur Nonius. *indulgere* cum accusativo positum ut apud Afranium [390 R.] *qui nos tanto opere indulgent in pueritia* et ap. Ter. [eun. II, 1, 16; heaut. V, 2, 35] *nimi' me indulgeo; te indulgebant.* ita *parcito linguam* in sacrificiis dictum refert Fest. 222.

19. *advocasse* pro *vocasse;* vides minus placuisse Lucilio trimetros, quorum secundus iambus vocabulo plus quam monosyllabo finiretur quam in quibus secundus trochaeus cum tertio constaret uno verbo. — *advocasse, ad cenam.*

19. hoc frgm. cum sequentibus XVIII ad turbas lascivientium noctu per urbem adulescentum, qualis nec imperatorum aetate infrequens fuit licentia, spectare manifestum. ad librum XXVIIII ex praecedente revocavi quaedam quae apte huc referri posse viderentur. — initium autem comissationis videtur factum a convivio.

20. *Chremes* senex Andriae Terentianae; *Demaenetus,* nomen senis spurcissimi in asinaria Plauti; nihil tamen haec ad Lucilium ut videtur.

— fuere ista nomina servorum, quibus in satura ut in comoedia plurimus locus. eadem res in Varronis libris Menippeis. et Horatii servus audiebat Davus. — *eirad* pro *ierat;* sic in Vergilii versu *itur in antiquam silvam* Ter. Maur. 2393 legit *eitur.*

21. verba ut videtur vituperantis hominem qui nimis large ad pocula invitaret amicos. — *gravido* ut ap. Cat. 44, 13. supra in Ciceronis verbis 115, 17. 32, 14 *gravidinosos*, in Nonii 115, 16. 451, 14 *gravidinosi*, *torpidinem.*

22. *quis tu homo's* e. q. s.; diverbium occurrentium sibi per tenebras et sciscitantium invicem. — *nemo homo;* Ter. eun. III, 5, 1 *numquis hic me sequitur? nemo homost.*

23. minus recte, nisi fallor, habet id quod causa sane aperta Dousam vel Bentleium commendasse in apparatu critico rettuli; quibus certe reponendum erat *ancipitei.* — nempe verbis ludere ut saepe videtur Lucilius, cum is cuius est versus proximus subiciat non vecte modo sed ancipiti ferro (saepius dicitur bipennis) cardines illos quamvis duplices se effracturum. — *effringere cardines;* ita etiam Plautus; et pleraque Lucilii, maxime in iambis et trochaeis, comicorum sermonem referunt; praeterea Lucretius *effringere naturae claustra* dixit.

24. *vecte;* Hor. c. III, 26, 6 *hic hic ponite lucida funalia et vectes et arcus* (*securesque* Bentleius) *oppositis foribus minaces.*

26. *agite*, *agite:* proceleusmaticus in primo pede etiam apud Phaedrum invenitur. — *furei mendacei;* cf. IIII, 12 *in stomacho furi ac pulmonibu' sisto.* — *argutamini* i. e. *argutiis detinete* vel *decipite*, *verba date.* ceterum eo vecordiae videtur isse Nonius, ut de substantivo quodam *argutamen* cogitaret.

27. *orationem facere conpendi potes;* afferuntur in editione Turicensi similia illa Plauti [most. I, 1, 57] *orationis operam conpendi face* et [Poen. I, 2, 138] *curam hanc facere conpendi potes.* — *salvo tergo a tergino;* ita dixit Horatius [I, 37, 13] *vix una sospes naves ab ignibus;* et Symposius [74, 1] *crudeli sospes ab unda;* nec minus Livius [VIIII, 41, 8] *gentis integrae a cladibus belli.*

29. *Gnato.* Lucili aetate Romani nondum adspirabant consonis. servavi tamen morem scribendi, qui fuit s. p. Chr. I praeter Graeca quaedam et barbara, puta *Gnato*, *muco*, *Viriato*, *Iugurtini*, quae fortasse ipsi Probi reliquere intacta. Gnato parasitus occurrit in Terentii Eunucho. — *depilandi* verbum non recte explicavit Nonius; nam idem valet haud dubie quod *despoliare*, *decipere.* ita *δέρειν* dicitur apud Graecos.

30. *insulta* e. q. s.; verba Gnatonis derisi a domino.

31. melius hoc frgm. collocabitur post 29.

32. *in lutum* i. e. *in negotium*, *in periculum;* ut apud Plautum et Terentium *in luto esse*, *in luto haesitare.* — ad illud *detrahat* supplendum est *in lutum*, non quod Nonio videtur *e luto.* nam id si vellet, scripsisset Lucilius *dum — detrahunt.*

33. hoc frgm. et proximo verba Gnatonis servi ad dominum contineri videntur. — *offendere* h. l. idem quod *laedere.*

34. *recipere revocare*, nugatur Nonius.

35. *urguent*, *instant* Cicero frgm. or. pro L. Vareno 2 *in inimicissima civitate urgent instant insequuntur.*

36. verbi quod est *coicere*, subtracta *n*, exempla aliquot habes ap. Non. 267, 268; alia affert Lachmannus comm. Lucr. 136. supra ipse Lucilius *quid dicis? cur est factum, quod coicis istuc?* — ceterum illud *bono animo es* formulae esse instar constat.

36a. videnda quae notavi ad XXVIII, 23.

37. *intromissi* B ut in verbis Accii quae leguntur 322 s. v. *insolens* (ea alias docuimus ita esse scribenda *ita fletu et tenebris obstinatus sperem amisi luminis | conspiciendi insolentia*) cdd. exhibent *amissi*. — *referas*, ad dominum conversus ait aedium possessor.

39. nug. N.; *carpere* h. l. dictum ut ap. Hor. c. I, 11, 8 *carpe diem*.

40. excidisse cum Lucilii verbis lemma velut tale *distrahere discerpere* cum nomine auctoris cuius sint illa *dividant differant dissipent distrahant* monui 71. ea haud dubie scaenici poetae, ut videtur comici. — cet. fugit Ribbeckium verba Titinii, quae leguntur apud Fest. 270 s. l. rediviam ingenuum complere tetrametrum catalecticum creticum:

lássitúdó consérvóm rediviaé flagri.

42. cui positum erit comma post illud *Albinus*, is Nonii stupore subiectum sequentis enuntiati omissum statuat necesse est.

43. ἐπιφωνεῖ praesens historicum.

44. *deum* cum synizesi adhibitum.

47. *pluteos*, qui sunt in turribus hostium. — *exculiet*, *rimabitur*; melius tamen *excudet*. — *excudit*, *reddit* Corpeto teste Quicheratus. — *t. et t.*, ἓν διὰ δυοῖν.

49. assumpsit haec verba Varro Menippeus in σκιαμαχίᾳ, ubi est *ego ei inquid* (ita scribendum; in Bamb. et Lugd. sec. legitur *enimquid*, alias *inquit* vel *inquid*) *eam suppetias*, *quicum mihi nec res nec ratio est*, *dissociata aeque ac nefantia.* ibi etiam in membranis est *dissociat atque*. — ceterum statuit Mercerus verba Lucilii librariorum culpa perperam addita ultimis Varronis et omissum ante prima lemma *suppetias*, acute quidem illud, sed mihi ut videtur sine causa.

50. de amantium rixis hic et frgm. 49 agi manifestum. — *deierat* perfectum. — *se scribse;* ita observatis cum cura exemplaris optimi vestigiis recuperavimus pronomen, quo aegre caremus hoc loco, nec minus rariorem verbi formam Lucilio adseruimus. — *et post non scripturum:* adsumendum ex prioribus *iuravit*.

51. *satias* e. q. s.; propter dolorem ex mariti moribus conceptum.

52. olim libri nostri pg. 72 aliter hoc fragmentum instauraveramus. fatendum tamen altius introspecta Nonii stultitia magis placere sententiam Duebneri, qui eum ut haud raro alias in quantitate syllabae lapsum existimat, ut subst. esse putaret quod erat adi. — ceterum quonam modo potuerit evenire ut Paulus Schmidtius, vir doctissimus, libello quem de Nonii Marcelli auctoribus grammaticis satis neglegenter et

exiguo fructu composuit asseveraret pg. 78 in his quae Nonius 436, 30; 421, 11 de cupiditatis et cupidinis et de cupidinis et amoris differentiis prompsit apparere vestigium licet obscurius exiguumque — ipsa eius tria postrema posui verba — doctrinae Valerii Catonis qui discrevit amorem et cupidinem ita '*decessit ilico alter*, *ubi alter recessit* (immo *processit*)*; alter bonus*, *alter malus*', mihi quidem diu meditato reperire non contigit.

53—56. preces ut videtur puellae rogantis Lucilium cum amico, ut se lenoni eriperet; cui ille satisfacit. *hac re* i. e. *hoc rei statu*,

55. *duc te* i. e. *aufer te* ut saepius familiari sermone; cf. Plaut. aulul. IIII, 8, 8; Bacch. IIII, 2, 11; Ter. Hec. IIII, 1, 7; Asin. Pol. ap. Cic. ep. ad fam. X, 32. — *filum non malum*; Plaut. merc. IIII, 4, 15 *sati' scitum filum mulieri; verum hercle anet.* — *filum non malum*, intellegitur haec verba profecta muliere ad amicum nescio quem facere Lucilium.

56. *ni* pro *ne.* ita in epigrammate sepulcrali quod primus edidit Bormannus in programmate scholastico Berolini ante paucos menses evulgato pg. 14 *te lapis optestor leviter super ossa residas*, *ni nostro doleat condita ab officio.* — *atque* pro *utque*, nisi fallor. — *exterminaret*, *emitteret domo;* sermo de lenone ut videtur, qui puellam optulerat Lucilio.

57. *destino;* Plautus Mostell. III, 1, 113 *bene hercle factum. quid? eas quanti destinat?* ita ap. eundem *praestino* i. e. *praeemere;* cf. Paul. 223.

58. melius *Hymnis*, *ego sic* et *quo te* propter rationem musicam.

60. *hic* pluralis, ut XXVII, 41.

62. *virum* pro *verum;* 200, 24 Naevius colace (ita recte docti pro *cor*, non *corollaria*, qua numquam alias utitur fabula Nonius; 462, 32 libri *colare*):

verum (v. *utrum*) scapulae plus an collus calli iam habeat nescio.

63. *lis* pro *illis* ut saepius. — *me emungi;* Ter. Phorm. IIII, 4, 1 *emunxi argento senem;* Hor. ep. II, 3, 23 *Pythias emuncto lucrata Simone talentum.* Pollux II, 4, 15 *ἤδη δέ τινες τῶν κωμικῶν τὸ ἐπὶ κέρδει ἐξαπατᾶν ἀπομύττειν εἶπον.*

64. hic sane librariorum errore quamquam levissimo deceptus Nonius dignas stultitia sua dedit poenas. — videntur haec verba, quae ad Pacuvii Chrysen spectare putat Naekius opusc. I, 106, in enarrandis Agamemnonis facinoribus fuisse posita; cet. cf. Hor. ep. I, 2, 11, 12. — *redere;* tit. Pollanus (inscr. r. Neap. 6276) *conquaeisivei redideique.*

65. *vomica;* nugatur Nonius, qui illud vocabulum accusativo neutri generis casu positum fuisse videtur existimare. quod proxime sequitur *et* ortum repetito altero huius versus vocabulo. — *Chironea* volnera dixere alii letalia, ideo quia Chiron Centaurus sagitta Nessi sanguine tincta ictus mortiferum vulnus fertur contraxisse; alii ea quae possent sanari, sed non nisi ab egregiis medicis; *οἷα τοῦ Χείρωνος αὐτοῦ δεόμενα πρὸς ἴασιν*, ut utar verbis Pauli Aeginetae, ita h. l. Lucilius,

66. *retinerit* ut Pacuvius *monerint moneris tetinerim.*

67. data occasione liceat mihi egregiam sed spretam vulgo Lachmanni emendationem praecedentis lemmatis libri scripti ope confirmare. nam ibi cum vulgo ferrentur haec: *adolescere crescere: unde adulescentem dicit Lucretius lib. II: denique adulescendi summum tetigere cacumen; Laberius in Sororibus laus nomine gloria adolescit*, Lachmannus rectissime intellexit e veteribus grammaticis ne Nonium quidem paeonem in heroico metro substituere dactylo. igitur suspicatus est eum dedisse *adulescentem dicimus*, mox *donique alescendi* (*donec alesc.* libri Lucretiani) et *laus nomen gloria alescit.* atquin ipsum hoc *alescit* prima manu in Leidensi libro scriptum esse (supra additum secunda *ado*) oculatus testis refero. in eodem antiquitus fuerat exaratum *dici.* ceterum intellegitur Nonium dedisse *alescere crescere.*

68. descriptio convivii. — *XXIX;* in ipsis quidem Nonii libris, qui saeculum IX raro attingunt, numquam excedunt, id genus numerorum legere me non memini; sed in vetustioribus saepius, velut in Neapolitano Charisii nec minus in inscriptionibus. — *ficellae*, pro *ficedulae* ut *nitellae* pro *nitedulae*; eandem formam Iuvenali restituendam esse recte monuit Lachmannus comm. Lucr. 204. — *ficellae*, *turdi;* licebat sane facillima opera restituere *ficellae et;* sed nihil opus. frequens enim asyndetis Lucilius. — *curati cocis;* id ipsum praebent codices plerique, excepto quod *s* dum supra adscribitur in archetypo ab una *i* ad alteram derravit. — quod Lachmannus [comm. Lucr. l. mem.] scribendum esse dixit

> et circum volitant ficetula, turdi
> curati scite,

non unam ob causam displicet. nam et singulari *ficetula* offendimur, cum statim subiciatur pluralis *turdi*, et mutatione iusto audaciore. praeterea eius coniecturae minus bene convenit cum lemmate Nonii.

69. *non magna mercede est*, *non multum praebet usurae.*

71. pyrrichiaca thesis sive dactyli in trochaicis versibus sive anapaesti in iambicis initio versuum citra vitii suspitionem duabus partibus orationis contineri videtur.

72. *Tulli;* idem hic sit necne cum eo qui memoratur l. XI plane incertum. — *animum ex homine;* supplendum ex insequentibus facillimo sane zeugmate ut puta *deleris.* — ceterum similiter Aetoli apud Polybium t. IIII pg. 13 ed. Schweighaeuserianae: *πρότερον ἔφατε τὴν Αἰτωλίαν ἐκ τῆς Αἰτωλίας ἀρεῖν ἢ τοῦτον τὸν νόμον.*

73. *obducere* non *aperire* sed *operire;* nam nug. Non.

75. metrum non satis elegans cum iniecto post caesuram vocabulo molossico tum duplicato in fine vocabulo iambico. quaedam tamen excusatio oritur et enumeratione rerum variarum et asyndeto. — illa *pedis*, *pedicosus* reiectis veterum grammaticorum ineptiis priore longa efferendum esse sicut *pedico* monuit Fleckeis. ann. ph. a. 1861 pg. 574 sq.

76. *hoce* pyrrichiacum in iambis sive trochaeis Italicis sine offen-

sione legitur. *hoce venisset* pro *hoc invenisset:* eodem vitio in Atti versu, qui extat 127, 2, ferri *huc invenio* pro *huce venio* alibi, nisi fallor, memoravi. — *bellissimum*, cum ironia dictum.

78. de inimico quodam Lucilii sermo est.

79. *sudum*, Paulus 295 *sudum siccum quasi seudum id est sine udo.* — hexameter caesura carens, quem tamen mutando invertere non sum ausus. est autem devotio aperta inimici ut ap. Hor. ep. 10. fortasse igitur atrocitatem rei tristi versu voluit depingi Lucilius.

80. 81. verba amantis et amorem exprobrantis, sed quae melius fortasse inverso ordine legantur. *corpus solidum.* Ter. eun. II, 3, 26 *corpus solidum et suci plenum:* ubi scholiasta: *solidum quia non vitiatum.*

81. verbum quod est *κοπιᾶν* Lucilio reddidit Lachmannus, qui scripsit *ubi erat κοπιώσης*; sed poteramus minore mutatione defungi. quis enim nescit quam saepe *a* sit hausta sequente *e*?

82. *quidsin*; videnda quae monui ad IIII, 22.

83. *quei*, *ei* pro *i* positae exempla plurima corruptis librorum Nonii scripturis indicantur; nam integram servatam vix memini. ita reponendum *vilicarei* in Pomponii versu qui leg. 515 s. v. *rarenter*, ubi traditum est *vilicariae.* — ceterum non intellego, cur Ribbeckius fabulam Pomponii unde sumptum est verbum illud ergastulum quam ergastilum inscribere maluerit, cum codices Nonii bis *ergastilum* agnoscant, semel quod proximum est *ergastelum:* illud autem firmatur etiam pg. 447 ubi fertur ter *ergastilus*, semel *ergastilum.* — quamquam in Ribbeckio mirari quidquam praeter confidentiam pridem desii.

84. *contraheris:* animo; Cicero *ut et bonis amici quasi diffundantur et incommodis contrahantur*, et similia passim. *volgi* pro *vel qui:* ap. Lucr. I, 690 habent membranae *iquenem* pro *ignem.* — *permitie:* videnda quae notavi ad II, 11. — *versere*, *agitere*, *vexere.* — cet. 81. 83. 84 ad amorem catamitorum pro uxorum commendandum pertinere putat Merc. coll. Iuv. VI, 34 sqq., qui quidem male temptavit frg. hoc.

85. insignem in modum fallitur Nonius; nam *ipsa* neutri generis nominativus est, non feminini. — *polypus* longa prima ut semper apud Romanos; ita *Polydamas.* sic Dorenses, quorum fuere coloniae in magna Graecia et Sicilia, πωλύπος, Πωλυδάμας. — quantum ad sententiam, simillime dixit Alcaeus comicus ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὡς πουλύπους,

86. *vostros* si legatur, erit tuos, ut apud Catullum et alias.

87. *heic* pro *haec:* idem vitium ex Pacuvii versu qui legitur ap. Non. 88, 3 removimus d. r. m. 386.

88. *ventrem* i. e. *comedonem* ut l. V. — *cataplasma* genere feminino ut apud Plautum *glaucuma*, apud hunc et Pomponium *schema*, apud Laberium *dogma*, alibi *diadema*, *syrma.* — 311 cdd. *cataplasmo*, quae forma auctoritate destituitur.

XXX, 1—4. amorem poesis et claritatem quam adeptus erat ea declarat Lucilius. — *claustra;* similiter dixit Lucretius I, 70, 1 *effringere ut arta naturae primus portarum claustra cupiret.*

2. Lucretius l. IIII in re eadem:

> iuvat integros accedere fontes
> atque haurire.

3. Accium hoc fragmento tangi probabile est. — *retro rellicta;* saepe illud *retro* per pleonasmum accedere verbis cum eo quod est *re* compositis constat plerisque.

5. Scipionem haud dubie alloq. Luc. — *clarans;* Hor. c. IIII, 3 *illum non labor Isthmius clarabit pugilem.* — *alata* Lips., nimis *νεωτερικῶς*.

7. *quantas quoque modo erumnas;* Vergilius:

> et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.

9. *artis, sollertiae* ut ap. Ter. Andr. I, 1, 4 *quid est quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius.*

10. illud *iam* non minus ad priorem quam ad posteriorem sensum pertinet. frequentem traiectionibus verborum fuisse Lucilium ipsi annotarunt veteres.

11. *virtute* dativus; *chartis, epistulae,* cui iam rescribit.

13. *heis*, melius *his;* cf. not. ad XVI, 11. — *te* — *contentu' teneto;* Maro aen. X, 802 *furit Aeneas tectusque tenet se.*

14. *putamus esse* pro *esse putamus;* ita 286, 32 *discere labora* pro *labora discere.*

15. *simitu* alibi apud dactylicos non invenitur. hoc bacchiacam expleri mensuram vocabulo adfirmant docti. videnda quae dixit de hac forma Ritschelius op. II, 258; nam is et illud *simitur* ex longa oblivione resuscitavit. legenda praeter locum modo laudatum quae disseruit ille apud Reifferscheidium in libro quo Suetonii collegit reliquias pg. 500.

16. illud *quod* nescio an sit positum pro *quot.* — *superbei* pro *superbum;* saepius *ei* abiit in *u.*

17—19. videtur his fragmentis tangi homo tenuis, sed qui dives videri vellet. eum monet Lucilius nihili esse si centum vel ducenta milia sestertium possideat, cum Maximus argenti facti reliquerit sedecies.

18. *ac* si recte habet, ita explicandum ut feci; tamen propter proxime posita *sexcentum ac mille* magis probabile dedisse Lucilium *aut*, ut vitaretur ambiguum. — ceterum ridicule Nonius genetivum putat esse illa *sescentum* et *ducentum* admissa si dis placet ellipsi, cum potius sint accusativi substantivorum generis neutri formata ad similitudinem eorum quae sunt *centum* ac *mille.* — Varro ap. Non. 149 *rettulit auri pondo mille octingentum septuaginta quinque;* antiquarius quidam ap. Gellium XVI, 10 *neque amplius quam mille quingentum aeris in censum deferebatur.* ita *ducentum*, sed adiective, ut *octingentum* ap. Varr., habes l. XVIII; ubi ne Nonius quidem cogitavit de genetivo.

20—33. altercatio. 22. 29. 31. 32 responsio nebulonis qui arguitur. — *noenu.* eadem forma usus Lucretius III, 199; IIII, 712; *noenum* habes in Aulularia et in Bacchidibus Plauti, et apud Varronem in litteris ad Fufium datis (ubi L 1 m. pr. habet *nenum*) nec non in Ciceronis epistulis ad Att., VII, 3, 8. cet. cf. Lchm. ad Lucr. III, 198; Ritschelii opusc. II, 242.

21. *quo eam;* cf. d. r. m. 307.

23. *ec vestimentis maculosis;* supplendum ex eis quae praecesserunt ut puta *concludo te in luto versatum.*

24. errat haud dubie Nonius, nam illud *lustrans* idem est quod *obiens: circum* vero *oppida* sunt circumiacentia. Nonii quippe interpretatio si accipitur, *δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.*

26. *factis saevis et tristibu' dictis.* Tac. ann. IIII, 71 *ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere.*

27. *nunc, Gai;* parum probabiliter haec auctore Dousa referri ad C. Caelium iudicem qui actorem scaenicum a Lucilio accusatum iniuriarum absolvit recte monet Franckenius II, 83.

29. *insimilas* i. e. *insimilans.* ita infra 95 *facies* fortasse pro *faciens.* — *haec* pertinet ad verbum utrumque.

33. *ut* videtur esse exclamantis adverbium, non consecutiva particula.

34. *insperato — hora.* '*luculentum huiusce rei exemplum extat ap. Senecam epistola CI*'. Dousa. — *abiit;* Paulus 380 *abitionem antiqui dicebant mortem* (agnoscit hanc glosam Lugd. 116, in quo legitur post 23, 6; ut tamen male exhibeat *ambitionem*). nec tamen nego facile potuisse h. l. obscurari o in illo *obiit.* — *angina;* hoc vocabulum constantur docti ab angendo deducendum et secunda producta efferendum asserunt, sed frustra. nam quae extant exempla in libris poetarum, firmant hanc breviari. — ita apud Sammonicum 282 praestantissimus quisque liber excepto quod unus alterve ut Turicensis om. tertium verbum:

angina vero sibi mixtum sale poscit acetum.

denique Plautinae trinummi 540 si scripseris cum Ritschelio

sues moriuntur anginad acerrime,

ut creticum potius statuamus quam molossum arcana suadet ratio musica. idem dicendum de exitu trimetri iambici seu trochaici tetrametri comici nescio cuius, qui legitur apud Paulum 28

anginam vinariam.

alia autem exempla metrica extare non memini. neque enim quidquam efficitur Plautinae most. I, 3, 60. quod cum ita sit, recte dicit Festus descendere anginam a Graeco ἀγχόνη, sicut runcina fit a ῥυγκάνῃ, machina a μηχανῇ, Catina a Κατάνῃ, emollita o in i ut Latino ori aptaretur flexio sicut factum in *Demipho* pro *Δημοφῶν, thermipolium*

pro θερμοπώλιον al.; cf. Fleckeis. in. Rh. VIII, 228; Ritsch. op. II, 488. — fuit igitur antiquitus *ancina*, post corrupta ut saepe, quo Latino vocabulo assimilaretur, forma Graeca.

35. verba respondentis ei, cuius est fragmentum praecedens, homini ut videtur nimis anxio de amici languore correpti valetudine.

36. *clinas;* ita una fere litterula addita unaque immutata sanitatem verbo corrupto reddidimus. — *vetus, vetulus.*

38. praecesserant velut haec:

si dubitet, iubeo te nostris dicere verbis.

ventrem, *comedonem.*

39. *gomiae;* cf. quae sunt dicta ad IIII, 2. — vulgo *illae vetulae inprobae ineptae* contra lemma Nonii quod est *gulosi;* sicut habes IIII, 2 *gumias nostros.* — accedit quod unicum hoc foret in litteris Latinis exemplum elisae apud dactylicos exceptis christianis in tertia cretici syllaba diphthongi ae sequente brevi. denique ipsum illud *illiae* demonstrat, quid restituendum sit Lucilio. quis igitur dubitabit, quin *vetulei* et *inprobei* sequente *i* labem traxerint, denique horum exemplo *ineptei?* ita plane apud eundem Non. 124 s. l. ignote id est inscie reponendum *ignotei iteris sumus*, cum h. loco membranae exhibeant *ignotae*, eaedem 485 s. v. iteris *ignoti*, sicut et Priscianus 695. pertinet autem ad Bacchum et comites eius, de quibus 192 s. l. arva haec dicta

liberi quacumque incedunt omnis arvas opterunt.

illei; fuit cum corruptum iudicarem hoc voc.; sed neque hiatus in legitima caesura admissus neque repetitum initio praecedentis versus pronomen videntur habere quo offendare.

40. *curare* cum coniunctivo omissa particula ut ap. Hor. c. I, 38, 5; sat. II, 6, 38. — alia eiusdem usus exempla sed ea paucissima adfert Lachmannus comm. Lucr. 362, 3. — *gerdius* — *textor;* displicuere non quidem metricas ob causas sed ut pedestri magis sermoni apta cumulata nomina seu verba; qualia cum haud raro admisissent antiquissimi auctores inopia metri, ab insequentibus praeter satiricos id plane fuit alienum, nisi ultimi temporis auctores vanitate ingenii sive aemulatione vetustissimorum idem repetissent; cf. d. r. m. 240, 1.

41. *muco* ut ap. Homerum μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο. — ceterum illud *fervente* dum considero, plerumque adducor ut nugari credam Nonium.

42. *praeservire* verbum Plautinum; cf. Amphitr. prol. 126. — *labra delingit;* Martialis I, 83 *os et labra tibi lingit, Manneia, catellus.*

43. apud Nonium ipsius sive librariorum eius culpa lemmata quae essent *conficere consumere* et *conficere consummare* in unum conflata satis apparet.

45. l. XXX; s. eod. l. 321, 5 et 27 proferuntur a Nonio huius libri versus, unde haud improbabili usus coniectura verba *pulchre*

invitati e. q. s. tribuas eidem. — versum quem ibidem adfert Nonius ex Turpilii Leucadia non intellexerunt docti ita esse reconcinnandum

invitavere plusculum hic se in prandio.

ibi v. fertur *invitavit pl. h. sese i. pr.*, exc. quod habent B Gen. *invitavit viri.*

46. *ludo* ut 48 *ludo ac sermonibu' nostris.*

47. *scito* e. q. s.; pleraque in libris Lucilii fuere *συμποσιακά.* — *mortalibus* pro *hominibus*, ut saepe apud priscos scriptores Latinos. — *dapsilius;* nota comparativum adiectivi e Graeco sermone adsumpti. — de caesura alterius v. cf. l. n. 369.

48. *cuius* monosyll., cf. d. r. m. 271. — iungenda *cuius* et *verginis; voltu* et *facie* dativi. — nota minus eleganter positum duplex *ac.* — *verginis* secundum arcanam rationem sonorum, ut I, 23 *vellis:* ita in Caecilii versu trochaico qui legitur 101, 23 *nomen virginis nisi mirumst deintegravit* _ ᴗ _ praebet L 1 *verginis;* idem 227, 15 in Titinii m. 1 *vergo.* talia autem pleraque librariorum arbitriis inmutata esse sat constat. cet. cf. de his quae sunt *vergo*, *verga*, *vendico*, *vella*, *vegeo* sim. Ritsch. op. II, 779 sqq.

49. *euplocamo*, vox Homerica; ita alibi *καλλιπλόκαμος.* — *digitis;* haec si recte habet scriptura, supplendum ut puta *aptat.*

51. *ego* pro *equam:* in versu Luc. ap. Macrob. VI, 9, 11 habet liber optimus *ego equitare.* — *equam te acrem atque animosam Thessalam et indomitum;* Horatius *quae velut latis equa trima campis ludit exultans metuitque tangi.* ita et Anacreon versibus qui infra afferentur. — *Thessalam;* pretiosae equae Thessalae; unde oraculum vetus *ἵππον Θεσσαλικὴν Λακεδαιμονίαν τε γυναῖκα.* — *subigamque:* ita scripsimus, secuti vestigia librorum et ipsa cogente sententia; quae plane est eadem atque in nobilissimo fragmento Anacreontis

πῶλε Θρῃκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα
νηλεῶς φεύγεις δοκέεις δέ μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν.
ἴσθε τοι, καλῶς μὲν ἄν τοι τὸν χαλινὸν ἐμβάλοιμι,
ἡνίας δ' ἔχων στρέφοιμί σ' ἀμφὶ τέρματα δρόμου.

ita et Goethius:

ich liebe dich, mich reizt deine schöne Gestalt,
und bist du nicht willig, so brauch' ich Gewalt.

52. illud *ante* postquam ex priore fragmento removimus, hic omnino nullum habet locum: alias certe mirificum in modum langueret.

54. hoc frgm. et proximo agi videtur de nupta quae occasiones adulterum visendi enarrat. etiam sequentibus quattuor de eadem agi puto. — *apud aurificem;* videnda quae notavi ad VIIII, 30.

56. hic versus bene poterit referri ad adulteram inpermissa libidine rei domesticae neglegentem. nam probae feminae eaedem lanificae. — *pallor* ut apud Tibullum *iacebis inter arva pallidus situ.* igitur

non opus est, ut scribatur *squallor* vel *paedor*. — *caedunt;* ita Graeci *κόπτειν*.

58. *pudōr;* cf. d. r. m. 327.

59. *est*, *edit;* Maro aen. IIII *est mollis flamma medullas*. — *mite*, *dulce;* de amore illicito.

60—61. sermo ut videtur mulieris de absente marito sollicitae.

61. saepe interpungendo iuvanda veterum scripta, velut Ennii versus qui fertur ap. Festum 374 s. v. ratus sic distinguendus:

occiduntur ubi, potitur ratu' Romulu' praedam.

ubi cum praesenti ut saepe alias et apud ipsum Ennium.

62. nugatur Nonius. est enim sermo pueri delicati ad servum cui curam corporis mandavit; cf. VII, 9.

63. *inberbi;* Varro epistula ad Fabium: *facie Saturorum similes sunt quod simi sunt idemque inberbi;* Hor. epist. I. II *et quae inberbi didicere*, *senes perdenda fateri*.

64. *de quo*, de puero delicato videtur fuisse sermo. — *haec* (si recte habet; nam potuit antiquitus scriptum fuisse *heic*) accipiendum erit de meretrice.

67. hoc Lucilii fragmentum alieno apud Non. loco legi sat apparet. pertinet haud dubie ad lemma praecedens *taetrum vitabile*. — *hominis* pro *ominis;* Paul. 3 *axamenta dicebantur carmina Saliaria*, *quae a Saliis sacerdotibus canebantur in universos homines composita;* ubi alii *universos deos*, alii *universa numina;* tu vero repone *universos semunes*. — *taetrum omen* ut apud Livium l. XXII [9, 8] *taetra prodigia*. ita Matius Il. lib. I *obscaeni interpres funestique ominis auctor*. — illud *ingressast* ut ponerem pro *ingressus* (et sequitur *t*), ea re sum adductus, quod fabulam de volpe leonem visente tangi hoc loco adsentior Gulielmio et Dousae.

68. *deducta voce;* Cornificius:

deducta mihi voce garrienti.

similia exempla Afranii, Pomponii, Vergilii habes ap. Macrobium VI, 4, 12, 13.

69. *quare fit*, *ut;* cf. d. r. m. 237.

70. *depetigo;* etiam Cato d. r. r. 157 usus hoc vocabulo; glosae Labbaei *depetigo λέπρα;* etiam *inpetigo* invenitur. — *deque petigo* cum tmesi ut similia alibi; eam non respexit Nonius ut nec supra frgm. 50. — ceterum hoc fragmentum sicut illa

tritum et corruptum scabie et porrigini' plenum

et

hic in stercore humi stabulique fimo atque sucerdis

pertinere videntur ad canem quendam similem Argi Homerici.

71. *conque tubernalem;* ita l. XXX etiam *deque dicata*. neque

prioribus XX pepercisse Lucilium generi tmesis illi ipso Consentii testimonio efficitur, a quo ultimum volumen respici minime est credibile; ceterum videnda quae dixi d. r. m. 368.

73. de Ausonii testimonio l. n. pg. 367. quae dixi hic placuit repeti: horum exemplorum similia Lucilium admisisse vix adducor, nisi forte urbanis facetiis usus uti irrideret Ennium. huius sane fuit decantatum illud *saxo cere comminuit brum.*

74. *tritum* pro *tristem;* ita *tristis* pro *tritos* in Pompon. versu 209, 6.

75. *stabulique;* ita recte Dousam puto scripsisse pro eo quod est in scriptis *fabulisque;* neque enim si Plinius fabas caprini fimi dixit n. h. XVIIII, 12, 60, ideo fabulas pro fimo poni licet. — *fimo atque;* cf. d. r. m. 369, 70.

76. sententia similis ut videtur ei quam habes apud Cornificium quem vulgo credunt *satius est regibus uti quam malis legibus.*

77. supplendum ut puta *num mirum erit?* vel simile.

78. apud Dousam legitur satis apte *praestringatque oculorum aciem splendore micanti.* sed etiamsi facile potest fieri, id quod est *oculorum aciem* ut ipsius sit Lucilii, omnia tamen in hoc fragmento incerta praeter ultima duo vocabula. quippe apparet statim a primo verbo aberrasse librarios ad Plauti versum proxime progressum.

79. *quo* e. q. s., verba Lucilii ad amicum detrectantem sermones. — *cognoscere* dictum pro agnoscendo ut apud Maronem [ecl. 4, 60] *incipe parve puer risu cognoscere matrem.*

80. *cuia opera;* notum Maronis

dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

quod inficeto commento quidam irrisit ita:

dic mihi, Damoeta, 'cuium pecus' anne Latinum?
'non; verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.'

Troginu' calix; a Trogo sive a Trocinis Gallis dictum putat Turnebus; *terginu'* i. e. *scorteus* magis placet Scaligero, ut laudetur frugalitas imperatoris, qui in castris tali usus sit poculo pro argenteo. locus obscurus.

81. *plauta;* Paulus 239 *ploti appellantur qui sunt planis pedibus.* Vmbrorum vocabulum esse Festus adserit 238. — *mers* pro *merx* ut 1, 27 in versu Plauti *mers mala;* de hac forma quae saepius legitur in Plauti et Nonii libris (tamen ut in huius verbis bis legatur *merx* pg. 431) exposuit Ritschelius op. phil. II, 656 sq. — *mers Libiteinai*, ut Plautus in milite *oppido Acheruntiсus* et ib. *senex capularis.*

Franckenius II, 91 *clauda una est pedibus cariosis mensa Sabino*, sed vix recte; mirum certe foret verba tam simplicia tam foede depravata.

82. in *blaterandi* vocabulo boni poetae videntur corripere primam, producit qui scripsit carmen de Philomela [anth. Lat. 233]

auctor barbarus et aetatis ultimae, v. 56, ut 55 in illo *quiritat.* — *blennos;* Paulus 35 *blennos stultos esse Plautus indicat*, ubi Muellerus *est Graecum βλέννος, fortasse e Sicula comoedia translatum.*

83. sunt verba nutricis, quae alumna iam adulta familiarius ut olim uti posse se sperat. *aetatem* i. e. multos annos ut l. I. *non tamen aetatem.* — *haec;* supplendum verba qualia sunt *pullus*, *catellus* etc. — *daturum* ut l. XI *nupturum:* ubi notavimus similia. — non recte Lachmannus comm. Lucr. p. 82 *sperans lactare me eandem hanc proporro posse et mansum ex ore daturum* metro minus elegante et sententia non satis apta; praeterea mutatione audaciore.

85. *hic ut* e. q. s. agitur de homine insidioso.

87. verba Lucilii nescio an rectius sequenti lemmati adscribantur, quod est *ruere* eruere levare. quod si secus habet, aut stultitiae vel solitam superantis reus est Nonius aut scribendum potius *ruis huc.*

90. nugatur Nonius.

91. haec non de C. Caelio iudice sed de pugile aliquo aut latrone dicta apte monet Franckenius II, 83; qui affert Horati illud [sat. I, 4, 69] *ut sis tu similis Caeli Birrique latronum.* — *Caeli;* puto non ipsius hominis sed similis saevitia. — *pugnas*, *pugnos* Dousa, cui libenter subscriberem, nisi refragari videretur Nonius.

92. Vergilius aen. III, 593 *dira inluvies inmissaque barba.*

97. *quondam* in comparatione sicut saepius *olim.* Ov. metam. VIII, 191 *sic rustica quondam fistula disparibus paulatim surgit avenis;* nisi potius scribendum *rupit.* — *risu*, immo *reisu.*

100. et *Musco* (i. e. *Μύσκων*) et *Muto* nomina recte habent. sed potior erat auctoritas Nonii; Muttonem praefert Franckenius II, 92, qui carpi putat Q. Muttonem hominem sordidissimum qui cum iniuria affecisset L. Aelium Stilonem a liberto eius est in ius vocatus; eius meminit Cicero in orationibus pro Scauro et pro Fundanio. — *tagacem*, *rapacem;* nam videtur falli sententia Festus. — *perscribere* verberibus. Catullus *ne laneum latusculum manusque mollicellas inusta turpiter tibi flagella conscribillent;* ita et *conscribere* apud Plautum.

101. *Palantina;* hanc restitui formam aperta librorum secutus vestigia; qua quam facile potuerit uti Lucilius cito intellegetur reputantibus fuisse plerosque qui a Palanto uxore Latini sive a Pallante Euandri filio nomen ducerent. Cf. Fest. pg. 220 s. v. Palatium.

102. Cat. 15, 16 *ut nostrum insidiis caput lacessas.*

103. *nolito;* eadem forma usus Hor. in arte poetica:

> nolito ad versus tibi factos ducere plenum
> laetitiae.

105. minus recte explicari illud *habendo* a Philargyrio monet Lachmannus, qui confert Lucretii exemplum [I, 312] *anulus in digito subter tenuatur habendo.*

Ex libris incertis.

1. nobilissima illa et vere Romana definitio virtutis, quae tam longo intervallo a Graecorum philosophorum placitis quam a christianorum doctrina distat; quam contra Lucilium adserit Lactantius. — *virtus* sexies repetitum. tam frequentes iterationes nondum adultae aut senescentis sunt artis; etenim castigatissimus quisque scriptor semel repetendis per anaphoram verbis fuere contenti. saec. p. Chr. n. V poetis quid in hac parte placuerit apparet anthol. Lat. 290, 28—36; 1024, 36—58. — *Albine;* puto significari A. Postumium Alb. cons. a. 603.

2. *vis est vita;* Menandri monost. 66 *βίος κέκληται δ' ὃς βίᾳ πορίζεται.*

4. haec Lucretio obversata sunt, cum scripsit [II, 9 sqq.]

despicere unde queas alios passimque videre
errare atque viam palantis quaerere vitae,
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctes atque dies niti praestante labore,
ad summas emergere opes rerumque potiri.

eidem disyll., cf. d. r. m. 271.

5. ut defendat codicum lectionem Dousa, supplet illud *candidato.* — porro scripsere plerique *tanti ipse sies;* non recte; nam ita *ταυτολογεῖ* oratio. — imitatus est h. l. Horatius sat. I, 1, 62 *nil satis est inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.* — Apuleius in Apol. c. 23. *tu vero Aemiliane et id genus homines uti tu es, inculti et agrestes, tanti revera estis quantum habetis.* — cet. cf. Plut. de avaritia cap. 7 *κέρδαινε καὶ φείδου καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτόν, ὅσον ἂν ἔχῃς.*

6. *Tuscolidarum;* hanc formam ut in vocabulo cui graecanicam patronymicorum terminationem adhibuisset Lucilium probasse non est quod miremur. — *Papiria,* quia Tusculani erant in tribu Papiria; cf. Liv. VIII, 37. — inprobatio autem Tusculanorum livoris continebatur Graeco illo versiculo, quem fortuna nobis invidit.

7. *Oufentina, Oufente;* Marius Vict. 12 *nostri etiam* (*antiqui*) *quotiens eiusdem soni syllaba scribenda esset, et ipsi adiungebant o litterae u. inde scriptum legitis Loucetios, nountios, et loumen et cetera.* praeterea conf. Ritsch. comm. de miliario Popiliano deque epigrammate Sorano pg. 33 sqq. cuius ipsa verba subicio: '*his quae exposui curiose perpensis satis iam confidenter complectimur, quod modeste Momsenus coniecit de dial. p.* 217 *sq. non unius simplicis vocalis loco illam esse ou scripturam sed ex o vocali et v consonanti compositam syllabam.*' — et pleraque quidem exempla satis aperte Ritschelii opinioni favere apparet (nam et pro brevi u invenitur ov), omnia non existimarim; certe non hoc ipsum quod servatum est apud Lucilium; nam copulatae Latino sermone v et f exemplum non prostat. — igitur fortasse etiam hic ut alibi prima rei origo ratiuncu-

larum argutiis quae a Graecorum maxime scribendi more repeterentur obscurata. — ceterum de usu huius ov adscripsi Ritschelii haec pg. 3 *ov scripturae exemplum medii quidem saeculi septimi nullum novi, si ab una radice ea recessero a qua ious, ioussi, ioudicare, iourare facta sunt. in his enim solis priscum scribendi modum tenax vetustatis consuetudo legatis servavit ad legem usque Antoniam anni circiter* 682.

9. *Albuci;* de T. Albucio ita Brut. 35, 131 *doctus etiam Graecis T. Albucius vel potius paene Graecus. loquor, ut opinor. sed licet ex orationibus iudicare. fuit autem Athenis adulescens; perfectus Epicureus evaserat, minime aptum ad dicendum genus.* eum Q. Mucius Scaevola, cum iter in Asiam haberet, cuius fuit propraetor a. 633, hoc quem refert Lucilius modo irrisit. ceterum post a. 649 propter male gestam provinciam in exilium acto Albucio placuit repeti Athenas. — hunc semigraecum frustra multi eundem putarunt cum L. Albucio, cuius libros Luciliano charactere conscriptos memorat Varro. — *Ponti;* Cic. in Catone mai. 10, 33 *ne vos quidem T. Ponti centurionis vires habetis.* — de Tritanio nihil constat. — *primorum;* nominativus potius *primores* quam *primi;* hoc enim centurionis ordo vix capit. — *hostis*, quia Graecum se haberi volebat Albucius. — *inimicus*, incertis causis; ceterum praetura Asiae functum Mucium repetundarum postulavit Albucius; cf. Cic. Brut. 26, 102.

10. *pavimenti atque emblemati' vermiculati;* ita scripsi quantumvis adversantibus apographorum plerisque; neque enim ea antiquorum est culpa auctorum sed medii aevi librariorum; qui dum odio paene internecivo *s* truncati delent exempla innumeris locis pro genetivo qui ipsis videretur dativus reposuere ablativum. bene igitur sit Ciceronis in Bruto et Quintiliani Pliniique locis nec minus Nonii lemmati; quae quid verum esset indicarunt. — *emblemati' vermiculati;* apud Varronem in ταφῇ Μενίππου recte docti *facies maeandrata et vermiculata*, ubi libri *vinculdta.* — *vermiculatim* pro *vermiculati.* saepe ex lemmatis Nonii vera lectio recuperanda, velut in illis quae leguntur 75, 29 *attigat continget. Turpilius Leucadia: ne me attiga* (*atiga* L 1) *atque aufer manum! heia, quam ferocula est.* ibi primum omnium reponendum *continge*, quod vocabulum labem traxit sequente *t.* et firmat rem Bambergensis, in quo reliquis omissis legitur *attigat contingetur.* rescribe ocius:

⏑ – ⏑ – ne me áttige atque aufér manum.
'heia, quam feroculast'!

verba ultima clausulae instar; de qua extat Varronis testimonium apud Rufinum 379. — illud *attigat* sequente *atque* ortum. vulgo parum eleganter *attigas.*

11. ad explendum versum priorem haud male addidere docti *febris* post vocab. *consequitur.* — *Rhondes;* Muellerus mavult *Rhonches;*

mihi neque huius nec illius nominis praesto sunt exempla, sed ut neutrum a probabilitate alienum esse existimem. — *Icadion;* hunc *Icadium* appellat Cic. de fato 3, 5; 6, ubi habes sine varietate lectionis *in Icadio*, *Icadii*, *Icadius*. — apud Graecos inveniuntur utriusque nominis exempla.

13. ita, diverbio constituto, coniectura poterat abstineri; alioqui scribendum erat *nam*.

14. *inguen ne existat.* ita Fronto pg. 89 ed. Lips. *postea etiam inguen ex ulcere extitit*, ubi memor fuit Naberus loci Luciliani. — illud *bova* restitui secutus iudicem euphoniam nec minus Pauli testimonium apud quem legitur pg. 30 *bova serpens est aquatilis — crurum quoque tumor viae labore collectus bova appellatur*. Varro ap. Non. 25, 2 *bovam luto oblevisse*. ita nuper Propertio reddidimus *bovaria*. videnda quae notavimus ad eius V, 9, 19. — glosae Labbaei *bobantes βοῶντες*, ubi recte docti *bovantes*. — in excerptis Pithoei quod tribuitur pg. 70 verbum officiperdi Catullo, id aut ad mimographum Catullum referendum aut potius ad Catonem, qui disticha moralia scripsit. quod contra quae leg. 71 placor tranquillitas ut Catul. [64, 273] plangor, ut alia ipse Pithoeus interpolavit.

15. *resultantes* i. e. *resonantes*. — *aedesque lacusque;* aedes laqueatas interpretatur Dousa; vereor tamen ne memoria sit lapsus Servius, neve sit reponendum *arcusque* pro *aedesque*. videnda quae afferentur ad frgm. proximum.

16. *lacusque arcusque;* ita docti probabiliter apud Lucretium II, 28 *laqueata arquataque tecta*.

18. 19. servi haec verba. — illa *lactantis ficus* ad Ennii versum qui legitur ap. Char. 103 s. v. fici referenda esse fugit homines doctos. — *lactantia Coa*, Hor. sat. II, 4, 29 *sed albo non sine Coo*. — ceterum huic frgm. subiungit Dousa rectissime id quod proximo loco posui.

21. *muribu'*, puto *marinis;* nam Lucilius ubique se ut peritissimum ita observantissimum rerum quae ad cibum potionemve pertinent declarat existimatorem. — *pecu* cum hiatu; cf. d. r. m. 307, 8. vulgo contra libros *pecui*, qua usum esse forma Lucilium abhorret ab omni probabilitate.

22. *fingere*, i. e. *ementiri;* est infinitivus historicus. — *Tiberinus catillo;* lupum piscem intellegit, de quo Horatius sat. II, 2, 31 sqq.

> unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
> captus hiet; pontesne inter iactatus an amnis
> ostia sub Tusci.

Iuvenalis 5, 104 sqq.

> aut glacie aspersus maculis Tiberinus et ipse
> vernula riparum, pinguis torrente cloaca
> et solitus mediae cryptam penetrare Suburae.

duo pontes; ita eodem tempore C. Titius in oratione qua legem Fanniam suasit *lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit.*

23. *Aegypto sargus;* supra l. XIII *Syracusis sola;* Plautus merc. V, 2, 99 *video ibi hospitem Zacyntho;* Varro d. l. l. VIIII, 67 *alii generis enim vinum quod Chio, aliud quod Lesbo.* ita Graeci *οἶνος Χιόθεν.*

25. *sumeret aeque amian.* haec verba si recte habent, sermo est de conviva, qui ne amia vescatur inprovisa aliqua re impeditur; cf. Hor. sat. II, 8, 90 sqq.

26. *inbubinat; buvinare* in glosis Isidori, *bibinare* apud Placidum. — ad Venerem muliebrem et puerilem inter se comparatam spectare h. v. probabiliter statuit Muellerus.

27. *muttonium;* etiam *muttonius* reperitur.

28. inventum ab ipso illud *noctipugam* tutatur Salmasius glosis Palatinis, quas praesto esse sibi dicit: *noctipugam obscaenum, quod quasi noctibus compungat.* sed de his nihil aliunde innotuit. — ceterum fragmentum illud plerique tribuerunt libro II freti lacunoso, quem in testimoniis rettuli, loco Festi. at eos confutat Lachmannus in prooemio lect. aest. univ. Berol. a. 1849 pg. 6, eo argumento usus, quod Verrius numquam alias Lucilii verbis numerum librorum adposuerit. quod cum ita sit, aut ad aliud Festi testimonium pertinere iudico id quod est *l. II obscae,* aut potius reponendum *Luc.* i. e. *Lucilius obscaenum significat.* — denique illud *medica* sit Lucilii necne prorsus incertum.

31. ita lenissima correctione facta locum, qui plerisque plane videbatur depositus, suo restituimus nitori. — apparet enim ex verbis Festi mutuas factas inter P. Scipionem et sectatorem ipsius exprobrationes, quas quidem fuisse iocosas ipsa ultima Festi verba demonstrant. simul luce clarius est illud, dativos *deliciis, effigiae, cinaedo, sectatori* non habere iam, unde pendeant. itaque unum fere versum excidisse opinor, quem, ut ibi Gai nomen pro quovis Latino sive Graeco poni concedas, in hunc modum conceptum fuisse apparet:

Gaius, et simili regerit probra usu' lepore.

Scipiadas, eadem forma ap. Lucretium III, 1034; et *Scipiadam* dixit Hor. sat. II, 1, 17. — *dicteria;* eo vocabulo usi Varro, Pomponius, Novius. — *otei;* ita Verrius, contra regulam Lucilii. — *Luci,* fortasse Aelium Stilonem alloquitur Lucilius. — *efficiae* pro *effigiae,* i. e. *umbrae,* ut *effigia* est apud Afranium v. 365 utque Lucretius *effigias* et *effigiae* dixit IIII, 42, 85, 105. — *sectatori,* non quod Verrio visum, sed *inportuno asseclae.* — cet. non recte cepisse annot. Verrii Festum ultima eius verba, quae videre est apud Muellerum, declarant. illud enim non credo inter *frequentes* et *cum* excidisse *scurrae* vel *scurrantes.* — ceterum longe aliter hunc locum constituit Lachmannus, quem (ut audaciam mutationum omittam) apparet prorsus non cepisse adnotationem Festi; nam idem unde sciat Apulos pro hominibus molestis dici

solitos ignoro; simplices et rusticos habitos esse declarat Plauti versus [mil. 654]:

post Ephesi sum natus, non in Apulis, non Animulae.

33. *rhetoricoteros* ut priore frgm. *λέξεις* ad irrisum Albucii ut Graeculi. — *rhetoricoteros;* comparativo adiectivi Graeci Graeco solus inter poetas Latinos usus est Lucilius; *s* omissa ut l. XXX in *scorpios.*

34. hoc fragmentum post Dousam ad concilium deorum referri solet, parum recte, cum alienum sit a fide eum, cuius coercendi causa illa *θεῶν ἀγορὰ* fuit instituta, secundo loco inter impios relatum esse; nec temporum ratio congruit, cum defunctis non modo Lupo ac Tubulo sed etiam Carbone, qui multo fuit aetate posterior, haec scripta esse appareat, modo sensum Lucilii — de qua re non est cur dubitetur — a Cicerone pedestri oratione curate redditum existimemus. neque decuit in concilio, cui ipse Neptunus adesset, filium eius dici cum contumelia. — *Tubulus Lucius;* ex gente *Hostilia;* hunc sua etiamtum aetate invisum dicit Cicero de fin. V, 22, 62; eumque unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse narrat idem pro Scauro 1, 5; ubi haec scholiasta: *L. Tubulus praetorius fuit aetate patrum Ciceronis. is propter multa flagitia cum de exilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit.* fuit autem praetor a. 612 quo tempore cum iudex quaestionem inter siccarios exercuisset quod manifestus erat pecuniae a reis acceptae anno proximo P. Scaevola tribunus pl. tulit legem, ut de ea re anquireretur. et statim indicta causa abiit in exilium Tubulus quia nimis erat res aperta. cet. conf. Heusd. pg. 208, 9. — *Lupus;* de eo dicetur ad Hor. sat. II, 1, 68. — *Carbo;* tres fuisse fratres pariter improbissimos, C. Cn. M. Carbones, etsi dicit Cicero ad fam. VIIII, 21, 3, tamen vix potest dubitari, quin tangat Lucilius C. Papirium Carbonem, amicum Tib. Gracchi, trib. pleb. a. 623; cuius fuere insignes cum P. Africano inimicitiae; nam et auctor mortis huius fuisse dicebatur. is cum prius summo opere favisset populari parti gesta praetura a. 629 acerrimum optimatium amicum se praestitit, adeo ut consul 634 L. Opimium auctorem necis C. Gracchi in iudicio defenderet. sed neque veteres conciliavit omnino inimicos et novos paravit. itaque a. 635 in ius vocatus a L. Crasso admodum adulescente (non satis constat qua de causa) ut damnationem fugeret cantharidas sumpsisse memoratur. vid. de eodem Heusd. pag. 209 sqq. — *Neptuni filius;* hos fuisse ferocissimos et alienos ab omni humanitate refert Gell. XV, 21. — ceterum ut obiter hoc moneam, turbarum quas Gracchi excitarunt apud Lucilium insectatio nulla, sive casu id factum seu quia ipse minus favebat optimatium partibus, quorum superbiam et saevitiam haud raro asperis verbis perstrinxit. et medius inter Gracchos et optimates fuit P. Scipio. — ex loco Ciceronis — qui quae pedestri oratione circumscripsit suspicor nimis *ἀρχαικῶς* fuisse perscripta apud Lucilium, hanc potissimum ob causam ut inverteret — suas sumpsit ineptias falsus Apuleius, qui pg. 3 Osann. haec

habet *Busiris — Neptuni filius fuit ex Epaphi nata Libya* (*auctore*) *Diodoro atque Lucilio*, *cui Cornelius Rufus in lyricis ita subscribit.*

35. ad Varronis verba haec notat Muellerus *de Ambivio Turpione loqui videtur Lucilius et ludere in nomine.* at Ritschelius parerg. 187 *si Ambivius*, inquit, *Hecyram fere sexagenarius*, *primas Caecilii fabulas circa tricenarius docuit*, *ille cuius meminit Lucilius qui natus fuit c. a. u. c. sexcentesimum vix potest esse idem.* ea excepto quod de natali anno Lucilii minus certo constat rectissime moneri existimo.

36. apud Dousam haec leguntur velut Lucilii:

quare (omitt. Putschius) servandi numeri et versus faciendi
nos Caeli, Numeri, numerum ut (*et* Putschius) servemu' modumque.

et porro Charisii verba: 'Lucius, Aemilius et cetera nomina, quae ante V habent I, duplici II genitivos singulares finire debent, ut necesse sit adversus observationem nominativo non minorem fieri genitivum, idque Varro tradens adiecit vocativum singularem quoque talium nominum per duplex II scribi debere, sed propter differentiam casuum corripi. Lucilius tamen et per unum I in genitivo scribi posse existimat: ait enim 'servandi numeri et versus' etc. numquam enim hoc intulisset, nisi et Caelii et Numerii per ii huius Numerii faciendum crederet.' — et primo quidem Lucilii verbo haec adicit Ianus Dousa 'ita hos versus ex v. c. restituimus.' sed enim ne credas presso quod aiunt pede vestigia illum secutum membranae ipsis Dousae filii verbis prohiberis, qui haec notat: 'ita optimos hos versus ex veteri codice Charisii eruit pater.' et hercule hic ut alibi testimonia membranarum propriis interpolationibus turbasse Dousam clamat res ipsa. primum enim memoria libri Neapolitani qui potior est Coloniensi quamquam et ipso bono aperte repugnat eis quae prolata sunt ab illo, deinde (nam facili sane errore potuere omitti illa *numeri et versus faciendi*, *nos Caeli* ante *numeri*, nec minus *et Caelii* ante *et Numerii*) Cassiodorii auctoritas qui solum agnoscit Numerium atque adeo ipsius Dousae. qui si revera in codice suo invenisset scripta *et Caelii et Numerii*, ibidem et oportuit exhiberi *huius Caelii huius Numerii.* — praeterea ipsa verba prioris hexametri talia sunt, explicare ut nullo modo possis; nisi quis statuerit illa *servandi numeri et versus faciendi* genetivum esse cui supplendum sit *causa;* quae ellipsis est omnium rarissima. — igitur interpolata sunt illa ex versibus Maronis:

dic quibus in terris — et eris mihi magnus Apollo —
tris pateat Caeli spatium non amplius ulnas.

causa vero cur interpolaret illa idem, fuit error sane ineptissimus, quo plerique lapsi statuerunt Lucilium h. v. quem l. VIIII perperam tribuerunt, aliquid praecipere de genetivis substantivorum in ius vel ium exeuntium: sed enim nusquam eum de hoc egisse ipsa Charisii verba conferenti facile apparebit. de qua re primus Varro quaestionem instituisse invenitur, qui praecepit rationibus adductus vanissimis ut duplex

i poneretur in genetivis, sicut etiam alii fecere eius aetate — modo fides sit Charisio —, vix tamen ut pronuntiando efferrent geminam syllabam, id quod primus ausus est Propertius. — ceterum verba Lucilii ita accipienda, ut existimemus eum in priore parte saturae per ambages tetigisse nomen praeter genetivum et vocativum ineptum metro et de ea difficultate superanda disseruisse; sicut saepe poetae in re simili; cf. d. r. m. 12. 13. 20. — pessime autem Lachmannus de prisca huius versus forma comm. Lucr. pg. 329 disputavit, vulgatam quippe eamque absonam et ipse interpunctionem secutus.

37. *Decius;* P. Decium qui a. 120 L. Opimium C. Gracchi interfectorem in ius vocavit significari statuit Franckenius II, 72. — ceterum hic versus quo pertineat plane incertum; nec enim multum iuvamur ea re quod nuculas Praenestinos vocitatos esse refert Festus 173. tamen illud *confixum* corruptum existimo. pertinet iocus Scipionis haud dubie ad rem eis qui in libris de oratore producuntur personis atque adeo ipsius Ciceronis aequalibus notissimam, nunc vero oblivione obrutam. unde praestat abstinere a coniectando vel verius ariolando. — ceterum pleraque quae de aetatis Lucilianae viris refert Cicero l. II de oratore nec minus alia quaedam quae ad privatam P. Scipionis vitam pertinentia subinde memorant scriptores Latini e Lucili saturis venisse plurimos habet numeros probabilitatis.

39. sophistarum ludibria hoc fragmento inrideri apte monet Scaliger. — ceterum illud pro solita socordia perperam intellexit Nonius. — *aquae* pro *atque* in libris Nonii; idem vitium XVII, 1, 2 observavimus.

40. in *sciendi* et *nesciendi* vocabulis etiam proximo frgm. ludit Lucilius; id. l. XXX *quem scis scire tuas omnes maculasque notasque.* — *sibi nesciat;* Plaut. mil. 282 *tute scias soli tibi;* ib. 331 *mihi ego video, mihi ego sapio — plurimum.*

45. *verna*; Plautus Amphitr. IIII, 2, 13 *cum cruciatu tuo istaec hodie verna verba funditas;* ib. I, 1, 25 *sum vero verna verbero.* — *cercupithecon; cercopitheci* legitur in Varronis verbis 201, 26.

47. 48. Dousa cum Scaligero volt reponi *camphippelephantocamelos*; quod monstrum animalis quid sibi velit nescio. — eo portento tragicorum verba sesquipedalia qualia sunt *incurvicervicus* sive *repandirostrum* si carpere voluisse putabimus Lucilium, certe non admodum felici invento usum eum esse fatendum erit; cf. mus. Rhen. XVII, 197, 98. — ceterum quod dicit Franckenius II, 33 fortasse Lucilium presse sequentem normam Graecam, ex qua in propriis nominibus ἵππος sit sine adspiratione dedisse illud *campippelephantocamelos*, quamquam causa quam affert est parum idonea, tamen utique scripsit poeta *campippum*, quia eius aetate Romani nondum aspirabant consonis.

48. *pantherocamelus* i. e. *camelopardalis,* sive ut Horatius dicit *diversum confusa genus panthera camelo*, quod ea bestia nullo omnino modo dactylicis numeris potuit aptari. nec vero obstat quod

Lucilii aetate ea fera nondum visa erat Romae. ita rhinocerotis, qui etiam Caesaris dictatoris tempore in urbem est advectus primum, meminit idem. — pantheram a pardali non distinguunt veteres. Varro d. l. L. V, 20 *camelus suo nomine Syriaco in Latium venit, ut Alexandrea camelopardalis nuper adducta, quod erat figura ut camelus, maculis ut panthera.* — *pantherocamelus* extra ordinem alphabeticum ut 87 *aquantur* s. v. *copiantur* et similia passim.

49. nota quod permagna pars fragmentorum sine libri numero a Nonio allatorum quae dactylicam habent mensuram est ex cap. III; in quo neque XXX librum umquam adhibuit et raro eos qui sunt a XXVI ad XXVIIII.

canaliculam; vereor ne Nonius etiam hoc loco solitae sit arcessendus stultitiae; neque enim abhorret a probabilitate ad Lucilium referenda quae prostant apud Paulum 45 *canalicolae forenses homines pauperes dicti, quod circa canales fori subsisterent.*

50. guttur masculino genere positum Naevii, Plauti, Varronis exemplis adstruit Nonius.

52. 'pater lubenter legisset limporem, nisi verba Nonii alio spectasse viderentur. ut enim liquidus a liquore, sic limpidum a lympore etiamnum in usu veteribus fuisse existimabat.' Dousa.

53. *quibus*, hominibus.

55. illud *ruentum* pariter ad omnia substantiva pertinet. — vulgo scribitur *saxa et stridor ubi acquierunt, tum sibilus instat;* quod ut synizesi est inelegans, ita sensu cassum.

56. qui voluit reponi illud *Livius Andronicus* pro *Lucilius Andronius* Iunius, non animadvertit semper Livium, numquam Andronicum vocitari a Nonio illum, addito bis 207, 29; 368, 25 ipsius vel potius librariorum neglegentia praenomine Titi. — *leget* i. e. *surripiet*, ut alibi *omnia vescatis manibus leget* et similia passim.

57. *voras* i. e. *vorans;* cf. Ritschelii opusc. phil. II, 715; Brambachii de orthogr. lat. libri 267. — *interfici;* cf. XXVIII, 30 *piscium magnam atque altilium vim interfecisti.*

58. *rursum*, alii *sursum.*

61. *depuvere* (sive *depuvire*) ut *obpuviat* (sive, ut placuit Dacerio, *obpuvit*), cuius meminit formae Paulus 191: *obpuviat verberat, a puviendo id est feriendo. unde pueri, quod puviendo coercentur.*

61. proverbialis dictio, ut apud Gallos *la sauce vaut mieux que le poisson;* sive apud Germanos *die bruehe ist groesser als die brocken.*

62. verba Lucilii ad vilicum mancipia empturum. — *ἔμπλευρον*, bonis lateribus praeditam, quibus sane quam maxime opus pistoribus.

63. *nunc ad te redeo;* Hor. sat. I, 6, 43 *nunc ad me redeo libertino patre natum.* — *me inpendet;* ita dixit Terentius Phorm. I, 4, 2 *tanta te inpendent mala;* et Lucretius (nam dativum esse vix credo) I, 326 *nec mare quae inpendent vesco sale saxa peresa.* Lucilius alibi *accumbere mensam* sicut et Accius; cf. etiam Lehm. ad

Lucr. 302. neglegentiae tamen reus Festus, quippe qui non indicarit illud *me* Ennii loco ablativum, posteriore accusativum.

64. ineptam esse alteram Sinnii explicationem facile intellegetur. — displicuisse Romanis barbarorum, Afrorum maxime, morem anulatas ut ait Plautus habere aures notum. — cet. *vehementius* est in cdd. Festi et Pauli.

65. de eadem re Cic. ad fam. VII, 24, 1: *Cipius* (*Citius* Medic., *Capius* Ernestius) *opinor olim 'non omnibus dormio'; sic ego non omnibus, mi Galle, servio.* — de re simili refert Plutarchus erotici pg. 928 ed. Didotianae. nam cum Cabba quidam seu potius Galba, quasi per somnum coniveret, dissimularet se videre cum uxore sua per nutus colloquentem Maecenatem, ubi servus quidam vinum furabatur, subito apertis oculis *ὦ κακόδαιμον*, *inquit*, *οὐκ οἶσθα ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω*; cf. et Iuv, 1, 55 sqq.

68. de pedariis senatoribus videnda quae disseruit Gellius III, 18 cum notis interpretum.

70. *pro obtuso ore* e. q. s.; haec verba primus recte explicuit Lachmannus comm. Lucr. 20: *tam ignavus* (i. e. *segnis*) *quam consentaneum est eum fieri cui os pugnis obtusum sit.* — *pro obtuso ore pugil — reses;* hinc Asinii Galli epigramma in Marcellum grammaticum:

qui caput ad laevam didicit, glosemata nobis
praecipit. os nullum vel potius pugilis!

reses, *non resis* inquit grammaticus Vindobonensis pg. 444.

72. *suppus;* eo vocabulo etiam Lucretius usus I, 1061; idemque ex probabili coniectura Lachmanni restitutum III, 173. — *suppus* idem quod superbus nisi fallor, ut alias *supinus* vel *resupinus*.

73. non intellego qui potuerit dicere Od. Muellerus metrum adiuvari eo quod Dousa pater coniecit scribendum esse *redimit*, sententiam non explanari, cum neque ad numeros neque ad sensum quidquam desideretur. illud *dirimit* idem quod *frangit.*

saepius diverbia restituenda poetis veteribus velut hoc Afranii versu, qui leg. ap. Non. 342, 15:

a! a! (cdd. *a*) fulica bene peristi! — di te mactassint malo.

75. *varonum ac rupicum*, cf. Tertull. de anim. cap. 6. 'quid autem facient tot ac tantae animae rupicum et varonum, quibus alimenta sapientiae desunt'? ubi recte docti *baronum* pro *barbarorum.* nam *baro* an *varo* rectius habeat, adhuc est sub iudice lis. videnda quae de hoc vocabulo, quod quin stultum significet non dubitatur, annotavit Iahnius ad Pers. 5, 138 pg. 55. 203. 335.

77. *thomix;* apud Graecos saepius *θῶμιγξ*.

79. glosae Placidi pg. 451 ed. Mai 'di aquili (*aquilii* Maius) inferi'; cf. Mart. Cap. II, 164. — Hildebr. glos. Paris. antiq. pg. 14 'aquilos (*aquilosi* cd.) antiqui nigros dicebant.'

80. Paulus 98: gulliocae nucum iuglandium summa et viridia putamina. at glosae Steph. 105: gulluca καρυοτομία (καροιοτομια Steph.).

83. *ibus* brevi *i*, ut plerumque; cet. conf. Lchm. in Lucr. comm. 262. — illud *clepsere* non recte praesens esse putat Muellerus, cum sit perfectum. — *foro qui;* ita codd.; Scaligero placuit *foroque* quod tamen non capio, quamquam ne id quidem quod antiquitus traditum fertur satis securum esse existimo. si recte habet, interpretandum existimo ita: aliquos, qui in foro de rebus eis subduxerunt nescioquid.

84. vulgo fertur *quantum hinnitum atque equitatum;* quod ineptum esse miror nondum extitisse qui videret. etenim cum agat Varro de translatis in homines vocibus animalium, nullus locus hic equitatui. — illud solum potest dubitari utrum reponendum sit *quiritatum* an *heiulatum*. praetuli illud, quia proxime aberat a scriptura librorum, simul ut dactylici potius quam trochaici numeri existerent.

85. pertinet ad poetam elegiacum eundemque sapientiae praestantissimum praeceptorem, cuius iam Xenophontis tempore in scholis lectitabantur carmina. notum proverbium Graecorum

τουτὶ μὲν ᾔδειν πρὶν Θέογνιν γεγονέναι.

86. ad lacunam in verbis Lucilii explendam plura sunt praesto veluti *conitentum* sive *exercentum*, ut dixit Vergilius aen. VIII, 424 *ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro;* modo illud quod Scaligero placuit *tuditantium* reicias. — ceterum nugatur Isidorus cum pusillum malleum esse marculum probari volt hoc loco.

89. *fora* mercatus h. l. significare docet Charisius.

93. illa *quod pro minore emptum* quae leguntur loco posteriore Charisii haud dubie sunt reliquiae glosae parte verborum truncatae ut puta talis *quod pro pluris et minoris emptum plure et minore emptum dicebant antiqui*, sive scriptum fuit olim *quod plure et minore emptum dicebant antiqui*. quae invecta aperte ex pg. 84.

95. *suffocare lacunas* i. e. *lagunas;* dictum puto de eo qui corticem vehementius adigit in lagoenas, quarum ora solebant esse arta. *lagunas* pro *lagoenas;* cf. de ea forma Fleckeiseni libellum orthographicum s. v. *lagoena*.

96. *prodes;* alibi *coicito te intro ac bono animo es.* — quod addit Macrobius exemplum Vergilii ut ait *huc ades o Lenaee*, apud Maronem non legitur, qui habet georg. II, 7 *huc pater o Lenaee veni.* sed in carmine anthologiae Latinae ante Terentianum conscripto [573, 1] habes

huc ades Lyaee.

97. videntur haec verba potius hexametri dactylici quam trochaici tetrametri explere initium producta ut in vocabulo Graeco et multiplicatis brevibus finali prima.

99. nota faciendi verbo iunctum accusativum cum infinitivo. — ita Ennius ap. Nonium 134 *cum soles tandem faciunt langescere longei* nempe *corpora pugnantium*.

100. simillima tradit Pseudoasconius in Cicer. div. paragr. 50 pg. 120 ed. Orell., sed diversa longe Festus 134, Nonius 65, Isidorus or. XV, 3, 11, alii; videnda quae notarunt Od. Muellerus ad Paul. 135; Teuffelius encyclop. philol. IIII, 1358; Beckerus antiquit. Rom. I, 322. Porphyrionis verba quae sunt *quae ex eo Maenii columna vocabatur* orta esse confusis Maenio decoctore et C. Maenio cons. a. u. 416, de quo Plinius XXXIIII, 5, 41: *antiquior columnarum celebratio, sicut C. Maenio, qui devicerat priscos Latinos*, statuit Franckenius II, 44. sane prominentia tabulata aedificiorum ab hoc auctore Maeniana vocitata constat.

101. nota sunt Horatii etiam illa [s. I, 3, 132 sq.; ep. I, 1, 106—8] *sapiens operis sic optimus omnis est opifex, solus sic rex* et porro *ad summam: sapiens uno minor est Iove, dives, liber, honoratus, pulcher, rex denique regum, praecipue sanus, nisi cum pituita molestast.* — Varro longe fugit qui suos fugit: *solus rex, solus rhetor, solus formonsus, fortis, aecus vel ad aedilicium modium, purus putus. si ad hunc χαρακτῆρα Κλεάνθους* (ita Vossius, *cleopantus* vel *deopantus* libri) *conveniet, cave attigeris hominem.* — ceterum Lucilius utrum irrisione Stoicorum usus sit necne in verbis istis vix licet definiri. — *exiam* pro *etiam* Monac.

102. imitatus est Horatius s. I [2, 30 sq.] *quidam notus homo cum exiret fornice, 'macte virtute esto' inquit sententia dia Catonis.* ab hoc ultima tria verba sumpsit Sulpicia v. 48, cuius spurium et saeculo XV ab Italo nescioquo conscriptum carmen nuper inepte ut solet statuit Bootius Amstelodamensis. — Valerius ille quis fuerit ignotum. quidam L. Valerium Flaccum qui consul fuit a. u. 623 seu cognominem illum qui censor cum Catone 570 vel Q. Valerium Soranum grammaticum et poetam Lucilio aequalem et notum P. Scipioni significari existimarunt. sed tales plerasque opinationes silentio tegimus.

105. illud *que* traiectum ut l. XII *firmiter hoc pariterque tuo sit pectore fixum.*

106. illud *duc* cum minus obvium esset librariis, legere sibi visi sunt *duc̄.* ceterum admissa coniectura nostra etiam similior fit versus Iuvenalis Luciliano.

107. *carcer vix carcere dignus;* i. e. locus carceris non tam foedus quam dignum erat homine scelerato.

110. miseram Donati commentorum condicionem vel ex hoc frgm. et praecedente licet cognosci. — *Tiresia. Anchisa* producta finali Ennium in annalibus dixisse statuit Fleckeisenus; mihi tamen displicet vocabulum illud choriambi mensura adhibitum; et displicuit cum Dousa Bentleio qui substitui voluit *Tiresias.* — *triclini*, cf. Lchm. in Lucr. comm. 327; d. r. m. 391.

111. Crassus lib. XVI Iliados: *o socii* (nam ita verissime Iunius), *nunc fite viri;* Maro aen. I: *o socii, neque enim ignari sumus ante malorum.*

112. adfert Donatus proverbium Graecum *φαλακροὶ Μυκόνιοι*, h. e. trimetri ex comico nescioquo petiti partem finalem.

113. *lecti;* de nummis hoc dici putat Dousa pater.

114. hunc versum ad deorum concilium, quod proponitur l. I, pertinere, ut corruptum sit illud *vir*, quidam statuere haud inficete.

115. huc pertinere existimo Isid. XVIII, 7, 7 *haec* (*clava*) *et cateia quam Horatius calam* (v. *caiam*) *dicit.* ap. Non. 109, 19 scribendum *falam pro falaricam* sequente Isidori lemmate comprobatur.

118. cf. XXVI, 60; XXVII, 24.

123. Vettius ille quis fuerit ignoro. certe non fuit Vectius sive Vettius Philocomus grammaticus cuius meminit Suetonius; id enim aperte rationibus temporum conprobatur, quoniam Valerius Cato qui pupillus fuit tempore Sullae dictatoris eum audiit legentem saturas Lucilii. — *eorum* ad illud *Praenestinis* solum pertinere existimo, partim ideo quod addito *quoque* segregare hos videtur a prioribus Quintilianus, partim quia Sabinos alibi Romanis aequat Lucilius:

Graecum te Albuci quam Romanum atque Sabinum
maluisti dici.

Praenestinorum sermonem Latinum etiam carpit Plautus Trucul. III, 2, 23 *ut Praenestinis conia est ciconia* et Trin. III, 1, 8 '*tammodo*' *inquit Praenestinus.*

125. *tu*, in descriptione *τοῦ ἀδυνάτου*, ut ap. Prop. III, 30, 49 *tu prius et fluctus poteris siccare marinos* e. q. s. — *decreris*, cf. d. r. m. 399. — *t. c. q. i. l.:* inportunissimus mos grammaticorum veterum sive librariorum in scriptoribus adferendis pro verbis ipsis litteras initiales reponendi et hoc et alterum Lucilii fragmentum ab eodem Rufiniano allatum truncavit. — fortasse ita antiquitus fuit clusus versus:

tu crimina quam ista levabis.

127. *subulo pullipremo;* quid sit traditum antiquitus ut plerumque apud Ausonium non comparet; sed videtur recte habere quod fertur vulgo. — *subulo;* ita tibicen dicitur Tuscorum lingua. usus eo vocabulo Ennius. — *pullipremo*, qui *pullos* i. e. *pueros premit*, quod saepius dicitur *comprimit;* unde et Prema dea dicta. quantum ad pulli vocabulum, cf. etiam Fest. 245 s. v. — verba illa *subulo pullipremo* etsi partem trimetri iambici seu tetrametri trochaici quae post caesuram sita est efficiunt, tamen vix credo carminum Lucili illis metris constantium pervenisse notitiam ad Ausonium; unde tutius erit statui illa non continuo, sed dirempta locis olim fuisse ap. Luc., qui ut corriperet finalem in *subulo*, fieri non potuit.

128. imitatus est Varro Bimarco *magno uti tremiscat Roma*

et magnae mandonum gulae. — in Pomponii versu quadrato, cui post caesuram dest creticus scribendum *manduco's* pro *manducus*.

129. eodem versu videtur usus esse Nigidius, qui et alias studiosus fuit Lucilii; unde apud Isidorum or. XI, 1, 72 leguntur haec: truncus media pars corporis a collo usque ad inguina. de quo Nigidius 'caput collo vehitur (ita Guelf., Sang., Paris., Monac.); truncus sustentatur (sic scrib., *sustentetur* Guelf., *sustenetur* vel *sustinetur* rel.) coxis et genibus cruribusque.' quae tamen vides interpolando quam multum degenerarint a Lucilianis. — ceterum olim hoc fragmentum constitueram ita

caput a collo sustentatur, truncus sustinetur a
coxendicibus;

minus eleganter; nam ut omittam inportunissima illa *sustentatur*, *sustinetur*, non ausim tribuere trochaeis sive iambis Lucilii in exitu metri praepositionem seu particulam monosyllabam. — illud *sustinetur* nihil aliud est nisi dittographia praecedentis *sustentatur* pervulgato in Nonii libris vitio. — *a* provenit ex sequente *co.* — *colo* pro *collo.* — *coxendicibus*, cf. de mensura antepaenultimae Ritsch. ad Bacch. 1159; Herm. praef. com. eiusd. pg. V.

130. *munere*, *gladiatorio;* ut l. IIII *Flaccorum munere.*

133. *rederguisse* e. q. s.; etiam haec fortasse ex Lucilio sumpta. — *quo* — *ceteri;* omnia enim Africanus, ut refert Cic. de or. I, 6, 255, sermone conficiebat paullo intentiore. Scipionem primum dici e pro o iussisse in his quae sunt *vorsum* et *vortices* refert Quintil. I, 7, 25. — *facetior*, ut ap. Hor. sat. I, 10

molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.

pertisum; Paulus 72 *distisum et pertisum dicebant quod nunc distaesum et pertaesum;* cf. eundem 216; Cic. or. 48, 159.

135. *proeliari hi;* versum trochaicum caesura carentem haud temere tribuerim Lucilio. — *sub vitei*, accusativo hic non magis locus quam in proximo lemmate Pauli, ubi restituendum *sub vinea*, aut in illo *sub vitem hastas iacere*, quod supra correximus. et ita ipse Festus in locis quos memoravi *cum sub vinea militari pugnant*, *cum eas sub manu sursum mittit.*

136. *timeo ut:* ita alibi *metuo ut fieri possit.*

138. *volt* pro *velit;* ita ap. Non. 278, 11 legitur perperam *vult* pro *velit.*

141. ecce notissimam historiam quae Lucilio auctore non minus fuit popularis Romanis quam pugna illa gladiatorum quam l. IIII descripsit. verba autem illa, quae ut rideret ἀγέλαστος ille effecerunt, solus adfert Hieronymus, ex Ciceronis haud dubie deperditis libris (ut puta eis quos de republica composuit) non ex ipsis Lucilii carminibus hausta. — sententiam versus apte explicat Hieronymus. videtur autem

petitus ex comoedia, ut antiquitus scriptum fuerit *labia*, pro quo passim librarii reposuere *labra* ut ap. Charis. 80 in Plauti et Terentii versibus, nisi ipsius Hieronymi est error. nam nisi publice in spectanda fabula risum illum fudit Crassus, mirum hercle famam rei quae silentio ut tegeretur magno vellet emptum inter populares percrebuisse. — *similem habent lactucam labra;* ita malui scribere, ne allitteratio intercideret, quam *labra s. h. l.;* ceterum legitimus ordo verborum quin ab ipso Hieronymo sit turbatus non intercedo. nam similiter saepius lapsus idem afferendis versibus priscis. — praeterea quae ibidem memorat Hieronymus verba paroemiae:

accessit huic patellae dignum operculum,

ingenuum vides explere trimetrum ex comoedia aliqua sumptum, ut pleraque proverbia Latina, de qua re alibi plenius.

142. *serena caeli lumina* e. q. s. — Varro lege Maenia:

nos admirantes, quod sereno lumine
tonuisset, oculis caeli rimari plagas.

salsi fretus; haec ipsa verba ex Porcio Licino memorat Plinium secutus Charisius 103; nec tamen de errore Nonii cogitandum qui numquam utitur verbis Porcii. — *salsi* pro *salis;* ita melius scribitur ad arcendum loco quinto vocabulum iambicum; simul concinnitatis ergo, ut respondeat hoc epitheton ei quod ad *lumina* additum praecedit. — ceterum hic versus quo pertineat plane incertum. qualitates tamen diversis mundi partibus seu communes sive diversas significari existimem, ut ap. Lucr. *sicut in aethere non arbor, non aequore salso pisces esse queunt.*

143. *Tappŭla*, ut *tippŭla.* — *concerae;* ita ap. Paulum 40 *cerrones;* 297 tamen videtur extare illud *congerae;* ubi scribendum puto: *idem quod coeant crebro congerae* (cd. *congre*, v. *congerrae*) *vocari soliti a Gr. vocabulo, quod est γέῤῥα.* — apud Nonium 118 agnoscunt libri ter *gerrae;* ib. in verbis Plauti Guelferbitanus liber exhibet *congerius meus;* Lugdunensis prior *congeri omnia eius;* id. m. 2 *congerrae;* ubi docti *congerro meus.*

144. id dicit: piscatores thynno capto cobium ut vilem mittunt. — *excludunt foras;* Plautus mil. 81 *qui autem auscultare nolet, exsurgat foras;* cf. et 333.

Dubia.

2. *sepultum morte meroque*, ὕστερον πρότερον. similiter Verg. aen. II, 265 *invadunt urbem somno vinoque sepultam;* et Hom. Lat. 730 *ipsum somno vinoque sepultum.*

4. *ructantur;* improbavit hanc formam Festus, ex quo haec excerpta habet Paulus 263 *ructare non ructari dicendum est. Graecus* (*Flaccus* cdd. Pauli, apud Festum primores duae litterae lacuna

haustae; apparet certe verba quae secuntur esse oratoris): *videres alios ructare ac respuere pulcherrima superbia.*

5. id quod ed. pr. Char. exhibetur *iugerum* ut abhorret a traditis, ita ne per se quidem habet locum. nam debebat certe esse *iugerum*, quod commendavit Lachmannus comm. Lucr. 363. mihi tamen cur *naterum* dixisse negem auctorem quicumque fuit non comparet; nam ut saepe, ita haudquaquam semper metri necessitate adducti formas verborum novarunt poetae veteres. sed Lucilii sit necne *naterum* non satis constat; quoniam in vetere libro Dousae fuit *Caecilius.*

7. Homeri versus sunt Il. II, 489, 90

οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

ceterum simillima sunt Furii quae leguntur ap. Macr. VI, 3, 6 *non si mihi linguae centum atque ora sient totidem vocesque liquatae.* — falli autem qui statuerunt Vergilium primum adiectivo *aereus* usum apparet hoc loco; nec minus Varronis verbis quae leg. ap. Non. 179 s. v. terta *aerea terta nitet galea;* ubi male L 1 *area.* sed enim multo iam prius Caecilius ap. eund. 134 s. v. licitari *quin machaera licitari adversum aereum coepsti sciens;* nam illud *aheneus* semper quattuor syllabis efferendum etsi frustra monentur plerique qui poetarum edunt libros, tamen res haud dubia.

12. ad illud *priorum* notant scholia: Lucili et ceterorum. — ceterum lubenter assentimur viris doctis qui illa 'cuius non' e. q. s. Lucilio tribuunt, ut tamen credam in his aliquid quod nimis referret antiquitatem ab Iuvenale inversum, ut puta monosyllabum *cuius.* nam verbum *audeo* dactylice ut efferret Lucilius fieri nullo modo potuit; cf. d. r. m. 336 sq.

Magis suspecta.

1. hoc fragmentum quidam Lucilii, alii Ennii saturarum libris tribuere. sed rectius videtur Ribbeckius hunc versum adscribere Pomponio cuius nomen praecedit; huius enim Atellanam Saturae titulo inscriptam bis adfert Priscianus.

3. sententia horum verborum obscura sive potius subabsurda. nam si *cadaver* dicitur per irrisionem quidam homo vivus Lucilio, cur additum illud *capulare* i. e. *aptum morti?* quare cum inveniantur apud Fulgentium, hominem nugacissimum, ea inter dubiae fidei fragmenta referre tutius visum.

6. haec cum apud Lucretium neque reperiantur neque posse extare videantur (neque omnino nasus sive nasum in eius libris legitur), fuere qui crederent Lucilii nomen esse substituendum. et licet quidem versus non nimis sane elegantis speciem reconcinnare ita:

nasum diductius paulo quam pandiu' vellem;

nam et Statius *tenuiorem* dixit tribus syllabis. — tamen propius abest a fide hunc grammaticum sicut auctorem libelli de nominibus dubii generis neglegentius usos fuisse communi traditionis fonte, in quo nasus vel nasum compluribus diversorum scriptorum exemplis probarentur, ut Lucilii nomen quod adscriptum esset ad illa quae servavit Nonius s. v. nasus pg. 215 temere transferretur alio.

10. haec valde vereor ne memoria lapsus Hieronymus, homo ut notum levissimus, adscripserit Lucilio. — nam leguntur ap. Hor. ep. II. 1 eadem non Lucilio, sed criticis Augusto aequalibus tributa, cum ipse Flaccus id irrideat iudicium. et satis constat alioquin Hieronymum quidquid affert ex Lucilii saturis a Tullio Horatioque mutuatum.

Testimonia de Lucilio.

1. de his quae refert Hieronymus cum totiens litigarint docti sic habeto, nihil omnino esse cur fatalem Lucilii annum ultra eum qui fuit a. u. c. 652 promovendum existimemus; nam quae recentissimae temporum notae in eius carminibus occurrunt hoc est Iugurthini Opimii et Crassi tribunatus mentio facta ad annum urbis 645 et 646 spectant. nam Liciniam legem quam a P. Licinio Crasso Divite consule a. u. 657 latam esse sibi persuasere quidam non minus probabiliter ad tribunum eundem vel praetorem referri posse monuere iam alii. vix autem dignum est memoria quod Heusdius statuit pg. 28 collocutum esse Lucilium cum Cicerone atque adeo 29 sqq. eum aetate annum u. c. 686 excessisse. — ceterum in libris de oratore, quos a. a. Chr. 91 habitos fingit Tullius Lucilium mortuum tangi a Crasso cuius sunt verba I, 16; II, 6 *sed ut solebat C. Lucilius saepe dicere; ut C. Lucilius homo doctus et perurbanus solebat dicere* annotarunt plerique. — quod contra vix sunt digni qui refellantur qui statuere revera Lucilium anno aetatis XLVI diem obisse. — ac primum quidem Horatii a quo senex vocatur fidem ita elevant, ut dicant quemvis antiquum scriptorem et posse et solere dici senem. audio. sed verba ipsa Flacci notissima inspicienti facile apparebit senis vocabulum et supervacuum prorsus esse, hoc sensu si positum existimes loco illo, et aptissimum, si communi ac vulgato inter omnes. quis enim melius quam exactae homo aetatis dicetur tabula veluti votiva vitam suam totam praeteritam descripsisse? — quodsi revera Lucilium a. u. 606 natum existimabimus, sequitur eum cum obiit P. Africanus adulescentulum fuisse XVIIII annorum. atqui non cum adulescentulo sed cum viro et amicitia fuisse iunctos et subinde repuerascere solitos Scipionem ac Laelium apertissime demonstrant verba Flacci:

> quin ubi se a vulgo et scaena in secreta remorant
> virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
> nugari cum illo et discincti ludere, donec
> decoqueretur olus, soliti.

huc etiam apprime facit quod refert Acro ad h. l. haud dubie probo et antiquo fonte usus, puto libris eorum qui de personis Lucilianis scripsere, aliquando Laelium supervenisse fugienti Scipioni, cum Lucilius eum obtorta mappa quasi feriturus sequeretur. tales autem lusus utrum digni memoria in homine XVII vel XVIII annorum an in eo qui compositae sit aetatis? eis autem, qui Lucilium a 606 natum asserunt ad mera monstra confugiendum est. veluti his statuitur eum bello Numantino puerum quattuordecim sive quindecim annorum sub Africano militasse. — scilicet quia tunc temporis evenit haut raro, ut ex plebe adulescentuli nondum adulta aetate ad militiam raperentur, id verendum erat praesertim imperatore P. Scipione, qui nulla tunc auctoritate publica militem legit, C. Lucilio homini diti et equestris ordinis et cuius frater avus fuit Pompei Magni; et Africano qui lectissimum quemque adhibuit bello Numantino, quo virtutem et disciplinam restitueret exercitui prorsus degeneri — de qua re dixit Momsenus hist. Rom. II, 14, 16 — tales fuere milites anquirendi ad parandam victoriam. idem credunt P. Scipionem virum Romanorum sui temporis gravissimum ab adulescentulo vixdum pueritiam egresso accepisse leges dicendi latine. — praeterea cum Lucilius primus saturam ad carpendos civium mores cum publicos tum privatos instituerit, quas apud eum invenimus temporis eventorum insectationes non hercule multis annis post sed praesenti exemplo factas existimabimus. veluti quis credet Lucilium Lupi superbiam seu clades quas Romanis intulit Viriathus non eodem vel proximo tempore sed multis annis post quasi historicum ageret notasse? iam cum multus sit in Lupo vexando Lucilius, cuius potentiam nimiam fuisse civitati maxime circa annum u. c. 607, quo post damnationem censor factus est, videtur probabile, non ita multum a vero aberraris statuendo circa triginta annis prius quam refert Hieronymus natum fuisse Lucilium. cuius quo explicaretur error fuit qui diceret videri eum, cum in exemplari Suetoniano (nam ex hoc quae ad litteras Latinas spectant praeter res Hadriano posteriores addita chronico norunt plerique) numerus annorum Lucilii esset corruptus, poetae annum sive natalem sive fatalem computando assecutum. sed speciosior est alia coniectura, quam prolatam ab homine docto nescioquo memini aliquando mecum communicare Arnoldum Opilionem, virum celeberrimum. igitur ille observata Lachmanni in simili errore Hieronymi detegendo ratione [cf. Maur. Haupt. quaest. Catull. pg. 15] statuit Hieronymum confudisse magistratus Sp. Postumii Albini Magni et L. Calpurnii C. f. C. n. Pisonis Caesonini cum A. Postumii A. f. A. n. Albini et C. Calpurnii C. f. C. n. Pisonis, qui fuere consules a. u. 574. sane hoc si statueris, omnes iam tolluntur difficultates. fuit igitur Lucilius aequalis paulo minor aetate Scipioni, quem a. u. 569, paulo maior Accio, quem 584 natum constat. probabile est autem C. Lucilium ut equitem Romanum et negotiis publicis implicitum [cf. XXVI, 15] serius attigisse poeticam, ut florente iam Accio, Pacuvio autem sene admodum primum ederet carmina quibus illis obtrectaret. quae vehementer probata popularibus

et praelata Accianis ac Pacuvianis cum Gellii testimonio docemur tum versibus l. XXX

et sua perciperet retro rellicta iacere
et sola ex multis nunc nostra poemata ferri.

ubi videnda quae notavimus. — igitur haud inepte suspicabimur Lucilium, postquam legitima aetate stipendia equestria persolvit, ab anno u. c. ut puta DCIIII cum alieno ab avaritia et ambitione animo suis esset contentus bonis in otio Graeco per dimidium paene saeculum mansisse modo Romae degentem modo in propinquis Latii et Campaniae locis, excepto quod Italiam inferiorem et Siciliam eum obisse constat, quod iam tum temporis plerosque Romanorum animi relaxandi causa suscepisse iter probabile est. tamen cum a. u. 620 P. Scipioni ad bellum Numantinum ituro milites negarentur ipse ut amico gereret morem cohorti praetoriae accessit. multus autem est in Hispania memoranda, eam fortasse ob causam quod etiam priora in ea terra persolvit stipendia.

ceterum quot per annos poeticae indulserit Lucilius facile apparet. nam a Lupi censura usque ad Crassi tribunatum sunt anni XXXX. ita apud Graecos Sophoclem et Euripidem, apud Romanos Ennium et Pacuvium continuasse carmina ad summam senectutem comperimus.

3. illud *tunc* si non erit delendum, ita explicabimus ut dicamus aequalibus Lucilii eas maxime partes saturarum eius placuisse quibus sui temporis obtrectaret poetis. — congruum autem temporum rationibus nec indignum memoria illud longe plurimas tragicorum aequalium insectationes contineri Lucilii l. XXVI—XXX hoc est eis quos prius composuit. quos quod silentio praeteriit ubi debebat memorare Porphyrio in commentis ad Hor. sat. I, 10, 58 non poterit esse mirum reputantibus huic non magis quam plerisque veterum grammaticorum innotuisse Lucilii trochaica sive iambica. ea autem quae l. VIIII sunt posita ad inpugnanda Accii de verborum scriptura placita evenere multis annis post.

7. aut errasse Velleium aut Pompeii avum fuisse satirici fratrem, qui in senatum pervenerit, dicendum erit. magis quidem inclinat animus ut statuam hoc. videnda quae dicentur ad 9.

9. haec melius ad senatorem Lucilium referri apparet.

10. huc pertinet quod Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari et incredibiliter repuerascere refert Tullius de or. II, 6. nam tertius haud dubie plerumque accessit illis in commoratione rustica Lucilius.

17. hoc carmine Horatius declarat qualis sit condicio saturae Lucilianae, quam frustra temptatam a Varrone Atacino et diu iacentem ipse primus restauravit, habita tamen ratione temporum diversitatis. simul quid minus laude dignum videatur ipsi in Lucilii carminibus contra antiquarios disserit.

1—6. *Eupolis — hosce secutus.* hanc antiquae Atticorum comoediae imitationem quin ipse in operibus suis professus sit Lucilius

mihi non videtur dubium. — fatendum tamen in tanta reliquiarum paucitate memoriam illius reperiri nullam. sed aperte spectat ad eam alterum pragmaticon Accii fragmentum. — 5. *multa cum libertate notabant;* ne nomina quidem silentes, quod et ipsum imitatur Lucilius. — 6. 7. *hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus mutatis tantum numeris pedibusque;* nimis .rem exaggerat Horatius; nam etiam alia haud pauca quae non ad carpenda civium vitia et corrigendos mores pertinerent in Lucilii saturis fuere. praeterea archaea Atticorum comoedia quamquam et ipsa castigandis civium moribus fuit destinata, tamen libero ingressu in alienum et ut ita dicam purioris aetheris nos transferre amat orbem, at Romana satira perstat fere in vitae quotidianae rebus et hominibus proponendis. itaque mordacitate potissimum et libertate similis Aristophanis Lucilius. — *mutatis tantum pedibus numerisque*, quia Flaccus cum plerisque Romanorum exiguam vel nullam habuere rationem iambicorum et trochaicorum Lucilii librorum. — 7. *facetus;* ita sat. X *fuerit Lucilius, inquam, comis et urbanus.* et urbanitatem Lucilii passim laudibus extulere Tullius et secuti eum plerique. — 8. *emunctae naris;* idem fere hoc loco significatur Flacco, citra tamen omnem hyperbolen, quod Plinio cum dicit primum Lucilium condidisse stili nasum. ita et Martial. I, 3 de hominibus subtilis pariter ac difficilis iudicii:

maiores nusquam rhonchi, iuvenesquè senesque
et pueri nares rhinocerotis habent.

ceterum notum est, quam ridicule philologorum plerique dictione illa quam nemo adhibuit post Horatium excepto qui aperte exscribit illum Phaedro [III, 3, 14] abusi sint. nempe adeo apud Harlesium in vitis philologorum IIII, 242 Reitzius de Hemsterhusio 'cui quanta cum cura nares ipsae Musae emunxerint, tute novisti.' — 8. 9. *durus conponere versus; nam fuit hoc vitiosus;* cf. 10, 1—3; ib. 56—61; hoc iudicium quod ad dactylicos Lucilii libros pertinet vereor ne sit minus aequum. nam praeter hexametros paucissimos caesura carentes et asperiora quaedam synizesis exempla et elisionis, quibus accedunt non nimis raro spondiaca vocabula secundum pedem explentia vel productae iure caesurae seu finiti sensus finales et minores quaedam insolentiae, quid tantopere in numeris Lucilianis displicuerit non video, qui mihi nequaquam videntur sordere multum prae Horatii saturarum; quarum sane sunt multo minus limati ac tersi quam epistularum. fortasse tamen ista non tam pertinent ad Lucilium carpendum quam ad perstringendos oblique Horatii aequalium eos qui nimia Lucilii admiratione cum tenerentur vitia potius eius quam virtutes imitandas sibi ducerent. — 9. 10. *in hora saepe ducentos ut magnum versus dictabat stans pede in uno.* etiam hic minus recte Flaccum de Lucilio iudicasse existimo. quippe prona est suspitio illum verba huius quibus tale aliquid de se praedicaret male esse interpretatum ita, ut numerum finitum crederet, qui esset positus pro quovis infinito; ut alibi est apud eundem *quorum in*

primis Polyphemu' ducentos Cyclops longu' pedes; nec raro apud alios. nam ut revera quis bis centenos versus Latinos per horam promat, nedum is qui stet in uno pede equidem fieri posse pernego. ceterum minore hyperbole 10, 57 sqq. dicitur Lucilius ducenos et ante cenam et post componere versus solitus. — *cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;* haec verba minus recte interpretatur Quintilianus X, 1, 94 quasi dixerit Horatius totum esse Lucilium aliquid quod tollere possis. immo quid sibi vellet Horatius ipse apertissime expressit et illo loco — modo praecedentia respicias — et sat. 10, ubi tamen iracundius loquitur: *at dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem plura quidem tollenda relinquendis.* — 12. *garrulus;* ita s. 10 *est brevitate opus, ut currat sententia neu se inpediat verbis lassas onerantibus aures;* et ibidem *si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum detereret sibi multa recideret omne, quod ultra perfectum traheretur.* et haec quidem quin suo iure exprobrarit Flaccus non est dubium. neque enim parcit verbis nec brevitati studet Lucilius, partim necessitate metri ductus, partim ut quotidiani captator sermonis nimius. neque idem iterandis breviculo intervallo verbis aut frequentius adhibendis dictionibus quas versus explendi desiderium peperit nimis anxius. ea aliquando grata sed saepius inportuna existit neglegentia. — 17. 18. *di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.* sane Horatii II, Lucilii XXX saturarum sunt volumina. — 39. *primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis, excerpam numero: neque enim concludere versum dixeris esse satis; neque, siqui scribat uti nos sermoni propiora, putes hunc esse poetam;* cum communis vitae sermonem referat Lucilius apparet furcis eicienda ut puta illa *im, hemonis, olli,* qualia de coniectura ei tribuere docti. fatendum tamen apud Lucilium haud pauca esse maioris spiritus, nec raro eum insurgere altius, licet Marcus Varro hunc gracilitatis exemplum posuerit. causa ex eo, quod praeter mores corrigendos et carpenda vitia plurimas sui temporis Romanorum res, cum publicas tum privatas, propriis persecutus est carminibus. unde non mirum quaedam apud eum reperiri, quae Ennio quam Lucilio digniora esse videantur. — 45. *idcirco quidam, comoedia necne poema esset, quaesivere;* praeter hanc comoediae et saturae similitudinem altera existit quod utrumque genus carminis ad deridenda atque emendanda hominum vitia pertinet; tertia quod pleraque apud Horatium et magis etiam apud Lucilium diverbiis fuere composita. — ceterum ut archaeam comoediam Lucilius, neotericam Horatius, Persius, Iuvenalis sunt aemulati. quae cum ita sint, non erit mirum, quod a quarto inde saeculo deteriores grammaticorum passim Lucilium referunt inter comoediarum scriptores. 56—62. *his, ego quae nunc, olim quae scripsit Lucilius, eripias si tempora certa modosque, et quod prius ordine verbumst posterius facias, praeponens ultima primis: non, ut si solvas 'postquam discordia taetra belli ferratos postes portasque refregit', invenias etiam disiecti membra poetae.* Ennii

exemplum propter tres potissimum causas ad gravitatem epicorum commonstrandam proposuit Horatius: primum, quod discordiam pro dea discordiae dixit, deinde propter adiectiva, quae sunt 'taeter' et 'ferratus'; e quibus illud a multis poetarum et maxime humilioribus vitari monui ad c. III, 11, 19, hoc et ipsum ut alia quae in *atus* exeunt maioris esse spiritus constat plerisque; denique propter abundantiam dicendi, quae est in illis *postes portasque.* hac enim saepius epicos et tragicos Vergilio priores esse usos doctis haud ignotum. — 105—106. *insuevit pater optimus hoc me ut fugerem, exemplis vitiorum quaeque notando;* etsi nihil laudi Horatii parentis velim detractum, non tamen potest negari Lucilium et ipsum propositis exemplis, quae ex principibus civitatis sive ex plebe pro arbitrio assumeret, vitiorum perversitatem sive foeditatem saepius demonstrasse. nec abhorret a vero maiorem partem personarum, quas solet ponere in exemplis Horatius, assumptam ex Lucilio.

18. 1—8. *Lucili — ut redeam illuc;* hi versus, quin Horatii tempore sint compositi non est dubium, sed a quo incertum; Cato ille haud dubie Publius Valerius Cato, cuius vitam enarrat Suetonius. — *qui male factos emendare parat versus;* hoc unico exemplo certo constat grammaticos temporis Augusti castigandis veterum poetarum metris minus elegantibus, quae viderentur ipsis, operam navasse; ac tamen quin idem et hoc et proximo saeculo saepius acciderit vix dubito. — 4—6. *quo melior vir et est longe subtilior illo, qui multum puerum et loris et funibus udis exhortatus* etc.; hic qui fuerit etiamnunc inter doctos non convenit; quidam Lucium Orbilium praeceptorem Horatii putaverunt. — *contra fastidia nostra;* quae tamen saec. p. Chr. n. I etiam multo fuere acriora. — 8. *ut redeam illuc;* pro his nescio an aliena antiquitus tradita fuerint et ab eo qui fragmentum illud praeposuit carm. 10 lib. I Horatii inversa, quo melius responderent initio saturae.

19. quod satura quarta libri primi de Lucilio protulerat iudicium Horatius, ubi vidit incurrisse in offensiones antiquariorum, iam retractatum defendit calidius. 1—4. huc respexit Hieronymus epist. ad Pammachium et Oceanum *mordetur et Lucilius, quod incomposito currat pede et tamen sales eius leposque laudantur* et ea quam ad matrem et filiam in Gallia commorantes dedit *ubi illa quondam constantia, in qua multo sale urbem* (ita docti, v. *orbem*) *defricans Lucilianum quippiam rettulisti.* 7. 8. *non satis est risu diducere rictum auditoris;* sane Lucilium interdum cupidius expetisse risum legentium non potest negari, neque desunt facetiae eius, quae ad summae caveae spectatores potius quam ad eos qui in quatuordecim sederent ordinibus, videantur pertinere. 11—14. *et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso, defendente vicem modo rhetoris atque poetae, interdum urbani, parcentis viribus atque extenuantis eas consulto;* locus difficilis, ita tamen ut puto intellegendus, ut Horatius exprobret Lucilio, quod, quamquam nimius captator risus, elegantiae facetiarum minus ille consuluerit.

sermone tristi, id est severo, serio, qui ubi iocoso apte est mixtus ipsa varietate multum sane addit orationi leporis. — *vicem rhetoris;* sane rhetorum artificiorum minus fuisse studiosum Lucilium apparet libri V frg. 6. — *atque poetae;* hinc probatur Horatium minime astipulatum esse eis qui negarent iustum esse poema saturam, unde et supra dicit, si sales soli sufficiant ad poema faciendum, licere et Laberi mimos ut pulchra poemata nos mirari. — *interdum urbani;* igitur Horatius negat sola urbanitate, hoc est imitatione sermonis hominum urbanorum, qua plurimum valuit Lucilius, saturam posse constare. — *parcentis viribus* etc.; exprobrat Lucilio neque immerito nescisse eum manum de tabula tollere. — 14. 15. *ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res; acri*, i. e. *quam acre.* itaque apparet minime illud crimini dari Lucilio, quod nimium gravitatis sit oblitus in carminibus; et insurgere eum interdum altius supra memoravi. quod cum ita sit, verius incusabimus Lucilium quod non semper apte inseruerit triste atque acre iocoso et ridiculo, quam quod omnino non adhibuerit. — 20. 21. *at magnum fecit*, *quod verbis graeca latinis miscuit;* Graecarum vocum dictionumque abusum rectissime Lucilio exprobrat Flaccus; nam frustra fuisse qui dicerent eas non adhibitas ab illo, nisi ut tragicorum poetarum Latinorum affectationem graecanicae doctrinae irrideret, plene iam apparebit editione nostra. equidem potius partim ut ipse ostentaret peritiam Graecorum scriptorum nec minus versus explendi dira necessitate adductum existimo ut ingenuum sermonem latinum tam saepe contaminaret interpositis graecis. et Horatium quidem a talibus prorsus abstinuisse constat, nec aliter Persium, apud quem minus recte fertur prol. 8 *quis expedivit psittaco suum* χαῖϱε pro *chaere*, non omnino Iuvenalem. — ceterum longius progressus Ausonius fortasse et hic, ut alibi in tmesi, ex prava imitatione Lucilii parum cogniti ipsi epistula XII primum proposuit exemplum poesis macaronicae. — nihil autem ad illud, quod Horatius Lucilio vertit crimini, pertinet mos satiricis pariter atque comicis frequentatus, quem sermonis cotidiani imitatio peperit, vocabula externigena, sed illa scriptura verborum et flexione finalium adaptata ori Latino, inserere versibus. — 48. *inventore minor;* cf. II, 1, 29; ib. 74. 75. — 50. 51. *at dixi fluere hunc lutulentum*, *saepe ferentem plura quidem tollenda relinquendis.* asperior factus ut memoravi ob offensam Horatius iam intendit quod olim iudicaverat esse quod tollere velis in Lucilii carminibus. — 52. *tu nihil in magno doctus reprehendis Homero;* eum qui Lucilii quaedam reprehendi aegre fert alloquitur: ab hoc tamen et ipso Homeri ut aliorum poetarum Graecorum atque Latinorum carpi opera sat constat. — 53. *mutat;* idem fere esse quod παϱῳδεῖ, *addito aut mutato aliquo vocabulo in risum detorquet*, monet Peerlkampius. — 55. *cum de se loquitur non ut maiore reprensis;* nota modestiam Lucilii, quam agnoscit etiam Bernhardyus h. l. Lat. pg. 598 ed. IIII. nempe apparet eum in carpendis Accio, Ennio aliisque poetis quamquam aliquando argutulum non tamen caruisse candore. 64—67.

fuerit Lucilius, inquam, comis et urbanus, fuerit limatior idem, quam rudis et Graecis intacti carminis auctor, quamque poetarum seniorum turba; alii asperitatem verius tribuunt Lucilio. ceterum sicut alia supellex fuit apud Scipiones, alia apud Crassos et Lucullos, ita, quae Lucilii tempore erat laudi comitas atque urbanitas, non iam sufficiebat Horatii aequalibus. *comis et urbanus* ut I, 4, 90. *comis* idem fere quod *urbanus*, ut infra de Fundanio comico *potes — comes garrire libellos. — limatior quam — auctor;* haec non ad Luc. ipsum sed ad Ennium spectare monui praef. Hor. pag. 40, 41, ubi quae proposui e re duco hoc loco repeti; sunt autem haec. Lucilius si tanta fuit elegantia ingenii praeditus, ut indocto et ideo spreto a Graecis carmini cum primum animum applicasset comitatem adderet et urbanitatem mirumne erit eum poetas praecedentes tempore (nam de posterioribus nemo facile cogitarit) et ob id ipsum pinguiores vicisse arte? ut omittam quam non sit concinnum illud 'q. p. s. t.', si auctor ille saturae nec ipse fuerit diversus a Lucilio. — neque repugnantia tradidit Flaccus supra ubi Lucilium inventorem saturae dicit. nam quatenus rude et a Graecorum elegantia alienum carmen fuit satura, cui fere quidquid negotii evenisset humani an dicam quodcumque in buccam venisset exiguo insereretur dilectu, auctorem sive inventorem, hoc est qui primus litteris latinis addidisset, merito dixit Ennium. et hunc quidem qui obiter nec nisi privatorum hominum vitia tangeret castigaretque in opere secuti sunt Pacuvius et nisi omnia me fallunt Varro cui Reatino cognomen. novam autem et diversam plane ab Ennii saturam protulit Lucilius quae potissimum emendandis consilio et exemplo civium moribus esset dedicata, primoresque populi ipsumque arriperet populum; quam diu iacentem post illum resuscitavit Caesaris dictatoris temporibus Varro, qui dictus ab Atace, mox meliore successu Horatius, Persius, Lucilius, Iuvenalis, omnes eadem plane qua Lucilius via ingressi, excepto quod mutata temporum condicione recentioris potius Atticorum comoediae quam priscae more in denotandis hominibus sunt versati. apte faciunt ad hanc explicationem quae Suetonius apud Diomedem de satura tradidit (pg. 20 Reiff.). ceterum apparet ea ipsa re quod mutato genere et contractis finibus operis exundantem materiam intra certa, quo proposito suo conveniret, coercuit spatia Lucilius, oportuisse evenire, ut cultum quendam limamque ac nitorem reciperet eius satura, differretque ab illa rudi indigestaque mole qualis apparet in Ennii ac Varronis libris. — ib. *Graecis intacti;* satyras Lucilii non saturas dixisse Nonium paene constans, etiam Lugdunensis prioris, evincit membranarum auctoritas. et sane videntur forma illa fere usi grammatici veteres. — rectius tamen eos rem egisse qui id vocabulum a Latino repeterent et proprium esse poesis genus Romanis vel Ennii docent saturae. 73. 74. *neque te ut miretur turba labores contentus paucis lectoribus;* sane numquam tam populares fuere Romanis Horatii saturae quam Lucilii, qui vel saeculo p. Chr. n. primo nactus est lectores quosdam, qui eum omnibus cuiusvis generis poetis praeferre non dubi-

tarent. idem quam acceptus fuerit Frontonis aequalibus nemini ignotum, donec saeculo p. Chr. n. tertio in communi litterarum naufragio coepit elabi ex manibus hominum.

20. in hac satura iam remissis ira studioque qualis sit condicio saturae et Lucilii et ipsius demonstrat Flaccus. 1. *nimis acer*, pro condicione illorum temporum, non si cum Lucilio compararis. — ib. *ultra legem tendere opus;* contra valida p. R. libertate facta arguebantur, dicta inpune erant, ut Taciti verbis utar. quamquam ne hoc quidem exceptionibus caruit. ipsum enim Lucilium in ius vocasse histrionem a quo in scaena nominatim erat appellatus memoriae traditur. — 2. *sine nervis*, ut *sermoni propiora;* cf. I, 4, 39—48. — 21 *quanto rectius hoc quam tristi laedere versu Pantolabum scurram Nomentanumque nepotum.* tanguntur l. I s. 8 vv. 9, 10. vix tamen crediderim Trebatii verbis solos istos respici, cum potius pertinere videantur ad longiores ac saepius repetitas descriptiones Pantolabi et Nomentani vitiorum. quas apud Horatium cum non legamus (qui Nomentani tantum ut luxuriosi alibi meminit I, 1, 102; II, 3, 175; 224), extitisse apud Lucilium omnes inplet numeros probabilitatis. neque dubium videtur quin idem sit Nomentanus ille, cuius memoria extat ap. Lucilium l. II. atque adeo multa nomina quibus utitur Horatius exemplis vitiorum quaeque notando ut ait ipse ex illo videri esse ducta iam supra monui. quare male falluntur scholiastae, qui Nomentanum, Cassium nomine gentili, Sallustii historici, qui cocum eius conduxerit centenis milibus aeris, dicunt fuisse aequalem. immo hoc ut pleraque eorum qui de personis Horatianis scripserunt stetisse traditionis fide non ita certa ea re comparet quod addita leguntur apud Acronem haec: *aliter Nomentanus aut nomen proprium est aut gentile de Nomentana civitate. significat quendam Cassium luxuriosum qui inde fuit.* fuisse autem personam Lucilianam vel ea re fit probabile quod sat. I, 1, 101 cum Maenio, cuius haud dubie Lucilius meminit, componitur. ubi videnda Bentleii annotatio. Pantolabum citra notam aetatis idem referunt fuisse Manlium sive Mallium quendam ingenuis parentibus natum, et quia a multis pecuniam erogarit Graecum illi cognomen impositum. — fuere qui suspicarentur illa *Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem*, quae dandi casu posita recurrunt I, 8, adsumpta de Lucilio, fortasse recte; quamquam fatendum non constare alioqui de translatis ab Horatio plenis versibus Lucilii, etsi saepe eum imitatur. ita tamen habes traductum Ennii versus s. I, 2, 37 sq. atque adeo alibi Varii. — 30—34; haec et quae leguntur infra 62—70 tam vera sunt tamque aperta, nullo ut commentatore indigeant. — 34. *senis;* videnda quae adscripsimus ad Hieronymi testimonia de annis natali ac fatali Lucilii. nempe per annos plus quadraginta poeticam exercuit. — 65. 66. *Laelius et qui duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen.* praeter P. Scipionem et C. Laelium amici fuere Lucilii A. Postumius Albinus, quidam ex Crassis, Q. Granius, L. Aelius Stilo, ad quem etiam unum seu conplures dedit libros, denique Clitomachus inter principes academiae.

fuere et alii complures et ex parte haud dubie primores civitatis; sed de his minus certo constat. *laeso Metello;* C. Caecilio Caprario quarto ex filiis Macedonici, cum quo et ipso P. Africanus, citra tamen acerbitatem et contumeliam, dissentiebat. nam de illo cum apud Numantiam militaret dixisse fertur Scipio [Cic. de or. II, 66, 267], si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. nugas meras hic scholia et qui credit eis Heusdius pg. 205, 6. — *Lupo;* hunc ridicule quidam putarunt eundem qui a. 664 diu post Lucilii obitum fuit consul; quem fatali Africani minoris anno 625 puerulum paucorum annorum fuisse scimus, cum tamen vivo etiam tum Scipione Lupum carpi solitum apertissime constet Flacci verbis. igitur recte videntur coniectare qui L. Cornelium Lentulum cons. a. 597 esse statuerunt. eum refert Val. Max. VI, 9, 10 consularem lege Caecilia repetundarum crimine oppressum, sed post censorem cum L. Censorino creatum. ea res quae evenit a. u. c. 607 nescio an ipsa nimiae hominis potentiae sit indicium. nec abhorret a probabilitate inter Lentulum et Aemilianum gentiles fuisse offensiones; et ob id ipsum Lucilium isti infestum. — mirum tamen illud, quod libro I ubi di memorantur habere concilium de Lupo perdendo Carneadis, qui eodem quo P. Africanus obiit anno, habetur ut mortui mentio. quae difficultas nisi ita expedietur, ut dicamus Lucilium illud de Carneade testimonium saturae aliquanto ante a. u. 625 vel 26 scriptae sed post retractatae inseruisse, fatendum, quod sane saepius sunt questi historici, de Gracchanorum temporum historia parum nobis constare. — 68. 69. *atqui primores populi arripuit;* praeter Metellum et Lupum C. Carbonem, L. Opimium, Q. Opimium, T. Albucium, L. Hostilium Tubulum, P. et Q. Mucios Scaevolas, L. Aurelium Cottam, P. Gallonium, alios. — *populumque tributim;* de eadem re schol. Persii ad illud *secuit Lucilius urbem: 'urbem' dixit 'secuit', quia tribus omnes triginta quinque laceravit, ex quibus urbs tota constat.* huc pertinet illud [inc. 6] *prima Papiria Tuscolidarum.* videnda quae ibi sunt annotata. — ceterum vix est quod moneamus non magis ab equestris ordinis vel plebeiae sortis hominibus carpendis abstinuisse Lucilium, ut puta Tib. Asello, Calvo, Hortensio. de poetis ab eodem vexatis iam saepius vidimus. — atque adeo ex fragmentis eius quantumvis laceris ac minutis plene comparet iure suo Lactantium dicere eum nec dis nec hominibus pepercisse. — 70. *scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis;* hunc versum haud absurde dixit Orellius videri sibi petitum ex Lucilio. certe nihil est cur alio quam iustum et aequum fortiter tutandi consilio ductum carpsisse homines statuamus illum. similiter de se Aristophanes: *ἀλλ' ὑμεῖς μήποτε δείσηθ' ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια.*

21. *te, Lupe;* de Lupo modo dictum. — *te, Muci;* fuere qui statuerent Q. Mucium Scaevolam augurem, generum illum L. Crassi, et hic tangi et versu Iuvenalis, qui infra adferetur. sed cum tanto odio in eum accensus fuisse videatur Lucilius, quanto in Lupum, vix credi potest, Persii et Iuvenalis locos pertinere ad eum cui subiratum fuisse satiri-

cum ipse testatur Crassus. qua re assentiendum existimo Heusdio, qui statuit pg. 216 intellegendum Publium Mucium Scaevolam, consulem anni 621, quem inimicitias exercuisse cum P. Scipione Ciceronis [d. r. p. I, 19; de or. II, 70, 285] testimoniis constat.

22. omnino ad Lucilii ac reliquorum satiricorum rationes plene percipiendas dignissima cognitu prima Iuvenalis satura. — nota autem omnes quorum extant libri satiricos Lucilii imitationem profiteri.

26. *eruditio mira;* at mediocrem tribuit eidem Cicero. iactantior tamen utique ostentanda doctrina Lucilius — quod ipsum nescio an fraudi fuerit Quintiliano — oblitus aliquando praecepti notissimi manu, non toto sacculo spargendum. — *esse aliquid quod tollere possis;* Hor. sat. I, 4, 11 *cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.* parum accurate et rettulisse haec et interpretatum esse Quintilianum iam monui. — ceterum Quintilianus quin primoribus quod aiunt labris degustarit Lucilii pariter ac Varronis saturas non est dubium.

35. prima verba Euanthii ex Hor. ep. ad Aug. vv. 145—155 ducta facile apparet.

40. *stilo Luciliano;* si ex anthologia, quae communes potissimum contineret locos, peritiam Lucilii traxit Ausonius, non iam poterit esse mirum, quod carmen illud stilo Luciliano conscriptum praeter sententias morales, quae nec apud Lucilium fuere infrequentes, tam parum refert venae Lucilianae.

42. coniecturam ab Heusdio rara ingenii felicitate promptam probavit Fridericus Ritschelius par. praef. pg. XVII et m. Rhen. nov. VI, 522, non probavit Iulius Steupius libelli de Probis grammmaticis pg. 7, sed ratiunculis usus sat invalidis.

46. haec non ad pueros in ludis versantes pertinere nullis umquam argutiis efficietur. et apparet non memorari ab Hieronymo praeter eos libros quos tritos scholarum usu vulgo constat. accedit quod omnis elegantia verborum eius perit, si puerum h. l. aliud significare statuemus quam vere puerum. aliter visum Steupio, qui libelli de Probis grammaticis pg. 81 ad refellendam opinionem nostram haec profert perdocta '*in scholis nisi fallor non legebantur commentarii, sed legebantur poetae quos magistri enarrabant.*' negat idem Aemilium Asprum grammaticum quippe nobilissimum potuisse commentarios puerorum in usum conscribere, quasi solus aut primus id fecisset. nos tamen Hieronymi, quem melius utique quam nosmet de Aemilii scriptis fuisse edoctum sat constat, acquiescemus testimonio extra ambiguitatem posito. — ceterum Lucilii quaedam illo etiam tempore in scholis tractata quaestionum Lucil. c. I demonstravimus.

47. Ennii ubi fit mentio apud veteres non addito carminum genere semper notantur annales, quibus maxime nomen eius percrebuit: itaque testatur auctor anecdoti, quod sane vix aliter evenire potuit, Vargunteium et reliquos criticos operam navasse primum dactylicorum ante Ciceronis aetatem libris longe clarissimis, deinde fabulis sive comicis sive tragicis, quas quam maxime obnoxias fuisse corruptelis et

interpolationibus nemo mirabitur. ceterum Steupius, cui nostra fere solent improbari, audiamus quid de h. loco protulerit libelli de Probis grammaticis pg. 60. nempe dubitare se dicit, an fuerit antiquitus scriptum *Ennii ac vetustorum* sive ut ipse ponit *vethustorum*, exturbato Lucilio, cuius nomen sexcenties in Lucii depravatum omnes praeter ipsum agnoverant. est profecto hic vir nec doctrinae neque acuminis expers sed quem appareat nondum satis nosse quo sit modo ars critica factitanda. — *Lucilio;* Lucilii nomen pro Lucretii satis probabiliter substituit Bernhardyus; dissentit Steupius pg. 82, a quo 58 docemur Lucretium non vetustis sed novis Romanorum poetis aut certe utrique generi posse ascribi. Lucilium quod ultimo potius quam primo loco nominavit auctor anecdoti iniecta evenit Flacci memoria.

ACCI (PRAETER TRAGOEDIAS) ET SUEI

LIBRORUM RELIQUIAE.

L. ACCI

DIDASCALICON LIBRI.

LIBER I.

I

Gell. n. A. III, 11, 1: alii Homerum quam Hesiodum maiorem natu fuisse scripserunt — alii minorem, in quis L. Accius poeta. — id. ib. 4 sq. Accius autem in primo didascalicon (cdd. didascalico) levibus admodum argumentis utitur, per quae ostendi putat, Hesiodum natu priorem: quod Homerus, inquit, cum in principio carminis Achillem esse filium Pelei diceret, quis esset Peleus, non addidit; quam rem procul, inquit, dubio dixisset, nisi ab Hesiodo iam dictum videret. de Cyclope itidem, inquit, vel maxime, quod unoculus fuit, rem tam insignem non praeterisset, nisi aeque prioris Hesiodi carminibus invulgatum esset.

II

num érgo áquila ita ut híce praedicánt scicíderat péctus?

III

plácáre ferócem hóstem inimícitérque accénsum.

II Gell. n. Att. VI, 9, 16 L. Accius in Sotadicorum libro I sciciderat dicit. verba haec sunt. — Priscianus 890 Afranius more antiquo dixit scicidistis — Accius Sotadicorum I. III Non. 514, 21 inimiciter.

---

1 num *Gellii cd. regius*, non *rel. huius et Prisciani libri.* — hice *M*, hi *Gell.*, *om. Prisc.* — *Lachmannus ita versum constituit*, n. e. a. i. u. hi praédicant, sciciderat ea p.? 2 placere *L* 1. — ferocem hostem *Lchm. in prooem. lect. hib. acad. Berol.* 1849 *pg.* 5, hostem ferocem *cdd.*

IV

– – ⏑ ⏑ – – sapiéntiaéque invíctae
grátia átque honóri' pátera Néstorém mactávit
áureá ⏑ – – – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – – .

V

– – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – fálsidica, aúdax,
gnátí matér péssimi, odíbili', nátura inpos,
éxcors, écfera – – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – – .

LIBER II.

I

út, dúm brevitátém velint cónsequí verbórum,
áliter ác sit réllatúm redhóstiánt respónsum.

II

– – ⏑ sed Eúrípidi', quí chorós temérius
ín fábulis – – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – –

Accius didascalicorum lib. I. IV Non. 341, 18 mactare honorare. Accius didascalicon (didascalico cdd.) lib. I. V Prisc. 709 eius (quod est compos) contrarium impos impotis. Accius (Actius Halberst.) in I didascalicon (didascalium Bern.).

I Non. 165, 20 redhostit (redostit scripti) reddit (reddit Iunius, redit cdd.). Accius Amphitryone — idem didascalicon (ita v., didascalico scripti) libro II (II om. L 1, I edd. ante Mercerum). II Non. 178, 22 temerius. Accius (Ascius G) didascalicon (didascalico L 1, didascalo G) libro II.

---

3 sapientiae quae, *m.* 2 que *L* 1. 4 onoris *G.* — patera Nestorem *Turnebus*, pater honesto rem *libri excepto quod in Basil. legi videtur* paterna. 6 falsifica *Sang.*, *Lugd. et a pr. m. Bamb.*, *Bern.* 7 ignati *Sang.*, *Lugd.*, ignoti *Carolir.* — impos *scripti.*

8 ecfera *Lchm. prooem. lect. hibern. acad. Berol. a.* 1849 *pg.* 5, et fera *cdd.*

1 brevitatem velint *Lchm. in prooem. lect. hib. univ. Berol. a.* 1849, *pg.* 6; velint brevitatem *G*, vel in brev. *L* 1. 2 aliter aliter *om.* ac sit *L* 1. — rellatum *Lchm. l. l.*, relatum *scripti*, *qui porro* redhosti, quod *corr. Hermannus.* 3 Erupidis *m.* 2 Eurupudis *L* 1; Euripides *Madvigius.* — sei Eúrípidi' quí chorós temérius íncilábit *Lchm. l. m.* 6.

LIBER VIII.

I

áctoribu’ mánuleós baltéa machaéras — —

LIBER VIIII.

I

nám quam vária sínt génera poématórum, Baébi,
quámque lónge dístíncta alia áb aliís, sis, nósce.

II

ét mágnificíssimei éxcelsíssimeíque honóre.

III

véctigália égerántur ét struántur státim.

EX LIBRIS INCERTIS.

I

Cic. Brut. 18, 72 Accius autem a. Q. Maximo quintum consule captum Tarenti scripsit Livium annis XXX post quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis invenimus. docuisse autem fabulam annis post

I Non. 194, 17 balteus neutro. Varro — Accius didascalicon (didascalico N *m.* 2 L 1) lib. VIII.

I Char. 114 poematorum et in II et in III idem Varro adsidue dicit — Accius quoque didascalicorum VIIII. II Priscianus 603 haec in usu non sunt, sed pro his magnificus et munificus, ex quibus comparativum et superlativum — secundum praedictam regulam derivari invenio apud vetustissimos. M. Cato — Terentius — Accius (Actius Halb.) in VIIII (VIIII om. Paris. 7530, VIIII in VIII mut. 2 m. Bamb.) didascalicon. III Char. 195 statim Accius in didascalicon VIIII.

---

1 auctoribus *G;* ductoribus *quidam doctus ap. Madv.* 93, *non recte.* — maceras *scripti.* — et baltea et machaeras *ad v. explendum Lchm. prooem. lect. hib. univ. Berol. a.* 1849 *pg.* 6.

1 nam, *fortasse* nunc. — Baebi, quamque *v.*, baebus quam quae *per abbreviationes cd.* 2 sis *add. M.* 3 magnificissimei *Hertzius,* magnificissime *libri.* — excelsissimeique *idem*, *cdd.* excelsissime excelsissimique *sive* excellentissimique *sim.*, *quae videre est apud illum.*

4 egerantur *M;* egerant *iam Lchm. l. m. pg.* 7; legerant vestra *Neap.* — struantur *Lchm. ib.*, servantur *cd.*

XI C. Cornelio Q. Minucio consulibus ludis Iuventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat. in quo tantus error Accii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit.

II

Cic. Brut. 64, 329 Accius isdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset.

III

Gell. n. A. III, 3, 1 verum esse comperior quod quosdam bene literatos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarunt, non indicibus Aelii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii super his fabulis quae dicuntur ambiguae crediturum sed ipsi Plauto moribusque ingeni atque linguae eius.

IV

nám néc gemineí leónes néc cóndaliúm nec
Plaúti anús nec bís conpréssa néc Boeótia umquam
fúit néque adeo ágroécus néque cómmoriéntes
Máccí Titi – – ◡ ◡ – – ◡ ◡ – –

V

únde ómnia pérdísci ac pércipí queúntur.

VI

Varr. d. l. Lat. VII, 64 miraculae a miris, id est monstris, a quo Accius ait personas distorteis (distortas v.) oribus deformis miriones. — hoc haud absurde ad didascalica sive pragmatica rettuleris vocabulum.

IV Gell. III, 3, 9 Marcus tamen Varro in libro de comoediis Plautinis primo Accii verba haec ponit. V Diomedes 380 Attius (Actius Par. 7493) quitus sum ponit pro quivi hoc modo — idem alibi eodem modo.

---

2 Plauti anus *Lchm. l. m. pg.* 6, anus Plauti *cdd.* — compressa *idem.* 4 Macci Titi *Ritschelius parerg.* 14, M. Accii Titi *vel similia libri.* 5 quaeuntur *cdd.*

PRAGMATICON LIBRI.

LIBER I.

I

_ ◡ _ ◡ _ ◡ _ et cuncta fieri cetera
inbecilla ob ponderitatem gravitatemque nominis.

EX LIBRIS INCERTIS.

I

_ ◡ _ ◡ _ describere in theatro perperos
popularis ◡ _ _ ◡ _ ◡ _ ◡ _ _ _ ◡ _

II

ideo plectuntur poetae quam suo vitio saepius
aut ductabilitate nimia vostra aut perperitudine.

III

Gell. n. A. XX, 3.

quam ob causam L. Accius poeta in pragmaticis sicinnistas nebuloso nomine esse dixerit.

quos 'sicinistas' vulgus dicit, qui rectius locuti sunt 'sicinnistas' litera n gemina dixerunt. 'sicinnium' enim genus veteris saltationis fuit. saltabundi autem canebant, quae nunc stantes canunt. posuit hoc verbum L. Accius poeta in pragmaticis appellarique 'sicinnistas' ait 'nebuloso nomine', credo propterea nebuloso, quod 'sicinnium' cur diceretur obscurum esset.

I Non. 156, 4 ponderitatem a pondere ut gravitatem. Accius pragmaticon (ita Osannus, pracmatico cdd.) lib. I.
I Non. 150, 10 perperos, indoctos, stultos, rudis (v. add. et, om. L 1 m. 1), insulsos, mendosos (libri mendaces). Accius pragmaticis.
II Non. 150 s. v. perperos — Accius pragmaticis — idem eodem.

---

2 inuecilla *L* 1 *m.* 1. — ob *Madvigius opusc. I*, 110, non quod *scripti.* — *idem* hominis, *corr. Madv.*
1 discribere in teatro *L* 1. 3 ideo *scripsi;* et eo *cdd.*
4 aut *add. v.*, *om. libri.* — ducibilitate *margo G.* — vestra *scr.*

AD SCRIPTURAM RECTAM VERBORUM QUAE SPECTANT.

I

Quintil. inst. or. I, 7, 14 semivocalis geminare diu non fuit usitatissimi moris (melius docti non g. d. f. u. m.) atque e contrario usque ad Accium et ultra porrectas syllabas geminis ut dixi vocalibus scripserunt.

Vel. Long. 2220 nam nec Attium secuti sumus semper vocales geminantem, ubicumque producitur syllaba, quoniam expedita debet esse condicio scribendi.

Scaurus 2255 primum igitur per adiectionem illa videntur esse vitiosa, quod Accius geminatis vocalibus scribi natura longas (longa cd.) syllabas voluit, cum alioqui adiecto (abiecto cd.) vel sublato apice longitudinis et brevitatis nota possit ostendi.

Mar. Vict. 8 cumque longa syllaba scribenda esset, duas vocales (Accius) ponebat (ita Ritschelius; ponebant v.), praeterquam quae in i literam inciderant. hanc enim per e et i scribebat (scribebant cdd.; scribebat Ritschelius).

II

Priscianus 556 ostendit Varro in primo de origine linguae Latinae his verbis: ut Ion scribit, quinta vicesima est litera quam vocant agma, cuius forma nulla, set (ita Ritschelius comm. de mon. epigr. tribus pg. 24, cdd. nulla est et) vox communis est Graecis et Latinis ut his verbis 'aggulus', 'aggens', 'agguilla' (aggilla Carolir., aggula, vel aggilla m. 2, Sang., agguila Lugd.), 'iggerunt'. in eius modi Graeci et Accius noster bina g scribunt, alii n et g, quod in hoc veritatem videre facile non est. similiter 'agceps', 'agcora'.

Mar. Vict. 8 Accius cum scriberet angueis, aggueis ponebat (ita Ritschelius pg. 23 excepto quod scribit angulus, aggulus; in Parisino libro legitur anguies angules impo-

nebat; fuisse antiquitus existimo angules ponebat). — idem 21 anceps, ancilla, angina (ita scripserim; Paris. angitia, ut infra ubi eadem repetuntur exempla), angustum, anquirit, ancora (ancora add. Ritsch. pg. 25 ex loco quem modo citavi, om. v.) iam dixi Attium non (iam dixi Attium non Ritschelius, non iudicat Paris.) per an sed more Graecorum per ag solitum scribere.

III

Mar. Vict. 8 idem (Accius) nec z literam nec y in libros suos (v. in libro suo) retulit, quia s duplicata et u apte videbantur exprimi. nam neque ante fecerant Naevius et Livius (s — nam add. M, om. cdd., in quibus est quae pro neque).

IV

Varro d. l. L. VII, 96 ea ut Graeci σκηνή, ut Accius scribit scena.

PARERGON LIBRI.

LIBER I.

I

venae proscissae cossim goerare ordine
porcas bidenti ferro, rectas cernere.

PRAXIDICA.

I

inter auctores libri Pliniani XVIII legitur: ex Accio (quidam libri Attio vel Attico) qui praxidica scripsit. Plin. n. h. XVIII, 24, 55 adiecit his (serendi praeceptis) Attius (ita Paris. 6797, Actius rel. Detlefsenii cdd.) in praxidico,

I Non. 61, 19 porcae agri quam dicimus significantiam Varro designat — Accius parergorum lib. I.

---

1 venae proscissae *M*, bene proscissas *v*. — cossim goerare *M*, cossigerare *cdd.*; cossim girare *Scal.* 2 cernere *M*, derevere *libri.*

ut sereretur, cum luna esset in ariete, geminis, leone, libra, aquario, Zoroastris, sole scorpionis duodecim partes transgresso, cum luna esset in tauro.

ANNALES.

[LIBER I]

[I]

[Maia nemus retinens gravido concepit in alvo].

LIBER XXVII.

I

calones famulique metallique caculaeque.

EX LIBRIS INCERTIS.

I

maxima pars Graium Saturno et maxime Athenae
conficiunt sacra, quae Cronia esse iterantur ab illis.
cumque diem celebrant, per agros urbesque per omnes
exercent epulis laeti famulosque procurant
quisque suos; nostrisque itidemst mos traditus illinc
iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

[I] Non. 193, 23 alvus — generis masculini. Accius — et alius auctoritatis obscurae. — Priscianus 654 Accius tamen masculinum hoc protulit annali I (in primo annali Bern., annalium primo Paris. 7496).

I Festus 146 metalli dicuntur in lege militari quasi mercennarii. Accius annali XXVII (errorem sine dubio permagnum esse in numero verissime dicit Madvigius opusc. 110) — a quo genere hominum Caeciliae familiae cognomen putant (putat cd.) ductum. — Paulus 147 metalli dicuntur in re militari quasi mercenarii. Accius in annalibus.

I Macrob. saturn. I, 7, 36 apparet Saturnalia vetustiora esse urbe Romana, adeo ut ante Romam in Graecia hoc sollempne coepisse L. Ac-

---

1 mala *L* 1 *et Sang. Prisc.* — ni tueremus retinens *Lugd. Prisc.* — mala manu *Scal. in Priap.* 75, mala sinu *Vngerus de C. Valgio* 47.

1 metallique *Festus et Paulus*, metellique *v.*

3 cumque *edd. Venetae et v. c. Meursii*, eumque *reliqui scripti.* — per omnes *Anglicanus*, fere omnes *v.* 5 nostrisque *margo ed. Gryphianae*, nostrique *cdd.* — itidemst *M*, itidem et *v.*

II

_ ⏑ ⏑ _ ⏑ ⏑ _ ut quam fragilissimus alvos.

III

fraxinu' fissa ferox infensa infrenditur ossis.

IV

Varro d. l. L. V, 98 haec (arvigae hostiae) sunt quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru cocuntur, quas et Accius scribit et in pontificiis libris videmus. — in annalibus haud dubie de ea re egit Accius.

LVSVS AMATORII.

CARMINA SATURNIA.

I

Cic. pro Arch. 11, 27 D. Brutus, summus vir et imperator, Acci, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. — schol. Bob. ad h. l. eius (Bruti) nomine (cd. nomini) Accii poetae tragici exstat liber, cuius plurimos versus quos Saturnios appellaverunt vestibulo templi Martis superscripsit Brutus.

SUEI CARMINUM RELIQUAE.

LIBER V.

I

_ redeunt referunt rumore petita secundo

cius in annalibus suis referat his versibus. II Non. 193, 23 alvus — masculino. Accius annalibus (annibalibus L 1) 'ut — alvo'. sed (alvos et Rothius) alius (alvus m. 1 L 1, id. m. 2 aliis) auctoritatis obscurae 'Maia' e. q. s. — Priscianus 718 excipitur haec alvus, quod veteres frequenter masculino genere protulerunt. Accius in annalibus 'ut' e. q. s. — cf. Char. 61. alvum — masculine — Accius frequenter.

III Priscianus 710 quidam tamen veterum et hoc ossu et hoc ossum proferebant unde Pacuvius — Accius vero in annalibus.

I Macrob. sat. VI, 1, 37 ad Verg. aen. VIII, 90 'ergo iter inceptum peragunt rumore secundo': Sueius (ita Anglicanus, Neapolit., Suevius Paris.) in libro quinto.

---

7 alvus *libri Prisciani; apud Nonium quid sit traditum supra notavi.* 8 fixa *Lugd., Carolir.* — infrenditur *M,* infinditur *v.*

1 rumore petita *M,* petita rumore *cdd.*

II

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – volucrumque volatile telum

MORETUM.

I

admiscet bacam silicis. haec nunc ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ partim,
partim Persica, quod nomen sic denique fertur
promptum e re, quod qui quondam cum rege potenti,
nomine Alexandro Magno, fera proelia bello
in Persas tetulere suo post inde reventu
hoc genus arboris in praelatis finibu' Grais
disseruere novos fructus mortalibu' dantes.
mollusca haec nux est, nequis forte inscius erret.

PULLI.

I

sic incedunt et labellis morsicatim lusitant.

II Macrob. sat. VI, 5, 15 decenter et his epithetis Vergilius usus est: pro sagitta volatile ferrum et pro Romanis gentem togatam, quorum altero Sueius (ita Anglicanus, Medicei, Paris., in quo prius videtur fuisse Suevius), altero Laberius usus erat. nam Sueius (ita idem codices) in libro quinto ait.

I Macrob. sat. III, 18, 10 est autem Persicum quod vulgo vocatur; et mollusca nux dicitur scilicet quod ceteris omnibus nucibus mollior sit. huius rei idoneus adsertor est Sueius (ita Paris., Bamb. Suetius), vir longe doctissimus, in idyllio quod inscribitur moretum. nam cum loquitur de hortulano faciente moretum, inter cetera quae eo mittit et hoc pomum mitti ait his verbis 'admiscet — erret.' — idem ib. 19, 1 Persicum quod Sueius (ita Medicei, Suevis Par., cum eius seu tum eius Bamb.) poeta superius inter nuces numerat.

I Non. 139, 24 morsicatim. Sueius (ita M, suis cdd.) pullis (non

---

2 volucrumque *corruptum.*

1 admiscet bacam silicis (*i. e.* siliquis) *M*, admisce tua ca basilicis *Paris.*, admisce tua ca$\overset{b}{v}$asilicis *Bamb.* (*fuerat antiquitus* admisce$\overset{ba}{tuc\bar{a}}$silicis; *ceterum* baccam *iam Salmasius*). — *lacunam significavit M.* 3 sit denique *m.* 1 *Bamb.* 4 promptum e re *M*, propterea *cdd.* 4. 5 potent (*ras.*) omine *Bamb.* 5 pręlia *Bamb.*, praelia *Paris.* — 7 praelatis *suspectum.*

1 labellis *M*, in labellis *v.*

II

ubi tu nequaquam cubares aspriter – – ᴗ –

III

– ᴗ – ᴗ – ᴗ escam ec iure in os pullo dato
fitillas, simul assulatim viscus adsumit cibum.

EX LIBRIS INCERTIS.

I

frunde ec fritinni suaviter – – ᴗ –

II

ita tradedeque in re neque in
iudicium Aesopi nec theatri trittiles.

DUBIA.

I

interse degularunt omnia.

inepte rescribi posse idullis i. e. idylliis dixi m. Rh. XXIIII, 554).
II Non. 513, 21 aspriter (ita M; aspiter L 1, L 2: aspiciter sed deletis ci m. 1 G). Sueius (Sueius M, Veius cdd.) pullis (sic docti, pulis cdd.). — hinc adverbium 'asperiter' adfert Priscianus 1010.
III Non. 72, 21 assulatim ut minutatim. Plautus — Sueius (ita M, vaeius cdd.) pullis.

I Varro d. l. L VII, 103 multa ab animalium vocibus tralata in hominis — perspicua ut — minus aperta ut — Suei a (ita M sueta cdd.) a frendice (ab irundine Scal.). II Varro d. l. Lat. VII, 104 minus aperta (ab animalium vocibus tralata in homines) ut — Suei a colubra (ita Baehrensius, sues avoluerat Flor.).

I Charisius 80 gulam ut Iulius Modestus ait per u scribemus, non per y, quae Graecis vocabulis necessaria est et saepe in u transit ut suemus (supra scr. succius) ait in nudo (corr. in Mido) 'interse' e. q. s. — ita excerpta Cauchiana; at Neapolitanus ut insuemur ait in nuro. sane facili coniectura licet restitui Sueius; et 'Suecium' olim reposuit Putschius. et poetae quidem fragmentum esse quod supra posui satis constat; nam aperte versus iambici seu trochaici habes exitum; sed idem rectene an secus tribuatur Sueio non ausim definire. nam ne hoc quidem probabilitate sua caret quod M. Hertzius insistens libri Neapolitani vesti-

2 nequamquam *L* 1. — cubare *L* 2. — aspriter *M*, *cdd. ut supra in lemmate.* 3 ec *M*, hic *v.* — os *Me*, ops *libri.* — dato (*vel* date) fitillas, simul *M*, daadscintille simul *scripti.* 4 vis aias sumit *idem*, viscus assumit *M.*

1 ec *M*, et *scripti.* — fritinni *O. Muellerus*, frutinni *libri; fort.* fritinnis. 2 *locus corruptus; quae protulere docti merae nugae.*

FALSO ADSCRIPTA.

I

summates viri sunt facti simpolones ganei.

II

_ myrrhinum mihi affert, quo virilibus
armis occursem _ ᴗ fortiuscula.

giis voluit reponi ut in sue mure, ut lacuna sit haustum nomen scriptoris. videntur autem esse verba comoediae, quae utrum nurus (ut statuit Hertzius) an Mida sive aliter inscripta fuerit non decerno.

I Fulgent. 567, 4 summates dicuntur viri potentes, simpolones convivae — ganeum vero taberna est. unde et Sutrius in comoedia piscatoria ait. — hic pro illo Sutrius (ita libri optimi) cum sit in excerptis Stavereni Sustius, in ed. princ. Succius, in Guelf. alt. (saec. XV) Satirus, in Basiliensi Sattius, in libro Vulcanii Satrius, illud Suecius coniecit reponendum O. Muellerus ad. Varr. VII, 104. sed in homine tam dubiae fidei qualis fuit Fulgentius pleraque incerta. itaque quamquam non abhorret a vero haec verba ut ea quae proxime ponentur e comoedia aliqua petita esse, tamen Sutrius ille cuius nomen ex Plauti Casinae III, 1, 10 fictum esse non absurde statuit Lerschius de Fulgentio pg. 68 num omnino fuerit non constat et multo minus probabile est eum fuisse eundem cum Sueio. — ceterum concinnavi versum quadratum; nam vulgo ferebatur ἀμέτρως illud: simpolones facti sunt.

II Fulgentius mythol. III, 8 nam et Sutrius comoediarum scriptor introducit Glycerium (ita Ritschelius par. Pl. 28, Glyconem v.) meretricem dicentem.

COMMENTARIUS

IN

ACCIUM ET SUEIUM.

ACCI (PRAETER TRAGOEDIAS) ET SUEI LIBRORUM QUAE SUPERSUNT.

I

De didascalicis L. Accii cum cura et sollertia egit Madvigius libello academico quem a. 1831 primum editum mox priori volumini opusculorum inseruit. ibi simul, nullus ut locus esset iam relictus dubitando, Osanni confutavit ineptias, qui Ateium Philologum, non L. Accium, poetam tragicum, didascalicon auctorem esse dixerat.

igitur princeps apud Graecos proposuit Aristoteles librum de certaminibus scaenicis, ex quo perspici possent et nomina poetarum actorumque et fabularum scaena productarum tempora et fata ac similia; cum inscripsit *διδασκαλίας*. deinde ex Alexandrinis Callimachi prodiit *πίναξ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκαλιῶν*, Carystii Pergameni liber *περὶ διδασκαλιῶν*.

e Romanis primus Accius, quem ut plerosque Romanorum, maxime antiquiorum, pariter poetae et grammatici vice functum esse constat, aggressus est scribere didascalicon libros, certe non minus IX. dati autem fuere ad Baebium nescioquem. eis rei scaenicae leges pariter ac fata, apud Graecos quae extitere et apud Romanos, videtur esse persecutus. neque alia poeticae genera nisi summatim tetigisse eum hoc opere existimarim. nam quod libro primo de aetate Homeri et Hesiodi videtur quaesisse, vix mirum videbitur reputantibus carminibus epicis quae recte seu secus ad illos referrentur velut perenni fonte fluxisse, quae propriis libris inverterent tragici Graeci pariter ac Latini.

ceterum in tanta reliquiarum paucitate quod neque consilium operis aut ordo satis possunt explicari et aliquot fragmentorum sententia minus certo apparet, vix erit cur mirere.

quodsi aetatem tulissent didascalica, esset sane magnus horum usus, quamquam neque ratiunculis ineptissimis nec gravissimis erroribus caruisse ea constat.

trochaicis numeris fuisse compositos libros didascalicon (nam Mercerus et Madvigius cum plerisque priorum pedestri sermone conscriptos crediderant) probare studuit Hermannus opusculo academico d. XIX m. Dec. a. 1841 edito; sed frustra. nam Sotadico metro fuisse scriptos praeclare ostendit Lachmannus in programmate addito indici lectionum

per semestre hibernum a. 1849 in academia Berolinensi habendarum. unde idem libri Gellio et Prisciano (quem eodem quo illum fonte usum recte statuit Lachmannus) singulis locis afferuntur sotadicorum nomine, titulo ut alibi saepe factum ducto ex metro.

similiter vel exeunte saec. p. Chr. III Terentianus partem libelli grammatici sotadicis conscripsit versibus. — et satis acceptos fuisse hos Romanis probavit Lachmannus. quin idem metrum versu populari qui extat ap. Fest. 285 haberi animadvertit Augustus Meinekius.

nos plane obsecuti Lachmanni invento, de quo qui dubitari possit non video, tamen numeros paullo liberius illo habuimus. nam formas ionici a maiori quae optinerent apud Ennium Accium et ex parte Varronem statuimus hasce:

⏖ ⏖ ⏑ ⏑
⏖ ⏑ ⏖ ⏑
— — —
⏖ — ⏖ ⏑
⏖ ⏑ ⏖ —

neque enim ulla est causa cur negemus arsin quamlibet potuisse solvi. id etiam ad ultimam pertinet; sicut et visum Fleckeiseno [Caton. poes. rel. pg. 13]. nam eadem plane in iambicis trochaicis anapaesticis numeris apud scaenicos vetustos Romanorum licentia. — choriambi tamen sive ionici minoris pro maiore positi exemplum non inveni; nec facile adducar ut inferam ultro.

pragmaticon, quae trochaicis versibus septenariis fuere conposita, quattuor extant fragmenta, non amplius. ex quibus secundum et tertium cum quarto aperte etiam spectant res scaenicas; primum quo pertineat non constat. librorum numerus incertus; plures uno fuisse eo probatur quod primum citat Nonius.

praeterea placita Accii quae verborum rectam scripturam spectant collegi, magis nequid desset et quia eorum quaedam a Lucilio impugnari ostendit summus ille litterarum Latinarum arbiter, quam quod demonstrari posset propriis illa libris tractata esse ab Accio. — etenim quotquot extant auctorum veterum testimonia de L. Accio grammatico, ad autographa scriptorum eius et quidem potissimum tragoediarum (nam reliqua multo minus percrebuere) videntur spectare. id facile apparebit ei qui locos auctorum quibus memorantur placita Acci expenderit curiosius; nec minus docent Marii Victorini verba haec pg. 9: clarorum virorum quos supra nominavi (scribendi) consuetudinem (inter eos etiam fuit Accius) in libris reperire possumus eorum.

accedit quod severioris doctrinae libros provectiore aetate composuisse Accium probabile est, cum iam anno aetatis eius XXXX (nam natus est a. u. c. 582) praecepta eius invenisse sectatores docuerit Ritschelius pg. 28. — et sane videtur permagna Accii poetae apud aequales fuisse fama et auctoritas, donec eam superavit Lucilius.

ceterum memoria dignum in tot fragmentis Accii numquam, ne in eis quidem quae servavit Nonius, scripturae proprietatum eius inveniri exemplum.

de parergis et praxidicis si in tanta fragmentorum paucitate ac tenuitate licet coniectari, idem videtur fuisse opus diversis nominibus, metro iambico illud compositum, quo agri colendi praecepta exponerentur. plures fuisse libros inde efficitur, quod primum memorat Nonius.

annalibus, sicut Ennius res publicas p. R., Accius privatas et antiquitatum maxime eas quae ad sacra pertinerent videtur esse persecutus, ut similia fere argumenta eis, quae Ovidius fastis quaeque l. V Propertius persecutus est, tractasse eum existimem. metrum et ipsum fuit heroicum. numerus librorum incertus; nam quod XXVII memoratur a Festo s. v. metelli, errorem sine dubio permagnum latere non sine specie statuit Madvigius pg. 110. reliqua autem fragmenta praeter unum idque valde suspectum carent numeri nota.

praeterea cum Plinius ep. V, 3, 6 Accium inter eos memoret, qui amatoria et lasciva scripserint carmina, Lachmannus didascalicon libros idque multo magis propter infame Sotadicorum nomen quam propter argumentum operis ab eo respici putat. equidem tam turpiter errasse Plinium minime crediderim; sed fuere haud dubie carmina ista qualia aequalium Accii legimus Valerii Aeditui, Porcii Licini, Q. Catuli, de quibus nisi testatus esset Gellius XVIIII, 9 nobis non magis constaret.

denique vix memoria dignum narrare scholiastam Bobiensem extitisse Accii librum saturnio metro conscriptum, nisi hoc veritatis quantumvis tenue vestigium inesse in hoc testimonio dicemus, ut titulos saturnios ab Accio honori D. Bruti Gallaeci dicatos insequentium temporum hominem quendam litteratum collectos edidisse dicamus. ceterum potuit fieri ut normas eas saturnii metri, quas mox a Varrone traditas probarunt grammatici Latini, primus carminibus suis sequeretur Accius.

II

Sueium incognitum doctis litterarum Latinarum historiam qui sunt persecuti cum ex longo veterno resuscitassent Odofredus Muellerus ad Varr. d. l. L. VII 104 et Fridericus Ritschelius parerg. pg. 29, mox Martinus Hertzius carmine pullorum quod tribus locis memorat Nonius auxisset annalium litterarum criticorum a. 1843 II, 232 sqq., nos mus. Rhen. XXIIII, 553 vero nomine donavimus; nam apud Macrobium Suevius audiebat (quem quidam non recte Saevium Nicanorem illum de quo agit Suetonius grammaticum crediderunt), Suetius apud Varronem. is ne rursus oblivione premeretur, fragmenta eius quotquot potuere reperiri hic loci repraesentari placuit, cum praesertim haud absurde Lucilio Accioque adderetur homo qui et ipse eruditionis laude floruit. — et compar his aetate videtur extitisse, nisi quis magis eum Laevii

aequalem existimarit, quamquam fatendum est admodum raro sui temporis poetarum mentionem Varronem inicere. de qua re certius fortasse constaret, nisi alterum fragmentorum quae servavit Varro maiores remediis traxisset corruptelas. scripsit autem idyllia, e quibus unum inscriptum fuit moretum, quo titulo praeditum et Maronis extare opusculum norunt plerique. his etiam carmen cui titulus fuit 'pulli' tribuerim. at quae ex libro quinto memorat Macrobius epici, nisi fallor, sunt carminis. quae apud Varronem extant ut auctoris haud obscuri et aperte iambica tamen unde sumpta sint non comparet. nimis autem incerta Charisii Fulgentiique testimonia.

L. Acci. asserunt praenomen Cicero, auctor librorum ad Herennium, Plinius, naturalis historiae auctor, Gellius, Hieronymus, Macrobius. ceterum plerumque solo nomine gentili citatur. hoc iam a plerisque video scribi per duplex t. et utraque quidem nominis forma per se recte habet, de qua re videnda quae dixere Ritschelius parerg. 36, Teuffelius hist. litt. lat. 161; unde et in lapidibus vetustis invenitur cum Accius tum Attius. itaque Marius Victorinus pg. 9: per duo t Attius, Vattius et similia. at hercule in codicibus Nonii, qui quae affert ex optimis auctorum exemplaribus ducta esse saepius memoravi, ne semel quidem nisi memoria fallit legitur Attius; et vix magis apud Varronem, Tullium, Quintilianum, Gellium, Festum, Paulum, Priscianum. in reliquis ita certe res habet ut cum decies Accius, semel Attius feratur vel Actius. quare quem movebit, quod ultimae Graeculis aetatis dicitur poeta *Ἄττιος*? isdem et *Λουκίλλιος*. — quodsi reputassent docti Accium semper, non Attium dici poetam libro Varronis Florentino, non hercule scripsissent VI, 80 *hinc visenda vigilant vigilium invident et Attianum illud* (pro *Atticum illud*), sed *anticum illud*, incerto nempe auctore (haud dubie tragico),

> óllim violavít (libri *oblivio lavet*, *violavit* iam O. Muellerus; quod firmatur verbis sequentibus), qum vidit (*qum* nos, *vidit* O. Muellerus, *qui incidit* cdd.) ínvidendum ⏑⏑⏑–.

male etiam rem gessit Lachmannus, qui quae de h. l. protulit leguntur m. Rh. a. 1845 pg. 611; nam et ita apud Frontonem pg. 23 ed. Nab. traditur *peratticum* pro *peranticum*, et Tac. dial. cap. 18 *parum anticus* pro *parum Atticus*.

didascalicon libri. — Gell. n. a. praef. 8 est qui *πραγματικὰ* et *πάρεργα* et *διδασκαλικὰ* (titulos fecerit).

I, 2. de sententia horum verborum sic Lachmannus: *perspicuum est Accium in hoc versu agere criticum; notat enim tragicos, qui de Prometheo finxerint ea quae homini cui pectus adesum esset non convenirent.*

I, 3. fortasse de Telepho aut Priamo, quorum utrique ad Achillem victorem suppliciter fuit accedendum, haec dicta. nam et admodum frequentem eam fuisse tragicorum carminibus materiam constat.

I, 4. *mactavit*, Achilles; cf. Il. XXIII, 615—624.

I, 5. haec nescio an ad Clytaemestran spectent vel Eriphylen, ex quibus utraque nancta est filium matricidam, sed enim propriis sceleribus merita, talis ut obveniret.

II, 1. tanguntur aperte ῥήσεις ἀγγελικαί (eos nuntios appellant Romani), quae frequentes in tragoediis.

II, 2. *sed Euripidis*, puto *culpa*. — *qui choros temerius*, supplendum *adhibuit*. — cet. conf. Od. Muelleri hist. litt. Graec. II, 153.

VIII, 1. Varro ap. Non. l. mem. *tragica vincula baltea sunt*.

IX, 2. Paulus 151 'magnificissima dicebant antiqui pro magnificentissima'.

IX, 3. haec quo pertineant incertum. — *egerantur* pro *egerant vestra;* ap. Non. 486, 26 Bamb. *multos vestrorum* pro *multo Surorum*. — de *statim* producto videnda quae notavi ad Luc. XXVIII, 39 et in libro nostro 348.

inc. 3. 4. quantum ad rem conf. Ritsch. de fabulis Varronianis Plauti dissertatio. — *geminei leones;* ap. Prisc. 697 haec comoedia audit *gemini lenones*. de vero titulo haec Lachmannus: *fuit autem ea duobus nominibus coniunctis appellata*, *ne aut Menaechmi aut ferae dici viderentur*. — *nec* in fine versus positum videtur admittere metri sotadici licentia. — versus 2 et 3 iniecto quod scripti ignorant *eius* ita constituit ille:

Plaúti anús nec bís conpréssa néc Boeótia éius
úmquam fuít neque ádeo agroécus néque cómmoriéntes,

ut monosyllabum sit illud *fuit*. — mihi spondeum potius eo expleri visumst; neque enim intellego cur Lachmannus talem sotadici numeri formam ⊥ – ⏖́ ⏑ minus legitimam putaverit hac ⏖́ ⏑ – –. — *Macci Titi;* conf. Ritsch. de Plauti poetae nomin. opusc.

pragmaticon e. l. inc. 1. haec verba archaeam Atticorum spectant comoediam. Hor. sat. I, 4 *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae atque alii quorum comoedia prisca virorumst*, *siquis erat dignus describi*, *quod malus ac fur* e. q. s.

ad script. r. v. q. sp. 1. errasse Quintilianum Varronis ut puto testimonio male intellecto docuit Ritschelius cap. III opusculi de miliario Popilliano deque epigrammate Sorano pgg. 22—30; qui ipsum potius Accium scribendi moris, quem tangit Q., auctorem fuisse et exemplo eius coepisse homines geminare vocales circa a. u. c. 620, desisse paullo post 680, cum ipsius Accii aetas conclusa esset fere intra 582 et 670, partim grammaticorum veterum, partim inscriptionum comprobavit fide. praeterea monuit Ritschelius pg. 33 morem geminandi vocales neque ad i pertinuisse (pro qua aemulatione Graecorum ponebant ei) nec ad o; eumque morem Accium Oscorum exemplo (qui nec i geminabant ad exprimendam longam et o littera carebant) instituisse.

ceterum videnda quae notavimus ad Luc. l. VIIII frgm. ea, ubi de litteris disputat, et ad XXVI, 65.

2. sane Accium in tragoediis largius a prisca consuetudine movere coepisse et ad formas Graecas verborum magis revocare vocabula externigena testatur Varro d. l. L. X, 70. unde Valerius quidam hoc in illum lusit epigrammate:

Accius Hectorem nolet facere, Hectora malet.

nam et eodem tempore amicus eius et studiorum consors Iulius Caesar qui et Vopiscus et Strabo dictus est primus Tecmesam inscripsit tragoediam suam et ita in scena iussit pronuntiari (ipsa Mar. Victorini pg. 8 verba refero). cf. et d. r. m. 387, 8.

parergon I, 1. *goerare;* ita Nonius 20, 26 *omnis ambitus vel goerus;* 189, 33 *zonatim per goerum*, y in oe mutata, ut *lagoena* quae *λάγυνος*. — *porcas;* cf. praeter Non. lemmata Festi pg. 218. 238 cum notis Muelleri. — *rectas*, supplendum *lineas*. — *cernere* i. e. *cernendo efficere;* quamquam siquis invenerit quod propius distet a litteris traditis, ei facile concedam.

annalium I, 1. de hoc versu valde vereor ne aliter statui oporteat atque olim feci d. r. m. 27 neve Priscianus potius quam Nonius cuius in afferendis scriptoribus summa solet esse fides erroris sit arcessendus. etenim cum Priscianus l. m. ante versum de quo dicit ponat exemplum alvi feminino genere positi ex Maronis II idem, quod ap. Nonium proxime praecedit, satis fit probabile eum haec ut alia haud pauca ex Nonio descripsisse et per errorem satis frequentem, qualem habes apud Diomedem 366 s. v. necto vel ap. Sergium 1853 s. v. meminens, confudisse adfinia interse scriptorum testimonia. at legitur in Prisciani cdd. *annali I;* id vero ipsum librariorum arbitriis provenisse satis firma oritur suspitio. nempe cum esset antiquitus traditum *Accius annalib.*, illi ultimas litteras secus interpretati numerum libri quem desiderari existimarent addidisse sunt existimandi. ita saepius factum in Varronis saturae titulo illo qui est *Prometheus liber*.

XXVII, 1. *metalli;* glosae Labbaei *metellus μίσθιος*.

e. l. inc. 1. *cumque* pro *eumque;* qui *imque* vel *emque* Accio obtrusere, non sunt digni quibus respondeatur. — *fere* cum per se ineptum sit, admissa quam non licet fieri elisione vocabuli iambici in syllaba acuta fraudis arguitur. — *famuli epulentur;* cf. d. r. m. 311.

2. *fraxinu' fissa ferox infensa infrenditur;* nota alliterationem paene nimiam. — *infrenditur* i. e. *inliditur*.

Suei moretum. versus sat duri, plane ut Accii annalium. — *disseruere*, cf. Prisc. pg. 900.

pullorum 1. *sic, ut columbae.* — *labellis morsicatim lusitant;* cf. Matii mimiamb. frgm. 4.

3. *fitillas;* Arnob. adv. nationes II, p. 72 ed. Oehler.: ipse autem qui infertur cibus sit unus atque idem semper — aut fitilla

de milio aut sit panis ex farre. — id vocabulum ab eo quod est fio fitum videtur descendere; unde non est quod timeas de quantitate primae. — alii *fritillam* verius dici putant.

e. l. inc. 2. *a colubra;* ita omnino scribendum, non quod aliis visum *a volucri* sive *a volucribus;* quorum neutrum recte habere praecedentia Varronis exempla consideranti facile apparebit. verba poetae tam foede depravata, recuperare ut non licuerit. metrum tamen aperte iambicum. — praepositioni in fine prioris versus non est locus. *trittiles,* fortasse *trittilos; trittilus* ut *pipilus.* — *Aesopi;* hic si esset nobilis ille actor, Ciceronis aequalis, de aetate iam constaret Suei. sed tutius erit eum Accii adscribere temporibus, quoniam Varro, ut supra memoravi, raro utitur aequalium ipsi auctorum testimoniis. quod cum ita sit, potius cogitandum de Aesopo apologorum auctore. tamen quo iure Muellerus statuerit tangi fabulam de scurra porcelli vocem imitante et rustico, quae legitur ap. Phaedr. V, 5, equidem non video.

INDICES.

I. INDEX VERBORUM

QVAE IN HAC LVCILI SATVRARVM RECENSIONE LEGVNTVR.

(Numeri latini ad libros, arabici ad versus librorum spectant; exclusa sunt fragmenta aperte falsa p. 163—170.)

A. VOCABVLA LATINA.

A.

E.

G.

I.

L.

M.

N.

Q.

R.

S.

U. V.

Z.

B. VOCABULA GRAECA.

II. VOCABULA ACCI.

(*d.* = didascalia, *pr.* = pragmatica, *par.* = parerga, *an.* = annales, *inc.* = ex libris incertis).

III. VOCABULA SUEI.

(*m.* = Moretum, *p.* = pulli, *inc.* = ex libris incertis, *d.* = dubia.)

IV. INDEX RERUM NOTABILIUM IN COMMENTARIIS.

Orthographica et grammatica cum ipso verborum indice repraesentarentur non ubique hic loci notavimus, illud addidisse contenti vix umquam insolentias dictionum Lucilii qualescumque suis carere commentis. — res ad metra pertinentes exceptis paucissimis, quae in libro d. r. m. p. L. aut omnino non haberentur aut secus, in hunc indicem non retulimus. — ex coniecturis eas fere silentio praeteriimus, quae ad Nonii aliorumve grammaticorum verba emendanda spectarent. nam ab emendatiunculis talibus quis gloriam speret?

INDEX V.

Nomina auctorum librorumve ex quibus seu verba Lucilii seu testimonia de Lucilio petita sunt.

Corrigenda.

pg. 8 *II*, 9, 16 *legendum* circumlata (*id etiam in indice reponendum*). 18 *III*, 45, 59 Tantalu', qui. 22 *IV*, 11, 17 conponitur *ut habet L* 1 *m*. 1 *l. utr. Non.* 35 *VI*, 21, 31 *Muciu'*. 40 *VIII*, 3, 5 conponit *id quod exhibet m.* 1 *L* 1. 51 *v. paenultimo* om. 'apud'. 79 *XXVI*, 12, 14 utilem. 102 *XXVIII*, 39, 52 *statura, Accius, st.* 103 *testimon. v.* 3 (vitiosus L 2). Lucilius lib. XXVIII. 115 *test. v.* 17 ubi ille. 140 XXVI [VIIII 7] ξ. 149 *app. crit. v.* 7 minore. 162 *IX vv.* 7, 8 *delenda ea quae sunt:* versus tamen ille utique Persii. 198 *I*, 35 *v.* 1 sive artaenam. 201 *II*, 20 *v.* 3 versus. 204 *v. ult.* stricturas pro. 216 *VI*, 24 *v.* 5 e Sicula. 234 *XIII*, 4 *v.* 1 pauper utei. 240 *XVII*, 1. *verba ultima notae ab illis inde* 'nunc pro num' *reponenda sunt v.* 3 *post* 'comparare'. 246 *XXVI*, 22 *v.* 2, 3 vel langere incipere. 252 *XXVI*, 67, *v.* 3 interdixerit. — conficis. 267 *XXX* 20—33 *v.* 1 nebulonis. 311—314 *ubique* RELIQUIAE. 330 auxiliatust *inc.* 130. 335 *e IV* 35; *VI* 16; *VI* 36. 336 est *XXX* 71. edit (*perf.*) *IV* 44. edenda *V* 23. 342 ante 'iram' add.: *ipse II* 6; *IV* 20; 25; *V* 20; *VI* 23; *XI* 28; *XIV* 18; 23; *XXVI* 64; *XXX* 50; 129; *inc.* 23; 59. *ipsa IX* 67 (*bis*); 76; *XXII* 5; *XXX* 84; 132. *ipsum I* 12; *IV* 41; *VI* 5; *XXIX* 92; *inc.* 57. (*neutr.*) *IX* 9. *ipsam XVII* 6. *ipso IV* 34; *VIII* 18; *XXX* 51. *ipsa* (*abl.*) *XXVIII* 50; *inc.* 8. (*nom. plur.*) *XXIX* 114. *ipsi XXVI* 38; 88; 96; *XXVII* 23; *XXIX* 43.